T. PETRONII ARBITRI SATYRICON,

Cum Fragmentis:

COMMENTARIIS, siue EXCVRSIBVS MEDICO-PHILOSOPHICIS


TRIBVS LIBELLIS

recens adornatum:

OPERA

JO. PETRI LOTICHII, D. MEDICI,

& p. t. Reipubl. Mœno-Francofurtensis Physici.



FRANCOFVRTI,

Typis excusum Wolfgangi Hofmanni, Sumptibus LVCÆ JENNISII.

ANNO M.DC.XXIX.

ELENCHVS CAPITVM, SEV QVÆSTIONVM, QVÆ

IN HIS COMMENTARIIS, siue EXCVRsibus Medico-Philosophicis tractantur, resoluunturque.

LIBRI PRIMI

† 2 VII. *Quæ-*

LIBRI SECVNDI

LIBRI TERTII

QVÆST. I.

An

Elenchus Capit. siue Quæst.

Finis Quæſtionum.

JO. PE-

EXCELLENTISSIMO CLARISSI-
moque viro, Dn.

JOH. PETRO LOTICHIO:
MEDICINÆ DOCTORI PERITISSIMO, POETÆ DISERTISSIMO, Reipubl. Francofordianæ Physico, &c. Domino & Amico meo honorando.

MELCHIOR GOLDASTUS HEIMINSFELDIUS S. P. D.

C*Larissime & amicissime Domine Doctor*, dum me annuus morbus infestat, nec dolor ferias vllas meditationes admittit, pedum officium manus tremula compensabit. Mallem iocando tecum & tempus & dolorem fallere; quod vnum memorant esse huius morbi laxamentum; Sed nec occupationes meæ ferunt, & Musa mea tristior, ac morosior nunc est, quum vt iocis ludisq; possit malacissari. Interim tamen, ne nihil agam, ad PETRONII SATYRAS, quarum festiuâ elegantiâ te non indelectari animaduerti, manum admoui, non fœdas illas *Neronianas*, quibus honestissimam illam facundiam turpiter conspurcauit, sed *Podalirias* & *Machaonias*, ex generis humani corruptis moribus, vnde omnia nostra & animi & corporis vitia oboriuntur, mira vrbanitate confictas. Scias summos illius æui *Aulicos Cæsareos*, non modo disertissimos *Poëtas*, verum etiam peritos *rei medicæ* fuisse. Magni æstimas PETRONIUM, vt

Poëticarum elegantiarum vnicum arbitrum. Magis id facies, vbi eum non *Poëseos* modo, quod famil æ tuæ quasi proprium ac innatum est, sed & *Iatriæ* studio, cuius artem profiteris, litasse compereris. Sanè reconditiora illa remedia, quorum rationes ipsos etiam *Medicorum filios* fugiunt, facient, vt credas, eum in *Senecæ* schola desudauisse. Sed quia, vt dixi, nonnullorum remediorum rationes ab interpretibus capi nequeunt, & eorum loca tibi excerpi consignariq; petiisti, vtar hac occasione, tum vt morem tibi geram, cuius studiis benè esse studeo, tum vt dolorem illum fallam, qui me excruciat. Quod in simili casu Alexandrum Aphrodisiensem fecisse memorant, vt ex Homeri Rapsodiis ea, quę ad rem medicam spectare videbantur, excerpserit, & sententiis veterum Medicorum commentando illustrarit. En tibi loca:

Pag. 1. lin. 14. *Quasi papauere & sesamo sparsa.* Sic pag. 13. lin. 15. *Glires melle & papauere sparsos.* Vndè videmus, papaueris semine & sesami aspersos fuisse cibos ob dulcorem. Sed cur hodie vtrumque à Medicis interdicitur? & à nobis vitatur?

Pag 7 l 22. ait *Quartilla: Ipsa quidem illâ nocte vexata tàm periculoso inhorrui frigore, vt Tertianæ etiam impetum timerem, & ideo medicinam somno petii, iussaq; sum vos perquirere, atq; impetum morbi monstratâ subtilitate lenire.* Quærunt interpretes, quo pacto *somnus* possit *Tertianæ* mederi?

Pag. 8. l. 14. aliud adhûc *Tertianæ* remedium proponitur, quod eadem *Quartilla*, sibi dixit à Diis monstratum, conualituram nempe, si cum robusto iuuene coiuerit. Verba hæc sunt, sed truncata: *Ideò vetui hodie in hoc diuersorio quenquam mortalium admitti, vt remedium Tertianæ sine interpellatione à vobis acciperem.* Quæritur, quid remedii possit Venereus congressus mulieri *Tertiana* laboranti conferre?

Pag. ead. l. 34. mentio fit medicatæ potionis, quam libidinosæ facce dotissæ iuuenibus apposuerint, pro Venere resuscitanda & refocillanda. Verba hæc sunt: *Solus tantum medicamentum ebibisti? Itanè est, inquit Quartilla, quicquid Satyrij fuit, Encolpius ebibit?* Et

Pag. retrò 4. lin. 7. *Adeo omnes mihi videntur Satyricon bibisse?* Quænam ista potio ex *Satyrio?* Sed & mox pag. 9. l. 2. sequitur: *Puella penicillo, quod & ipsum Satyrio tinxerat, Ascylton opprimebat.* Quid est, penicillis *Satyrio* tinctis aliquem opprimere, vt ad Venerem excitetur?

Ibid. l. 4. legitur; *Cynædus superuenit myrtea subornatus gausapila.* Quæritur, quæ sit *myrtea gausapila,* & quis *Myrthi* vsus medicus in re Veneris?

Ibid. l. 6. *Ballenatiam tenens virgam.* Et hoc loco quærunt interpretes,

pretes, quisnam *balenatiarum spinarum* vsus in re Veneris, aut quam vim habeant.

Pag. ead. l. 10. *Nos lecythino refusos oleo refecerunt.* Quæritur, quodnam *Medici* vocent *oleum lecythinum*, & quem vsum habeat in confortandis corporibus à Venere lassatis?

Pag. 10. l. 7. *Perfluebant per frontem sudantis acacia vini, & inter rugas malarum tantum erat creta, vt putares detectum parietem nimbo laborare.* Quæritur, quale hoc sit *fuci muliebris* genus, quod ex *Acacia* & *Creta* constiterit? Olim tales cerussas *Medici* præparabant, vt ex *Plinio constat.*

Pag. 11. l. 26. *Intrauimus balneum, & sudore calefacti momento temporis ad frigidam eximus.* Quærunt sanitatis studiosi, cur veteres *balneari antè cœnam* soliti fuerint? Aut quid *balnea* conducant cœnaturis vel conuiuaturis?

Pag. 13. l. 2. *Tandem discubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus niuatam infundentibus.* Legimus, & mos hodie apud nostros *Principes* obtinet, *aquâ niuatâ* vinum refrigerare. Sed in quem vsum *aquâ niuata* manûs lauabantur?

Pag. ead. l. 12. *Habebat oliuas in altera parte albas, in altera nigras.* Nos hodie *albas* tantum *oliuas* nouimus. Num prisci tui *Medici nigras* nouerunt?

Ibid l. 15. *Glires melle & papauere sparsos.* Num *Glires* in edulio & deliciis?

Pag. ead. l. 24. dicitur *Trimalcio*, id est *Imperator Nero Cæsar,* in quarto digito sinistræ manus gestauisse *annulum totum aureum, sed ferreis velut stellis ferruminatum.* Videtur in stellulis istis arcani quid latere. Et *Medici* tui disputant *de signaturis & sculpturis Planetarum, signorum Zodiaci,* & *aliarum stellarum,* de quibus quid tu sentias, velim breuibus ex te cognoscere, si non graue est.

Ibid. l. 26. *Spina argentea dentes perfodit.* Num argento minus læduntur dentes, quàm ferro? Nos aureis spinis ferè vtimur.

Pag. 14. l. 33. *Super Geminos, testiculos ac renes.* Describit conuiuium *Trimalchionis*, aitq; duodecim parapsides fuisse appositas, *signa cœlestia Zodiaci* repræsentantes, & in *Geminorum* parapside appositos *Testiculos & Renes.* Sed quorum animaliū isti *Testiculi*, quorū delicias hodie ignoramus?

Ibid. l. 35. *Super Virginem stericulam.* Hoc loco *stericulam* interpretantur vuluulam: sed non addunt cuius animalis.

Pag. 22. l. 1. *Omnium herbarum succos Democritus expressit, & ne lapidum virgultorumq; vis lateret, ætatem inter experimenta consumpsit.* Quis tuorum

Medicorum hæc de Democrito prodidit, quum constet inter destillatores *Democritum* nec à *Theophrasto*, nec *Plinio*, nec *Dioscoride*, nec *Corn. Celso* referri?

Pag. ead. l. 5. *Chrysippus, vt ad inuentionem sufficeret, ter helleboro animum detersit.* Num id sine noxa fieri potuit?

Pag. 26. lin. penult. *Meq; à fatali iam meta reuocauit ad lucem.* Iam enim intercluso per suspendium spiritu animum agebat. Hæc enim est fatalis meta vitæ, per quam lux suspensis adimitur. Et obseruarunt *Medici*, suffocatos suspendio ad lucem rediisse, si aquâ frigida loti deponerentur.

Pag. 29. l. 13. *Araneis oleo madentibus vulnus, quod in supercilio factum erat, coartauit.* Curatio hæc etiamnum vulgo in vsu. Sed quis *veterum medicorum* meminit?

Pag. 23. l. 35. Nota de *Nausea marina*: Ex *Medicis* eleganter licebit caussam *Nauseæ* discutere, & remedia contrà *Nauseam* illam annotare.

Pag. 3?. l. 2. *Ridentes fugis & times puellas.* Hæc videntur ad causam *Caluitiei* spectare, quæ ex nimia Venere oriri à *Medicis* fertur.

Pag. ead. l. 32. de *Matrona Ephesina* *Quintum iam diem sine alimento trahebat.* &c. Volebat se inediâ interimere. Sed an tantæ in muliere vires, vt post quintum diem sine vllo cibo & potu traductum, potuerit militi succumbere, & voluptatem veneream exercere?

Pag. 42. l. 33. *Cibus auidum strangulauit, abstinentem frugalitas.* Magnam hominum partem nimiâ vocacitate perire vos Medici querimini. Sed vt abstinentes, i. e. sobrii, per suam frugalitatem, i. e. continentiam, parsimoniam, & sobrietatem pereant, videtur artis vestræ principiis contradicere, quibus astruitis homines sobrios & abstinentes & sanius & diutius viuere.

Pag. 43. l. 29. *Iocari ego senem poëtica leuitate credebam.* Tuum est, *Poëtas* à leuitatis crimine vindicare.

Pag. 55. l. 27. *Numquid te osculum meum offendit? Numquid spiritus ieiunio macer?* Quid hoc sibi vult? aut, quid est spiritus macer ieiunio? an marcidus intelligitur, i. e. fœtidus? qualis esse ieiunorum solet ex hesterna crapula.

Pag. 56. l. 23. *Narcabo tibi adolescens, Paralysin caue. Nunquam ego ægrum tàm magno periculo vidi. Quod si idem frigus genua manusq; tentauerit tuas, licet ad tubicines mittas.* *Medici* tui perhibent, *Paralysin* eam lethalem esse, quæ latera & cor percutit, non quæ manus tantum aut pedes.

Pag. 57. l. 12. *Curaui diligentius noxiosissimum corpus, balneoq; præterito modicâ vnctione vsus, mox cibis validioribus pastus, id est, bullis, cochlearumq; sine iure ceruicibus, hausi parcius merum. Hinc antè somnum leuissimâ ambulatione.*

latione compositus cubiculum intraui. Præſcribitur hiſce verbis cura Maris ad Venerem inepti, & debilitati. Ponderentur ſingulæ Recepti ſpecies. *Balneum* quid conducit Veneri? Cur iubet vti *modicâ vnctione?* Et ex quibus vnguentis ea vnctio conficiebatur, ſi Venerem debebat ſtimulare? Cur dicit, *validioribus cibis?* & per eos tamen *bulbos* tantum & *cochleas* intelligit? Cuiuſmodi *bulbi* hoc loco intelliguntur, quibus coitus iuuetur? Et cur *ceruices* tantum *cochlearum* præſcribit? Cur item *parum vini* præſcribit, quum ſine *Baccho* frigeat *Venus?* Cur deniq; requirit *leuem deambulationem ante ſomnum?* Hæc interpretes ignorant: nec ſine artis tuæ traditis poſſunt explanari.

Ead.pag.l.23. *Illa de ſinu licium protulit varii coloris filis intortum, ceruicemque vinxit meam. Mox turbatum ſputo puluerem medio ſuſtulit digito, frontemque repugnantis ſignauit. Hoc peracto carmine ter me iuſſit exſpuere, terq́ capillos conîicere in ſinum, quos ipſa præcantatos purpurâ inuoluerat, admotisq́ manibus tentare cœpit inguinum vires.* Carmina & incantationes in remediis medicis etiam *Serenus Sammonicus* admittit. *Arabes Medici ligaturas* vocant. Sed PETRONIVS huiuſmodi magica remedia nunquam *Medicis* adſcribit, aut viris, ſed ſolis vetulis. **Alter Weiber Artzney:** quibus hodieq; talia non abſimilia in vſu. Tu ſi quid de hoc *Petroniano* recepto legiſti, annotabis. De *Veſpaſiano* quidē *Imp.* ſcribit *Suetonius*, eum *ſputo pulueribus mixto* morbidum curâſſe. Eandem ceremoniam in curando, etiam CHRISTO adſcribunt Euangeliſtæ. Vt videatur mos ille in *Syria* tum conſuetus & vulgaris inter curationes *Medicorum* fuiſſe. Nam PETRONIVS fuit æquæuus *Paulo & Petro Apoſtolis.*

Pag.61.l.9. ------ *Taurorum flamma quieſcit*
Virgineis exſtinctæ ſacris.

Tauros rubeo panno irritari, etiam *Iure* noſtro proditum eſt, §.10. *Inſtit. de oblig. quæ ex del. naſc. l. infert.* 50. §. *vlt. de furt.* Seneca *lib.* 2. *de ira.* Sed vt placari furor eius poſſit *Sacris Virgineis*, nemo explicare nobis poterit, præter *Medicorum filios.* Facies ergo pro vtili noſtro, ſi, vt ſciamus, quæ ſint *ſacra* iſta *virginea*, quibus *Taurorum* furor mitigatur, operam nobis dederis.

Pag.62.l.34. *Vulnusq́ cruris haud altum aceto diluo.* Intelligit vulnuſculum pedi eius ab *Anſeris morſu* inflictum. Quod certè profundum eſſe non potuit. *Aceto* diluere vulnera vt curentur, hodie non probatur. *Samaritanus* ille in *Euangelio* vinum legitur vulneribus infudiſſe, non *acetum.* Sed ex artis tuæ *Doctoribus* conſtare poterit, an *Acetum*, & quale illud modicis vulneribus curandis facere debeat. Quia enim hæc remedia ſunt domeſtica & facilia, intereſt patrisfamiliâs ſcire eius verū vſum.

Pag.64.l.6. *Infra manus meas camellam vini posuit, & cum digitos pariter extensos porris apioq; lustrasset, auellanas nuces cum precatione mersit in vinu.* Loquitur de *Sacerdotis vetulæ lustratione* antè sacrificium. Sed quis *porrorum* & *apii* vsus esse potuit in lustratione & expiatione sacra post peractum homicidium? *Pilatus* in *Euangelio* legitur manus aquâ lauisse, vt se lustraret ab homicidio CHRISTI ab se innocenter damnati. Sed de *porris* & *apio* nihil memini legere, nisi *Medici* tui aliquid possint suggerere, qui omnia naturæ arcana rimantur, pręsertim herbarum, vt suprà de *Democrito* PETRONIVS asserit.

Pag.ead.l.17. *Profert Enothea scorteum fascinum, quod vt oleo & minuto pipere, atque vrticæ trito circumdedit semine, paulatim cœpit inserere ano meo. Hoc crudelissima anus spargit subinde humore femina mea. Nasturtii succum cum abrotano miscet, perfusisq; inguinibus meis viridis vrticæ fascem comprehendit, omniaq; infrà vmbilicum cœpit lentâ manu cædere.* Hoc est remedium, quod Sacerdos anicula adhibuit iuueni maleficiato & ad Venerem impotenti. Vbi primùm quæritur, quid *scorteum fascinum*, i.e. membrum virile coriacium, iuuare potuerit ad Venerem excitandam, si maribus in anum indatur? Das were ein seltzames Zäpfflein oder Clistier. Magis est, vt feminis tale remedium fuerit adhibitum. *Oleo* litum fuisse credo, vt facilius penetrare in anum posset. Alioqui non video, quis olei vsus ad Venerem stimulandã. De *pipere* & *vrticæ* semine non dubito, quin *Medici* tui multa referant ad hanc energiam. De *Nasturtii* & *Abrotani* succo in hac cura nihil apud alios legi. Iidem tui *Medici* expedire possunt. *Vrticâ* viridi & ardente vmbilicum ac partes genitales cædere miserum est remedium, quod cutem inflammet, & pustulas excitet, per quas aliquis ineptior magis ad voluptatem exercendam, quàm habilior reddi debet.

Pag.65.l.32. *Sed & podagricum se esse, lumborumq; solutorum omnibus dixerat.* At ego putabam *Ischiadicos* esse lumbis solutis & luxatis, non *Podagricos*, qui articulis pedum laborant, non lumborum.

Pag.67.l.1. *Aliqua inueniemus blandimenta, quibus saporem mutemus. Neque enim vlla caro per se placet, sed arte quadam corrumpitur, & stomacho conciliatur auerso.* Videtur intelligere *condimenta*, quibus *coqui* solent carnes præparare, & condire ad saporem & gustum. Itaque hic locus magis ad *Apicium*, quàm *Hippocratem* spectare videtur.

Pag.68.l.34.

Triplici vides vt ortu
Triuiæ rotetur ignis, &c.

Triuiam vocat *Lunam:* quæ cur triplici ortu rotetur, ex *physicis* docendum est.

Pag.

Pag. 69. l. 10. Ad libidinis incitamentum *Myrrhinum* se *poculum* bibisse. *An myrrha libidinem incitat?*

Pag. 70. lin. 18.

Mille saporatam medicatis frugibus offam.

Et hic quoque locus ab *Apicio* magis, quàm *Galeno* illustrari posset. Nam medicatæ fruges videntur esse *aromata*. Et paulò aliter hic versus apud Virgilium legitur.

Pag. 71. lin. 12.

Nolo ego semper idem capiti suffundere costum,
Nec toto stomachum conciliare mero.

Quid est hoc loco, *costum* suffundere capiti? Solebant quidem olim, vt *Mercurialis* & *Marcell. Donatus* docent, odoratis humoribus & aquis destillatis crines capitis aspergere, vt benè olerent, vt patet ex historia *Mariæ Magdalenæ* in *Euangelio*, CHRISTI caput vngentis: sed an liquores illi ex *costo*? *Medicorum* est hoc nosse, à quibus talia olim præparabantur.

Pag. 72. lin. 6.

Sic commissa ferens auidus reserare minister
Fodit humum, Regisq; latentes prodidit aures.
Excepit nam terra sonos, calamiq; loquentes
Inuenère Midam, qualem narrauerat index.

Explicat *fabulam Midæ Regis*, aitq; indè ei *auriculas asininas* attribui, quod omnia, quæ vbique in *Regno* gererentur, audiret, & cognosceret: idque hac arte contigisse. Suffossam fuisse terram sub conclaui *Regis*. Ad ostiolum illius foraminis stetisse ministrum proditorem, & calamo in foramē immisso prodidisse *Regi* in conclaui existenti omnia, quæ gererentur & dicerentur. Sed ratio, quo modo id fieri potuerit, à *Physicis* tuis petenda est. Audio etiam *Florentiæ* in *Palatio Magni Ducis* conclaue esse ità fabrefactum, vt quod quis in vno angulo remoto stans secum loquatur, alter in alio angulo clarè & distinctè possit audire.

Ibidem lin. 12.

Fallunt nos oculi vagique sensus
Oppressâ ratione metiuntur.
Nam Turris prope quæ quadrata surgit,
Attritis procul angulis rotatur.

Ratio, quæ hîc dicitur oppressa, ex *Opticis* est petenda.

Ibidem lin. 15.

Hyblæum refugit satur liquorem.

An hoc loco *liquor Hyblæus* est *mel Hyblæum*, quod homo, qui est plenus & satur,

satur, fastidit? Wann er so voll vnd satt ist/daß er auch den besten Honig nicht mehr mag essen.

Ibid. l. 16. *Et naris Casiam frequenter odit.*

Num *Casia* tum inter odoramenta, vt hodie *Moschus*, Bisam? Nam & *Moschum* nasus noster frequenter odisse solet.

Pag. 72. lin. 27.

Sic & membra solent auras includere venis,
Quæ penitus mersæ, cum rursus abire laborant,
Verberibus rimantur iter: nec desinit ante
Frigidus strictis qui regnat in ossibus horror,
Quàm tepidus laxo manauit corpore sudor.

Hoc elegantissimum *Epigramma* non potest, nisi ex artis tuæ principiis, explanari.

Pag. 73. lin. 4.

Coruus maturis frugibus oua refert.

An hoc tradunt *Physici*, *Coruos* post mediam demum æstatem nidulari & oua parere, cum omnes cæteræ aues in veris initio pariant?

Pag. ead. lin. 6.

Et piscis nullo iunctus amore parit.

Etiam hoc *Physici* tui nosse debent, an *Pisces* sine vllo coitu aut voluptate concipere & parere possint? Quo pacto ergò semen concipiunt? Certè *anguillas* cum *serpentibus* coire proditur.

Pag. ead. lin. 7.

Sic Phœbea chelys vinclo resoluta parentis
Lucinæ, tepidis naribus oua fouet.

Phœbea chelys videtur esse *Testudo*, Soli sacra, χελώνη Græcis dicta, Schildtkrötte. Ea enim est ouipara & sanguine prædita. Sed quo pacto potest vinculo resolui *Lucinæ parentis*, id est, *Iunonis Lucinæ*, quæ pariētibus præesse fingitur, quippe cuius beneficio partus edantur in lucem, si nō prius coiuerit cum mare & conceperit oua. Deindè scire ex te aueo, quis tuorum vel *Medicorum*, vel *Physicorum*, tradiderit, *Testudines marinas* tepidis naribus oua fouere. Ego sæpius in *Gallia Testudines* coemptas secui, & inueni in vna femella duodecim oua. Habent enim dulcē & suauem carnem, quâ libenter vescebar.

Pag. ead. lin. 10.

Sic sine concubitu textis apis excita ceris
Feruet, & audaci milite castra replet.

Num *Apes* non coëunt, quum tamen sexus in eis appareat, & de similibus *Insectis* constet, ea inter se congredi.

Hæc

Hæc ſunt, *Clariſſime D. Doctor*, quæ in illo SATYRICO, quo mores hominum, qui CHRISTI, Saluatoris noſtri, & *Apoſtolorum* eius temporibus vixerunt, à PETRONIO, *Neronis Cæſaris* intimo *Conſiliario*, deſcribuntur, deprehendere potui ad artem tuam facientia. Nonnulla eorum iam olim à *Cardano*, *Mercuriali*, *Marcell. Donato*, *Acidalio*, *Hadr. Iunio*, *Hofmanno*, & aliis *Medicis* humaniorem Philoſophiam profeſſis, obiter tacta & explicata memorantur. Sed eorum ſcripta in manus meas nondum venêre, præter *Mercurialis* & *Cardani* Varias lectiones. Sed tu nobis vicem omnium præſtare faciliter potes, quum & profeſſionem tuam vnicè ſpectent, in qua te vt exerceas, non ceſſabo monitor eſſe, & amor etiam literaturæ honeſtæ tibi meliores auctores, magis magisque conciliabit: &, quod primum ac ſummum eſt, *Poëta* à *Poëta* remedium expetit. Cui vt indulgeas, par & æquum eſt. Interim vale, & hæc per otium meditare. Scribebam in Muſæo meo, manu promptior, quàm pede. FRANCOFVRTI, die XXIV. Maij, Anno M. DC. XXVII.

NOBILISSIMO ATQVE EXCELlentissimo Viro,

DN. MELCHIORI GOLDASTO

HEIMINSFELDIO;

Sacr. Cæs. Maiest. & Reuerendiss. Archiepiscopi-Electoris Treuerensis Consiliario, Iurisconsulto nominatissimo, Historico atque Antiquario celeberrimo: Domino & amico suo plurimùm obseruando;

JO. PETRVS LOTICHIVS

S. P. D.

PRÆTER *hactenus eruditæ amicitiæ vsum, & doctissimas confabulationes, quibus me non semel indulgentissimè exhilarasti, imò refecisti hac* Mœnicola *in* vrbe, Mercurio *potiùs quàm* Musis *dedita,*

Vir celeberrime,

GOLDASTE mi suauissime,

ità me Musæ *benè ament! vt nuperrimè non tàm magna animi voluptate, quàm cum insigni auiditate illicò percurri elegantissimas tuas* IX. Kal. Iunias *è suburbano ad me datas, in quibus pro singulari ingenii summi.*

ſummi tui acumine pulcro & diſtincto ordine proponis ſelectiſſima è PETRONIO, *autore terſiſſimo, loca, quæ quidem duplici nomine cum præſertim è re Medica, tum Metrica, explicari, illuſtrariq; merentur quàm optimè.*

Quanquam autem vice haud ſimplici nos inter de grauiſſimo dicendi genere, verborum ſententiarumq; ponderoſa admodum elegantia, facundia inſuper cum ſoluta tum ligata, terſa, venuſta; & numeris facilè omnibus elaborata, familiarem mentionem peregerimus: quæ omnia & plura alia in PETRONI Satyrico, *autoris quidem feliciſſimi, Ethnici verò aliâs hominis, quoad pietatẽ, prout quidem* NERONIS Tyranni *ferebant mores & tempora, improbiſſimi, ſpurciſſimique, imò vt paucis edicam,* NERONIANI, *plenis delibantur carcheſiis: in eo tamen poſtulatum tuum ingentius eſt,*

Vir Ampliſſime,

quàm vt equidem abditũ planè & reconditum Petroniani *ſtyli, vnius in verborũ elegantia nomine & re* Arbitri, *arbitrium atq; genuinum ſenſum, præ tot limatiſſimis virorum ingeniis, quos autorem illum iamdudum in viſceribus & medullis anatomicâ ſerrâ rimatos eſſe nouimus, eruere, inque medium proponere ſuſtineam.*

Amico interim affectui in me tuo illud imputandum cenſeo, qui ex amica παῤῥησίᾳ *potiùs quàm* ἀκριβείᾳ, *tantùm mihi tribuis, quantum equidem mecum non inuenio.*

Vtar ergò amicitiæ hac lege reciprocâ, &, quanquam altiorem indaginem occupationes meæ non admittunt, conabor tamen, ſi nõn exſpectationẽm tanti viri, (quanti merito te tuo facio) ſaltem amicæ in me beneuolentiæ tuæ aliqua ex parte par facere; initiò iſthanc mihi veniam modeſtè præfatus, maiorem me voluntatem, quàm facultatem, ad tàm operoſum autorem afferre. Quam vt æqui bonique, id eſt, amicè, conſulas, per communes ego te Muſas, *atque amicitiam noſtram impendio obteſtor.*

Bb 2 *De*

De propositis icircò Quæstionibus, si non graue erit, in tribus libellis, *ordine sese insequentibus, me disputantem comperies. Quæ vtinam tàm exspectationi tuæ respondeant, quàm mihi fuit voluntas, tibi etiam in hoc, quodcunque est, obsequii genere morem gerere. Audi sis igitur, &, si placet, responsa vide.*

JO. PE-

JO. PETRI LOTICHII, D. MEDICI

QVÆSTIONVM PETRONIANARVM de Re Medica Resolutiones:

Siue

RESPONSORVM

de

Remediis Medicis ex PETRONI ARBITRI Satyrico *propositis.*

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

PAPAVERIS genera tria præcipua. Vsus & prærogatiua *Papaueris satiui, & albi.* Compositiones medicinales ex *papauere.* *Opium*, lacryma, vel liquor *papaueris.* *Compositiones Opiata*, earumque laudes. *Laudani Opiati* eloquium. Cautio qua eius vsum. *Opium* enim interimit, etiam in *Suppositoriis*, vel *Collyriis*, adhibitum. Quamuis *Opio* etiam multæ gentes innoxiè vtantur: quod earum consuetudini astribendum. *Sesami* etymologia: genera: vsus in condimentis. Qui hodie cum *Papauere* euiluit. Olim inter placentas ac bellaria *Sesamum* præcipuo loco. *Papaueris* vsus in cibis cur insolens hodiè? Cum aliquid dicimus admodum dulce, delicatum, & lepidum; vti *prouerbiali* hâc possumus locutione: *Quasi papauere ac Sesamo sparsum*: quod præcipue tamen de sermone diserto, oratione, aut locutione faeunda ac comi, enuntiandum.

PRo primâ igitur hâc quæstione ventilanda, qua disquiritur: *Cur hodierna tempestate vsus papaueris & Sesami in cibis & bellariis nullus sit*; cum contrà olim, & quidem PETRONI temporibus, frequens eiusce vsura extiterit? teste eodem *pag.* 1. vbi ita habet:

Quasi papauere & sesamo sparsa: sequentia repono.

Papauer autê dicitur vt ab etymologia ordiamur, quia *Papæ*, id est, pulmento infantum antiquitus indebatur aduersus insomniam, vt docet *Taubmannus*: *Not. in Plauti Epidic. act. 5. sc. 2. in fin.* Ad quod etymon respicientes *Hispani*, illud vocant *Lasdormideras*, quod somnum faciat, *Virgilio* soporiferum, *Ouidio* lethæum est. Eius *tria* præcipuè sunt *genera*, (prout tibi rei herbariæ callentissimo apprimè notum) *papauer* nimirum *erraticum*, *papauer cornutum*, & *papauer satiuum*. *Dioscorides* addit quartum

genus, *Mecon Aphrodes*, id est, *papauer spumeum*, de quo quidem nostri *Botanici*, quod sciam, parum aut nihil.

Quanquam verò enarrata modò tria *papauerum* genera hodierno adhûc tempore præstantes in re Medica edant effectus, eoque nomine vsitatissima sint singula: *Papauer* tamen *album*, & *satiuum*, inter ea præcipuè palmam ferre meritò iudicandum est; prout testantur *Dioscorides, Galenus, Plinius*, è recentiorib. *Mathiolus, Dodonæus, Ruellius, Lobelius, Fuchsius, Thurneisserus, Castor Durantes, Mizaldus, Rondeletius. Erucius Cordus, & nouissimè Casp. Bauhinus*, alii: Id quod *Macro* arridet *libr. de virtut. herbar. cap. 32.*

Dicunt vim gelidam, siccamq; papaueris esse:
Tres illi tribuunt species: flos vnius albus,
Alterius roseus, rubeus, pallensq; minoris
Flos est, hanc vulgò dicunt agreste papauer.
inprimis quoque
Cunctis nobilior est, cui flos nascitur albus.
Ex huius teneris Opium faciunt capitellis,
Incisa leuiter summa cute, lacq;, quod inde
Defluit, accipiunt cochleis, siccumq; reseruant
Antidotis multis aptum, variisq; medelis.

Ex eo enim præstantissimæ præparantur hodie pro vsibus quotidianis in officinis nostris medicinæ, vt iis difficulter in grauissimis occasionibus, vel sine summo etiam dispendio, carere non possimus. Sicut sunt, inter cætera, *Syrupus de papauere, Diacodion*, & alia. Quæ profectò tàm præsentissima sunt medicamenta, ad somnum & quietem conciliandam, dolores mulcendos, nec non omnis generis profluuia. dysenterias, dyarrhœas, hæmorrhagias, hæmoptoses, sistendas item quascunque defluxiones, & catharrhos, nata, ac parata, vt difficulter aliud his in casibus simile, nedum excellentius pharmacum inueniri aut possit, aut etiam desiderari fors debeat.

Quid verò isthîc de *Meconio*, seu *Opio* potius, id est, *succo papaueris* expresso (de quo in progressu pluribus) obiter saltem aspergam? Quid de *diuina* illa *compositione, Laudano*, ceu vocant, *opiato*, à *Chymiatris* inuentâ, afferam? Ea, per *Æsculapium*! medicina, prout (id quod præmonendum simul est) in manu imperiti atq; imprudentis gladius, & venenum est, ita contrà in dextera *Medici* docti ac periti *Panacæa* est præsentissima, imò manus, seu gratia Dei. Quod ipsi ægrotantes, vim diuini huius medicamenti sæpiuscule dextre administrati percipientes, plenis atque exquisitis laudibus testari & efferre non desinunt: quibus quidem ea in parte, præsertim cum à grauissimis deliriis & inquietudinibus præsentissimè, & ipso experimento, atque in effectu à periculosissimis affectibus ad miraculum sæpenumerò restituantur, omninò credendum fuerit. Eius autem *Laudani*, inquam, *Opiati* virtutes in deploratissimis casibus tantæ, ac tàm admirandæ sunt, vt pro dignitate hoc loci describi vix queat.

Papauerum igitur, imò *Opiatorum* etiam remediorum, vsus, in hodierna *Medicina*, tàm intrà quàm extra corpus, etiam nunc penes nos vsitatissimus est. Quamuis interim, (vt in progressu patebit) *Opiatæ compositiones* summa cum cautione, summoque iudicio in summa non nisi necessitate, parca in dosi, eaque pro re nata adæquata, vsurpanda omninò veniant.

His

His ita obiter, super *papauerum* vsu medicinali, prælibatis, atque extra controuersiam constitutis, iam quædam etiam de eorundem in cibis & bellariis, loco condimenti, apud veteres frequenter vsurpatorum, vsu & esu alimentali, dicenda sunt. Apud *Dioscoridem* inuenio ex *papauere*, (*satiuo* maximè, quod *Mecon hemeros* ipsi dicitur) olim *panes* fuisse coctos, qui sanis & *integris* corporibus tum in deliciis erant, iis *panibus* vtebantur cum *melle*, loco *Sesami*, ita vt vsus *Sesami* hîc quoque à *Dioscoride* attingatur, sed quasi is tum euiluisset. Ita autem *Dioscorides lib. 4. cap. 64. de papauere erratico*: At semen (inquit) *acetabuli mensurâ ex aqua mulsa potum, aluum leniter emollit: ad idem præstandum mellitis placentulis & dulciariis libis admiscetur* Et *cap.* sequenti LXV. ibidem *de papauere satiuo & syluestri*: *Papaueris genus quoddam est satiuum & hortense, cuius semen in sanorum vsum ad panes adhibetur: eo etiam ex melle pro Sesamo vtuntur: thylacitin, quasi folliculosum, vocant.* Eadem ferè de *papauere albo & satiuo* habet *Plinius, lib. 18. cap. 25. Album* (inquit) *& satiuum papauer (quæ species optima) tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos comedebatur. Dioscoridi & Plinio Galenus* suffragatur, *libr. de simpl. med. facultat.* qui asserit, panibus *semen papaueris* vtiliter, ceu condimentum, inspergi. Eiusdem seminis, saccharo incrustati, vsum quandoque esse in secunda mensa, tum in aliis tragematis affirmat: quod ad somnum conciliandum non multum est efficax. Similiter de *oleo*, quod è semine exprimitur, *Galenus* prodit, istud gratum atque edule esse, tum pani illitum, aut alio quouis modo in cibo, citra refrigerationis sensum sumi. Quod idem ex Galeno annotauit *Remb. Dodonæus d. plant. libr. III. cap. XVI.* His accinit Poëtarum Augustus, *Virgilius, libr. IV. Æneid.*

Hesperidum templi custos, epulasq; draconi
Quo dabat, & sacros seruabat in arbore ramos
Spargens humida mella, soporiferumq; papauer.

Idem ratum est apud Elegiaci carminis magistrum, *Ouidium libr. 4. Fastor.*

Nec pigeat tritum niueo cum lacte papauer
Sumere, & expressis mella liquata fauis.

M. Terent. Varro in admirandis: *Infria seni papauerem. Plautus in Trinummo act. II. scen. IV.*

Confit citius, quam si tu obiicias formicis papauerem.

Intelligit autem *Comicus*, hoc pulmenti genus *formicis* gratum esse, à quibus ad id obsonium concurrentibus distrahatur oppido aceruus, dum vnaquæque, agmine facto, suum sibi arripit granulum. Hinc in compotores, ac prodigos qui bona sua & pecunias facile inter multos & in multa diuidunt, *Adagium* detorquet *Des. Erasmus*: *Citius quàm formicæ papauer*: quod videri potest *Chil. V. Cent. I. II.*

Apud *Italos* vulgò rusticani folia *papaueris erratici*, vel *rubri*, aut *fluidi*, quod idem est, dum adhuc tenella sunt, cum *butyro*, & *Caseo* cocta, interalia esculenta, comedunt. Imò etiam è *Theophrasto* liquet, *Græcos* eo cibi genere vsos fuisse: vt habet *Camerarius in Mathiolum*. Imò in *Syria*, *Scuck* incolæ, ex eodem *papauere sacchari* quoddam genus conficiunt, prout ex *Rosis* fieri amat, quo sese contra *tussim* præmuniunt: vt habet idem *Camerar.* & *Mathiolus* è *D. Rauwolfio*.

Apud *Marcellum Donatum libr. IV. de medica histor. admirand. cap. XIIX. Franciscus Alex. in suo Apolline, radio. I. cap. de papauere*, scribit, ex *papauere albo satiuo Genuæ* & *Neapoli Italiæ* pulmentaria fieri, quibus vescuntur ad satietatem vsque, nec tamen vnquam.

quam somno lentiores reddi. Idem affirmat *Mathiolus*, euenire *Montium Tridenti*, *Austriæ* & *Carinthiæ* incolis, qui *papaueris* eiusce magnam ferunt copiam, vt ex illius seminibus pulmentaria conficiant, quæ apud ipsos in continuo sunt vsu, absque eo, quod vnquam somno ob id capiantur.

Dalechampius in Plinium, lib. xxi. *cap.* xiix. in scholiis arbitratur apud *Petronium* in *Epigrammatum* fragmentis *medicatas fruges papauere* conditas intelligendas, illumque versiculum hoc modo legendum esse:

Melle saporatam, & medicatis frugibus offam.

Muretus lib. xvii. *variar. lection. cap.* iv. *Inter condimentarias* (ait) *herbas papauer & sesamum non postremum locum tenebant. Ideò, cum aliquid studiose politum significare vellent, ... , & papauere ac sesamo sparsum dicebant*: vt autor est *Casaubonus Animaduers. in Athen. l.* iii. *cap.* xxvii. Vide *Galenum* de vario esu *papaueris lib.* vii. *d. facult. medic. simpl.*

Imò ipse Petronius noster clarius se se explicat super vsu & esu *papaueris* ac *sesami* alimentario. Sic enim *pag.* xiii. *Ponticuli* (inquit) *etiam ferruminati, sustinebant glires melle & papauere sparsos.*

Neque verò tantoperè mirabimur, *Papauere* veteres in cibis ac pulmentis, vice condimenti, ac edulii iucundi, vsos fuisse, cum hodiernâ etiam adhûc tempestate dentur gentes, quæ *opio* ipso, id est, lacrymâ, liquore, seu succo *papaueris*, innoxiè, & quidem in magna quantitate, vescuntur; licet alioquin lethale id sit, &, ob summam frigiditatem, ac vim stupefactiuam, præsentissimam mortem, atque vltimum, ac longum illum somnum, inferat. Eius liquoris excipiendi modum non pigebit ex *Dioscoridis lib.* iv. *cap.* lxiv. hûc prius transcribere: *Nonnulli* (ait) *capita, foliaq. ipsa tundunt, & prelo exprimunt, mox terentes in mortario, pastillos effingunt. Id Meconium vocatur, opio ignauius. Opium autem sic confit: Cum eos exaruerit, stellulam (quæ in summo papaueris capite visitur) cultello ita scarificare oportet, vt ne penitus intro adigatur, & à capitis lateribus per directum summam cutem incidere, & erumpentem lacrymam digito in conchulam abstergere, ac non ita multo post eò redire: tum enim rursum & alia densata reperitur, atq. etiam postero die. Tandem in pila teri, & in pastillos coacta reponi debet. Verum tamen interea, dum inciditur, retrocedendum est, vt ne liquor vestium affrictu deradatur.*

Quo pacto verò verum *opium* ab adulterino contrà distingui possit, præter *Dioscoridem. libr.* iv. *cap.* lxv. *Plinius libr.* xx. *cap.* xiix. ita differit sub finem: *Experimentum opio est primum odore. Sincerum enim perpeti non potest, mox in lucernis, vt pura luceat flamma, aut extinctum demum oleat, quæ in fucato non eueniunt. Accenditur quoq. difficilius, & crebrò extinguitur. Est sinceri experimentum & in aqua, quia nebula innatat, fractum in pustulas coit. Sed maximè mirum, æstiuo sole deprehendi: Sincerum enim sudat, & se diluit, donec succo recenti simile fiat. Mnesitheus optimè seruari putat, hyoscyami semine adiecto: alii in faba.*

Vt autem de Opii ipsius comestione, nonnullis gentibus valdè vsitata, nonnihil adiiciamus: ecce! inter alios, *Garzias ab horto*, Proregis Indiæ Medicus, *cap.* iv. *libr. de Aromatum. & simplicium Indiæ*, à *Carolo Clusio* ex *Lusitanica* lingua, latinitate donato, asserit, vsum *Opii*, per vniuersam *Mauritaniam*, & *Asiam*, florere. Siquidem ei ita assueti sint indigenæ, vt eo abstinentes vitæ etiam periculum incurrant. Itaque solent, qui eiusce facultates intelligunt, exiguam quantitatem sumere. Alii verò, plerumque liberalius eo vtuntur, vt lassitudinem ex laboribus, animique fastidia tollant, non autem, vt proniores in Venerem efficiantur, vt stulti quidam credunt. Non modò enim

Vene-

Venerem non stimulat, sed potius eius stimulos infringit suâ frigiditate, & vasorum spermaticorum constrictione. Et nonnullos *Lusitanos* noui, qui eius esu debiles, & impotentes effecti sunt: vt refert *Marcell. Donatus.*

Nicol. Manardes tractat. de medicam. part. II. tradit, se bis in vrbe *Seuilia* vidisse binos *Indos*, qui cum quiete se reficere vellent post multos labores, vel cum laborandum esset, à seplasiario, ipso præsente, *octauam opii*, coëmisse, quam duabus vicibus innoxiè deuorarint.

Ludouicus Duretus lib. II. *pract. Hollerii, cap.* V. *in scholio* tradit, se vidisse ab *Hispano* in summo æstu semiunciam *Opii* sine noxa deuoratam.

Hodie *Turcæ* in prœlia egressuri, assumunt *Maslah* suum, seu *Opium*, vt animosiores facti pericula contemnant. De quibus *Mathiolus in herbar. d. papauerib. cap.* LXXIV. *Et benè* (inquit) *admirandum est, in calidis illis regionibus Turcas præcipuè, vt animosi & cordati euadant, Opii non paruam quantitatem deglutire, quod quidem nostratib. factu impossibile. Tantum valet consuetudo.*

Et certè vsum *Laudani Opiati*, licet in minima dosi exhibiti, ptopter exquisitam narcosin, animosos reddere, aliquoties in ægris experti sumus, vt ipsimet sibi è diuino illo medicamine, iuxta labores doloresque mitigatos, animum, imò etiam facundiam in dicendo indè natam esse professi sint. Eadem ferè ratione, vt asserit *Fel. Platerus*, Medicus Rauracus celeberrimus, *vinum*, ob vim narcoticam, qua *Opiatis* non admodum dissimile censetur, potum, haustumque, homines alacres, atque animosos, imò quiduis facile audentes reddere, cui fauet illud *Horatii, Lyricorum* facilè *principis*:

Spes iubet esse ratas, in prælia trudit inermem.

Neque abludit *Ouidius* noster:

Nox, & Amor, Vinumq́; nihil moderabile suadent.

His suffragatur *Pet. Bellonius lib.* III. *obseru. cap.* XV. qui scribit *Opium* copiosissime cogi ex *papauere albo* in tota *Paphlagonia, Cappadocia*, & *Cilicia*, imò apud *Turcas* & *Persas* summo in vsu esse. Ab illis tamen communiter non assumi suprà pondus *drachmæ* vnius, meminit. Verba eiusdem hûc transcribere non abs re fuerit: *periculum autem (inquit) facere volentes, quantum quis opii deuorare posset sine noxa, Ianissarum nobis familiarem, & singulis diebus Opio vesci solitum, eius drachmæ semissem in nostra præsentia deuorasse animaduertimus: postridie illum apud negotiatoris tabernam reperientes, illi integram drachmam dari curauimus, quam vnico bolo deuorauit, nec quidquam incommodi inde sensit, præterquam quod temulentus quodammodo videretur; Hæc Opii manducandi consuetudo iamdudum apud Turcas inualuit: illius etenim esu animosiores sese fieri existimant, neq́; belli pericula formidare. Cumq́; Turcarum Imperator, bellum gesturus, militum delectum facit, totam prouinciam Opio ferè spoliant. Vulgare apud eos est, sibi mutuo obiicere:* Tu edisti opium: *quemadmodum si quis apud alias nationes alteri obiiciat, ipsum temulentum esse*, &c. *Scaliger exerc.* CLIV. & CLXXV. autor est, *Turcas opium* suum conficere ex succo *papaueris albi satiui*, quem per multos agros longè lateque serunt, succumque promunt.

Quî autem fiat, quod *Opii*, alias secundum *Galen. lib.* VIII. *d. comp. medic. sec. loc. cap.* III. & *Auicenn. fen.* IV. *p. cap.* III. lethiferi, & frigiditatis immedicabilis, tàm grandem quantitatem *Indi, Turcæ, Persæ*, aliique populi, sine notabili noxa assumant (prout hodie milites *Tabaci* fumo indesinenter vtuntur) *Marcell. Donatus*, vna cum *Garzia*,

Monarde, *Dureto*, & *Mathiolo*, illud consuetudini tribuendum censet, quæ altera natura non immeritò indigetatur.

Quâ fit, vt etiam quosdam homines puris alioquin & præsentissimis venenis, sine noxa, nutritos fuisse, historiæ testentur: sicut in *cap.* II. sequenti, super esu *Glirium*, videbimus.

Idem *Donatus Opium* apud prædictas gentes minus frigidum reperiri suspicatur. Quemadmodum *Mathiolus* testatur *Papauer* nostrum *Teutonicum* non adeò vsque frigidum esse, sicut veteres de suo produnt, quod aër & regio nostri climatis multum differant. Tertio addit quoque, sicubi *Papauer* altiori loco, & sub cœlo calidiori nascatur, *Opium* indè generatum partes plures calidas acquirere, quæ aliarum frigiditatem infringant. Hæc *Donatus*.

Interim vice-versa *Opium* nihilo-secius tamen tàm soporiferum, frigidumque est, vt etiam externa, & per *suppositoria* (*Auicennas Collyria* vocat) ano quantumuis inditum, homines non semel oppidò interfecerit: sicut legere est apud *Galen. libr.* II. *de morbis vulg. Auicenn. in cura fluxus: Rhasin.* 9. *Cent. Gatinarium libr. pract. cap. d. cura sodæ cholericæ: Nicolum, se.* II. *sum.* II. *tract.* I. *cap.* XV. *Ant. Bettam Com. in* IV. *fen. Auic.* & *Marcell. Donat. libr.* IV. *de histor. medic. mirab. cap.* XIIX.

Præter eos, *Alexander Benedictus libr.* III. *cap.* VI. *part. morb.* annotauit, ex *Opio* etiam in *Dentium* doloribus dentium cauis cum oleo indito supremum somnum, & mortem insecutam fuisse.

Cardanus de subtil. libr. XIIX. scribit, *Opium* Equitis cuiusdam galeæ ab inuidis illitum, eidem à certamine victori redeunti, cum deposita galeâ respirare vellet, necem intulisse.

Lemnius insuper *d. occult. natur. libr.* I. *cap.* LI. obseruauit, *Opio* ad binas tresue drachmas ex vino meracissimo, mortem commeritis exhibito, illos exhilarescere incipere, potione hausta veluti *risu Sardonio* perfusos, mox in somnum soporemque resolutos morte sopiri. Tanta enim pernicitate *Opium* venas ac vitalia corripit, vt dissecto eorum, qui illo potionati sunt, corpore, cordi adhæsisse compertum sit.

Plinius denique *libr.* XX. *cap.* XIIX. cognouit, *Opium*, si largius hauriatur, mortiferum esse. Sic enim inquit: *Papaueris* verò (succus) *largus densatur, & in pastillos tritus in vmbra siccatum non vi soporifera modo, verum si copiosior hauriatur, etiam mortifera per somnum: Opion vocant. Sic scimus interemptum Licinii Cecinnæ, Pratorii viri, patrem in Hispania Bauili, cum valetudo impatibilis odium vitæ fecisset: item plerosque alios. Qua de caussa magna concertatio extitit.*

Ante hos paucos annos teste *D. Goldasto*, contigit Rinthelii, oppido ad Visurgim Academia & viris doctis concelebrato, vt duo coniuges vieti ac senes à vicino chirurgo remedium pro somno inducendo petentes, præbito opio fuerint in æternum somnum per imprudentiam consopiti, simulque manè in lecto mortui ambo reperti.

Etsi verò *Opii* vsus à non paucis, tanquam lethifer, noxius, ac mortalis, accusetur, veteres tamen Medici, à quibus præstantissimas *Compositiones*, & *Antidotos*, quos *Opium* ingreditur, per manus accepimus, eidem plurimum, & meritò quidem, contulerunt.

Inter reliquos *Dioscorides, libr.* IV. *cap.* LXV. refutat ex *Erasistrato Diagoram*, qui *Opii* vsum damnabat in *Aurium* doloribus, & *oculorum* lippitudinibus; quod & visus aciem hebetaret, ac soporiferum foret: *Andream* quoque & *Mnesidemum*, redarguit, quorum ille censebat, protinus iri excæcatum, qui eo illinerentur, nisi id adulteratum fuerit: hic verò vsum *Opii* duntaxat, quantum ad *olfactum*, pro conciliando somno, probabat, secus vero, ceu noxium, damnabat. Quæ omnia commentitia esse de *Opio* ab experimentis arguit *Dioscorides*.

In eandem sententiam pedibus it *Plinius libr.* XX. *cap.* XIIX. qui, postquam nonnulla, vt suprà allegauimus, de *Opii* vi lethifera, eademque de *Diagora*, *Erasistrato*, & *Andrea*, sicut *Dioscorides*, præfatus foret, in hæc verba ait: *Sed posteà vsus eius non improbatus est medicamento nobili, quod Diacodion vocant. Semine quoq; eius trito in pastillos, è lacte vtuntur ad somnum: item ad capitis dolores cum rosaceo: cum hoc & aurium dolori instillatur. Idem ad sacros ignes & vulnera cum aceto. Ego tamen damnauerim Collyriis addi*, &c.

Absque *Opio* igitur omninò foret, vt careremus *Theriaca*, *Mithridatio*, *Aurea Alexandrina*, *Aurea Nicolai*, *Triphera*, *Philonio Romano*, *Philon. Persico*, & *Tarsensi*, *Athanasia magna*, *Trochiscis de Alkakengi*, *Pilulis de Cynoglossa*, *Requie Nicolai*, item *Syrupo de Papauere*, *Diacodio*, & similibus aliis regiis ac nobilissimis *Antidotis* ac *compositionibus*, quibus omnibus in communi vsu, sine insigni dispendio & iactura ægrotantium, carere minimè sustinemus.

Quapropter tantis *Opii*, *opiatarumq; Compositionum* virtutibus adducti *Chymiatri* moderni, ex eodem *Opio*, additis corrigentibus pretiosissimis, LAVDANVM illud OPIATVM, in forma nunc *Electuarii*, nunc *Extracti*, nunc *Antidoti*, egregie elaborarunt hactenus, vt id ob stupendas & laudatissimas suas vires, quas in ægritudinib. exhibet, laudari satis vix, ac ne vix quidem queat. *Laudabile medicamentum, quod planè suo nomini respondet, si* LAVDANVM *dicas*: vt exclamat *Croll. Basil. Chym.* c. VII. *d. Arcano Anodyno, mitigatiuo, & somnifero*, id est, LAVDANO. *Confert enim citra molestiam & cerebri vllam perturbationem, aduersus omnis generis dolores, à quacunq; causa subortos, contrà omnes hæmorrhagias, siue fluxus sanguinis à quacunque corporis parte fuerint; contra omnes defluxiones, & fluores ventris, dysentericos, hepaticos, lientericos, & similes: & ad inducendam gratam tranquillitatem in Febribus ardentissimis, in quibus ipsis rationis sensus læditur, & in phrenesin æger plerumq; delabitur*: vt rectè disserit *Ios. Quercetanus pharm. dogmat. restitut. cap.* XXIV. *d. Antidot. Narcot.*

Hoc diuino *Nepenthes* medicamento, ac *Moly Homerico*, quod, quia somnum facit, vigiliam, labores, atque inquietudines abarcet ab ægris, ideoque arcanum est in *Medicina*, imò suprà gemmas omnes ac lapides pretiosos æstimari debet, (vt autor idem *Crollius*) *Clarissimus Medicus, Georg. Horstius, Archiater Vlmensis*, deploratissimam nuper hæmorrhagiam, remediis aliis nequicquam proficientibus, propinatis paucis LAVDANI illius granis, magna non tàm admiratione, quàm cum rei Medicæ honore, oppido curauit: prout legere est in eiusdem *D. Horstii obseruationibus practicis*: vt plura alia eiusmodi exempla atque experimenta non accersamus.

Nihilominus tamen (quod seriò inculcandum est) vsus LAVDANI non nisi ab exercitato & docto Medico præscribendus, ineundusque est. Aliàs verè *dormideras*, vt *Hispanis* sonat, ac *lethæum* est *papauer*, ac mortiferum *Opium*, quod somnos in

mortem vsque continuat, si sinistre & in grandiori quantitate accipiatur. Præter *Galenum, Auicen. Plinium, Mnesidemum,* & alios, inter recentiores *Guilh. Fabricius, huius tempor. Chirurgo-Medicus clarissimus*, cautè tractandum *Opium*, atque LAVDANVM, admonet, cum nobilem is virum, eo abutentem, mortem sibi exinde intulisse obseruarit: vt est in *respons. eius d. admir. Hern. vterin. & part. Cæsar. histor. ad Mich. Doring.*

Quandoquidem ergò, prout suprà attulimus, *Opium*, vel in glandib. podici duntaxat suppositum, aut *dentium cauis* illitum, lethiferum fuisse compertum habeamus, quantò magis interius, præsertimque in copia, haustum, liquido interimere sataget? Vt eiusce vsus tantò magis in morbis, & affectibus, maxime in puerulis, & senibus nobis summa cum circumspectione suscipiendus sit.

Omnia enim fugienda sunt medicamenta, & pharmaca, quæ ex *Papaueris* succo confiunt, sensum stupefacientia: neque nisi extrema vrgente necessitate ad eorum vsum perueniendum: cum scilicet nullum aliud mitigatorium sæuissimis doloribus opem affert, succurritque; prout è *Galeno libr. de medicam.* monet *Remb. Dodonæus de plant. libr.* III. *cap.* XVI. *de papauere.* Qui plura scire desiderat, is legat *Mich. Doringii Medici Vratislauiensis Acroama de Opii vsu, qualitate calefaciente, virtute narcotica, & ipsum corrigendi modo.*

Quantum ad vsus *papaueris* externos attinet, ex eo *Togas* olim conflatas fuisse, autor est *Plinius libr.* VIII. *cap.* XLVIII. *de lanarum & vestium generibus. Crebra* (inquit) *papauerata* togæ) *antiquiorem habent originem, iam sub Lucilio Poëta in Torquato notata.*

Papauer album, & *satiuum*, ad colorandos pannos etiam adhibebatur. *Hoc enim præcipuum candorem lina & lanæ contrahunt*; vt habet idem *Plinius libr.* XIIX. *cap.* XXV. Hinc *Toga Papauerata*, à colore candido dicta est, *Græcè* μηκωνοειδὴς χιτών. Eadem *Toga Spissa* vocabatur: referente eodem.

Cæterùm, vt breuibus quoque de *Sesamo* dispiciamus, illud olim in *bellariis, pulmentis*, & cibis libisque *dulciariis* præcipuo loco fuisse, extrà controuersiam est. *Polyænus lib.* IV. *stratagemat.* meminit eleganter, in sumptuosissimam *Regis Persarum* mensam quotidie, inter innumera alia esculenta, *Sesami* puri decem *artabas*: itemque *olei Sesamini* decem *maries* insumptas fuisse. Ita enim habet *Græcus* textus *ibid.* σησάμου κεκαθαρμένου ἀρτάβαι δέκα. &c. Item: ἐλαίου σησαμίνου δέκα μάρεις: &c.

Homerus in Batrachom.

Οὐδ᾽ πλακοῦς τανύπεπλος ἔχων πολλὴν σησαμίδα.

Plautus in Pœnulo: *Obsecro herclè vt Mulsa loquitur.* Itemque: *Nihil nisi laterculos, Sesamum, papaueremq́, tritum, & frictas nuces.*

Villanouanus Animaduers. libr. IX. *adu.* XVII. *Antiqui* (ait) *videntur operibus præsertim dulciariis, & placentis interdum, palati gratiâ: Sesamum aspersisse.*

Turnebus aduers. libr. XIX. *cap.* VI. *Sesamum*, *ait, principem locum inter bellaria obtinuisse, ex hoc* PETRONII *loco, Athenæo, & Polluce, notissimum est.* Vide *Muretum*, & *Casaubonum*, suprà de *Papauere.*

Dalechampius comment. in Plinium, *libr.* XXII. *cap.* XIV. *Sesamo*, ait, *olim in bellariis vsi sunt, veluti re suauissimâ, & delicatissima, quod etiam nunc fit à Lucensibus.*

Myrme-

Myrmecides, autore *Plutarcho*, adeò acutum vidisse perhibetur, vt *Sesamo* insculpserit *versus Homericos*. Idem currum fabricauit, qui alis muscæ tegeretur.

Quod ad etymologiam facit, dicuntur *Grammaticis Sesama*, siue *Sesamum*, *Sesami*, *Græcis* σήσαμον. *Plinio* est Frugis genus: *Columellæ* verò leguminibus annumeratur. *Sesamus*, *idis*, σησαμὶς, placentæ genus est, ex *Sesamo*, & crudo *melle* confectum: quod & σησαμίτην *Græci* appellant.

Quamuis autem certum sit, veteres *Sesamo* in cibis familiariter vsos esse, prout nos hodie *seminibus anysi*, *fœniculi* aut *milii* in esculentis vtimur: sicuti ex *Dioscoride* affert *Camerarius* in *Mathiolum*: nihilominus tamen ipsius *Sesami* etiam tum vsum (vt suprà attigimus) *Dioscoridis* temporibus euiluisse, adeoque ab ipso tum *Dioscoride*, tum *Plinio*, conceptis verbis damnatum, adeoque interdictum esse, palàm est. Ità enim de *Sesamo* Dioscorides: *Sesamum* (inquit) *cibus ventriculo nocinus est. Comestum anhelitus difficultatem parit, & intrà dentes adhæret.* Plinius lib. XXII. cap. XIV. *Sesamum*, ait, *stomacho inutilis cibus, animæ grauitatem facit*, &c. *Oleum* tamen *Sesaminum* ex semine expressum, contrà *Colicam*, *Nephritim*, & *Histericas* passiones prædicat *Mathiolus*. Idem *Mathiolus*, an hodie verum illud antiquorum *Sesamum* habeatur, anceps est; cum illud ipsum, quod Græci ψευδόλινον, Latini *Pseudo-linum* (quod velut lolium sit intrà linum nascens) officinæ vulgò *Sesamum* appellant, verum potius *Myagrum* esse censeat. Itaque vulgare *Sesamum*, quòd descriptioni veterum non conueniens sit, *Pseudo-sesamum* interim nuncupat.

De eo autem, vt vt sit, *Sesamo*, inter alios, ista quoque adiicit *Lonicerus in herbis*: *Sesami semen ex albo citrinum est, gustu dulce, fringillis, & acanthidi gratum esculentum.* Et paulò pòst: *Semen pani incoctum dulcem ei saporem conciliat, separatim verò comestum, stomacho aduersatur. Oleum eius gratum ac dulce est.* E quibus consectarium sit, *Sesamum*, cibis, vel panibus mistum, facilius in vsum alimentarium duci posse, quàm crudum & separatim comestum.

Quòd hodie itaque vsus *Sesami*, veteribus adeò delicati, & consueti, cessauerit, imò etiam interdictus sit, non solum ex communi hominum vita, sed etiam ex verbis *Dioscoridis* ipsius, clarum fuerit, quæ causa subsit. Ità autem ille luculenter de *Sesamo*: *Sesamum ventriculo nocinum est*; *comestum anhelitum difficilem creat*, *atq; intra dentes adhæret.* Idem totidem fermè verbis astruit *Plinius*: *Sesamum stomacho inutilis cibus. animæ grauitatem facit.* Eius igitur vsum potius medicamentosum, atque externum esse, quàm alimentosum, atque internum, docet *Dioscorides*: prout videre est apud eundem *lib.* II. *de Vegetabilib. cap.* XIV. Idem *Dioscor.* meminit quoque alterius *Sesami* speciei, quam *Sesamoiden* appellat *lib.* IV. *cap.* CXLVII. Et est duplex *Sesamoides*, magnum & paruum; *Sesami* vtrumque simillimum: vt est *lib. cit. cap.* CXLVII. VIII. sed neutrum eorum in numerum esculentorum adducit.

De *Sesamo* ergò, cur id hodie in cibis non veniat, ex *Dioscoride* & *Plinio* ratio in promptu est, vt *Medicorum* moderuorum suffragia super hoc aliundè accersere superuacaneum futurum sit, cum vnius *Dioscor.* facilè autoritas multorum sit instar.

Quod verò tandem ad *Papauer* attinet; quamuis eiusce vsum apud *Dioscorid.* aut *Medicos* alios, præcisè interdictum non inueniam; nil-minus tamen, si quid iudicare possum, quòd hodie id pro alimento non sit, arbitror sequentes subesse caussas:

I. Quia omne *Papauer*, iuxtà *Mathiolum*, & receptam *Medicorum* sententiam, in quarto atque vltimo gradu frigidum est. Eapropter, maximè ea, quæ excessiuarum

sunt qualitatum, rarò, aut nunquam, in vsum alimentarium ducuntur, quòd corpus nimium, & vehementer alterent: præsertim, cum etiam in iis ipsis, *Papaueratis* atque *Opiatis* maximè, internè, quoad vsum medicinalem, assumendis magnâ cautione meritò sit opus. Cùm igitur aliquis *Euphorbio* (quod in quarto & vltimo gradu calidum est) pro medicinâ non facilè vti velit, aut debeat, nisi cum magna circumspectione, ac euidenti non sine periculo, quis eidem autor foret, nisi inuidus, vt eodem *Euphorbio* familiariter vteretur, & quidem in maiori quantitate, crebriorique vsu? An non hoc ipsum esset, de corio humano ludere, velut *Medicis* imperitis obiicit *Plinius*? Eadem est ratio cum *Papauere*, atque *Opiatis*. Quæ cùm non nisi cum prudentia cautè danda sint pro medicina, idque saltem in summa angustia, ac grauissimis accidentibus, ecquis tam temerariæ frontis futurus est, vt ea ipsa pro eduliis quotidianis vsurpanda introducat, persuadeatque?

III. Accedit, quòd *Italica* regio nostris hisce locis multò calidior existit, eáque fors ratione tolerari facilius *Papauer* ab *Italis* queat, quorum corpora, & stomachi calidiores, atque ad id obsonii genus assuefacti, frigidas istas *Papaueris* qualitates sustinere melius valeant.

III. Quis verò dubitet, illud PETRONI impropriè, metaphoricôs, adeoq; prouerbiali sermone introductum fuisse? Quo nomine admodum miror, magnum illum superiori ætate literarum Herculem, *Desiderium*, inquam, *Erasmum*, in aureo alioquin atque operoso opere *Adagiorum*, elegantissimæ huiusce parœmiæ mentionem nullã mouisse: cùm non tàm simile sit ouum ouo, quàm hæc locutio prouerbio: *Omnia dicta factaq́; tanquam papauere & sesamo sparsa.* Quæ locutio *Plauto* quoque, linguæ Latinæ ornamento, familiaris fuit. Reducta itaque hic metaphora est à cibis, qui veteribus solebant condiri atque aspergi *Sesamo* ac *Papauere*, tanquam condimentis dulcissimis. Prout igitur orationem aliquam aut sermonem mellitum dicimus, ita cum ARBITRO nostro eundem *Sesamo*, ac *Papauere*, κατ' ἐξοχὴν, aspersum esse profitebimur. Semina enim *Sesami* ac *Papaueris*, quoad gustum & saporem, gratissima esse, suprà docuimus. Huic effato astipulatur vltrò *Casaubonus Animaduers. in Athen. lib.* III. *cap.* XXVII. *Ideò* (inquit) *cùm aliquid studiosè politum significare vellent*, σησαμώδης, *& papauere, ac sesamo sparsum dicebant.*

IV. Ea dulcedo quoque rectè intelligitur de effectis atque operationibus *Papaueris*. Quod sine dubio quouiscunque etiam modo intus assumatur, gratam ac dulcem pariter quietem, somno obrepente, introducit. Ecquid enim dulcius *Somno*? *Nasonis* illud isthîc locum meretur, *lib.* XI. *Metamorph.*

Somne, quies rerum, placidissime Somne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministeriis mulces, reparasq́; labori.

Eiusdem nobiscum sententiæ est *Francisc. Daniel, Aurelienßis Iurisconsultus, in notis ad* PETRONIVM: qui quidem veterem lectionem maximè probat de *Papauere* ac *Sesamo*, quæ rationem habet; etsi impressi Codd. habeant *Samsuco. Significat autem* (inquit) *soporifera, & aurium delenifica.*

Non abs re igitur matres infantibus insomnibus, quò rectiùs dormiant, *semen papaueris albi* lacte, vel pulticulâ decoctum, exhibent; vnde & ipsum nomen ei inditum, vt initio diximus. Interim hîc etiam ceu nimia quantitas facilè damno est, ità crebrior vsus sine detrimento haud reiteratur.

Caput

Caput II.

G*Lires* an veteribus pro cibo venerint? Hodie nostris *Mures* (*Glires* maximè) venenati atque abominabiles. Quamuis eorum carnes, decocta atque excrementa, in medicina vsum habeant. Animaleulum itaque licet abominandum, non tamen illicò contemnendum. *Cancri* horriduli sunt, & tamen illis vescimur. Sunt etiam multis *Ranæ* palustres, & *Testudines* tam nemorales, quàm marinæ, *Catelli* item & *Feles* domesticæ, in delicijs. Quidam *Araneis* etiam vescuntur innoxiè. *Viperis* vtimur in *Theriaca*. *Mithridates venenis* familiariter vsus est. Sunt, qui *vitrum* comedunt, sicut fertum *Struthiocamelus*. *Glirium* igitur esus & vsus apud *Romanos* probabilis. Coctura & præparatio ciborum multum malignarum qualitatum absumit: sicut in medicamentorum præparationibus euidens. *Corrigentia* etiam quæ tam cibis quam pharmacis, adduntur, non frustranea sunt.

QVANTVM ad *secundam Quæstionem*, priori affinem, facit, vbi ex his verbis apud ARBITRVM nostrum *pag.* 13. occurrentibus: *Glires melle, & papauere sparsos*: non immeritò rogatur, *Cur hodie Glirium esus non sit in vsu*, imò potiùs eiusmodi edulium sit abominabile atque penitus interdictum?

Ad quæ quidem sic excipimus: Nisi æquiuocatio sit in vocabulo *Gliris*, aliterque id interpretandum veniat, ac legitur, non immeritò de *Glirium* esu dubitari isthìc posse, præsertim, cùm tale cibi alimentique genus, (nisi fors in obsidionibus vrbium diuturnis & pertinacibus) hisce in locis inauditum, incognitumque, imò dictu infame potiùs sit, cum communi hominum sententiâ omnis *Murium*, ne dicam *Glirium* (qui eo in genere mures pessimi maximique, imò summè venenati, adeoq; ipso aspectu formidabiles habentur) genealogia pro venenatis abominandisque, inprimis, quà esum minimè idoneis animalculis habeantur: *Murium enim carnes* (inquit *Gesnerus de animalibus*) *à nemine vsurpari debent. Quandoquidem memoriam lædunt, surditatem, & ventriculi subuersionem afferunt.* Vt verò rectius aliquid super hoc quæsito determinare possimus, veteres nobis inprimis scriptores, antiquitatum testes, excutiendi veniunt.

Glis interim est animal *Muri* simile, maiori tamen corpore: nutritur in arboribus, & bonam anni partē somno consumere dicitur. *Græcis* ἐλειὸς est. *Belgæ* vocant Feldmüysse. *Somniculosos ille porrigit Glires*, inquit *Plinius lib.* VIII. *cap.* LVII. Hinc *Martial. Epigr. lib.* XIII.

Tota mihi dormitur hyems: & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus habet.

In *Adagium* itaque abiit: *Glire somnolentior*: quod in inertes, desides, atq; pigros torquetur. Antiquitùs *Glires* dicti sunt à *gliscere*: quod est crescere, pinguescere. *Gliscere* enim est crescere. Hinc *Glires* dicti, qui somno gliscunt: id est, crescunt, fiuntque pinguiores: vt autor est *Phil. Beroaldus in Annotation. ad Columellam*. Idem enim legitur apud *Columellam* ipsum: *Quasi pabulo gliscit*. Et *lib.* II. *cap* XIV. de *Gallinis farciendis* idem sic loquitur: *Primâ Lunâ saginari cœpta vicesimâ pergliscit*. Hinc Antiqui *gliscerás mensas* dicebant opimas, & lautas, quasi gliscentes per instructionem Epularum: vt autor idem *Beroaldus*.

Indos hodie quoque *Calecutos* inprimis incolas, vt vocant, *Mures* sole tostos comedere ferunt. Nec non in *Occidentalibus* quidam eorū carnes manducandas esse præcipiunt. *Hannibalis* temporib⁹, vbi *Casilinum* is oppugnaret, vnus *Musculus* pretio ducentorū coronatorū coemptus fuit; cuius vēditor fame periit, emptor verò seruatus est: vt ex *Plinio* [illegible]

asserit

asserit *Gesnerus*. Idem autor meminit decoctum *Muris* cum *Verbena* potum *Anginæ* mederi.

Sicubi igitur *decoctum Muris* pro Pharmaco assumi possit, quid obstat, quin etiam in vsum alimentarium respectiuè duci queat, cum eo pacto tàm venenatum existere non possit? Quid? quòd *Murium stercora* tantum non in *suppositoriis*, sed etiam intra puerorum corpuscula assumpta cum pultibus pertinacem aluum subducunt: prout muliercculis & obstetricibus notum est? *Gesnerus* contrà *Thoracis & Pulmonum* affectus, nec-non passionem *hæmoptoicam*, *Muris* cum *oleo & Sale* cocturam, detractâ tamen pelliculâ, propinat. Vt nihil dicamus, *Murium* combustorum *cineres* in potu assumptos, *Nephriticis*, & *Vrinæ* retentioni mederi: sicut eosdem etiam externè cum adipe vrsino impragnatos variis affectibus prodesse: sicut itidem legere est penes eundem *Gesnerum*.

Ex his itaque, & pluribus aliis autorum testimoniis perspicuum euadit, *Murium* comestionem (quorum *Glires* antesignani, & apud nos maximi) adeò absurdum non esse, cum in *Medicina* vsum insignem caro eorundem habeat. Quî autem hodie fiat, vt esus *Glirium* interdictus, imò abominabilis sit, caussam in diuersarum *Nationum* cùm mores, tum consuetudinem, tum etiam particularium nonnullorum hominum *ἰδιοσυγκρασίαν*, referendam putamus.

Sic *Hispani* (nisi genti fiat ignominia) dicuntur delectari esu *catellorum*, vel *felium*. Quod quidem obsonium nostrates illis libenter relinquunt, nec inuident.

Eædem atque aliæ gentes, præsertim maritimæ, esu *Ostreorum*, *Conchylium*, inprimis *Testudinum* tàm marinarum, quàm nemoralium, impendiò delectantur: quale cibi genus, præter *Græcos*, *Croatasq;*, qui illas adeò abominātur, vt palis hinc-inde affigant; prout autores sunt *P. Bellonius* & *Carol. Clusius*; non pauci *Germanorum* abhorrent, licet eorundem esus & vsus, à nostratibus, qui peregrinationibus student, familior euadat. Sic memini me in *itinere Romano*, cum *Quadragesima*, vt vocant, seu *Carnisprinii*, tempore, *Româ Venetias* recurrerem, in *Rauennatum* confinibus, cum sociis *Ranulas* palustres probè frixas, prioribus & pectore abiectis, non semel comedere: quod dubio procul his in locis difficulter fecissemus.

Neque verò ea semper animalcula, qualia specie atque aspectu-tenus terribilia sunt, eapropter venenata, aut ex alimentorum & deliciarum numero exterminanda veniunt. Quis enim non *Cancris*, (qui specie etiā horriduli) præsertim marinis illis magnis, cum voluptate libenter vescitur? Annon *Veneti*, aliiq; populi maritimi, tot & tot *Piscium*, (quorum mille ac mille formæ) *Gammarorum* item & *Sepiarum* generibus innoxiè vescuntur? quæ formâ externâ bonam partem adeò atroces & formidabiles apparent, vt etiam aliquis attrectare subterfugiat? *Venetiis*, inter innumera reliqua, certum quoddam *Piscium* genus est, quod illi *Pesci Grati* vocant, instar *passerum*, adeò nigrum & deforme, vt atramento scriptorio tinctum esse iures, imò ob attam illam mucilaginē, non immerito auersari possis: nihilo-minus ex illorum coctura cum *oleo*, *sale*, & *aromatibus*, iucundum fit esculentum.

Quis verò *Anguillis* abstinet, quarum carnes plerisque adeo in deliciis? Et tamen illæ è *serpentum* prosapia prodeunt. Imò dantur etiam, qui ipsas *Serpentum* carnes non solùm absque noxa assumunt, sed etiam *Bezoardico animali* (ceu nuncupant) puluere inde præparato se se etiam contrà omnis generis venena eo *Alexipharmaco* præmuniunt,

muniunt, præseruantque. *Agyrtæ* & *Circulatores* id clamant in triuiis, vt testimoniis pluribus haud sit opus. Ferunt *Simonem Simonium*, excellentissimum illum Philosophum, & ab eo doctum *Iohan. Matth. Wackerum*, Cæsar. Maiestatis qnondam Consiliarium, quotidie comestâ carnis serpentinæ præparatæ & rostæ particula, vitam vegetam ad summam senectutem perduxisse. Carnes insuper *Viperarum* (quæ *Serpentum* venenatiores) laudatissimam illam veterum, & regiam compositionem *Theriacæ* ingrediuntur: imò etiam sine basi hac velut, *carne viperinâ* scil. *Theriaca* constare non posse, iudicatur. Nostri itaque *Pharmacopæi*, in defectu ipsarum *Viperarum* (in *Germania* quippe non dantur) *Trochiscos de Viperis* præparatos *Venetiis*, aut *Patauio*, non sine sumptibus, ad *Theriacam* conficiendam, accersunt. Sed isthæc in propatulo sunt.

Quid verò porro de eo enuntiandum, reperiri haud rarò homines, qui sine incommodo *Araneis* vescantur? Vidi nobilem puerum, qui *Araneos*, nescio an temeritatis, ostentationisque igitur, hinc-inde, multis spectantibus, in angulis venabatur, ac præreptis pediculis, innoxiè deuorabat. Audio etiam à nonnullis *Araneos* magna cum voluptate colligi, ceu lauticiæ inde parentur pro palato. Illis equidem libens istas cupedias relinquendas esse censeo: cùm dubio procul haud infrequenter temeritatē istam noxa comes sequatur. Quem in modum *Comiti* cuidam *Dantisci* euenisse scribit *Keckermannus, lib. III. Systam. Phys. cap. XII. qui in gratiam alterius sui amici vitrum deuorabat. Is autem postea tantos sensit cruciatus, vt moribundum sibi fuisset, nisi Medicus arte quadam id auertisset. Nam coxit frumentum Saracenicum,* Buchweitzen Grütze/ *eiq, comedendum ita crassiusculè dedit, vt nempè particula vitri sese immiscerent pulti isti crassiori, & ita simul excernerentur.* Pari modo *Lazarum* quendam ab eo, quòd *vitra*, sine notabili noxá, assiduè deglutiret, *Vitriuoracem* cognominatum superiori seculo fuisse, idque insolens pabuli genus crebrius vsurpâsse, autores perhibent.

Struthiocameles denique, ferrum atque aurum concoquere, testatur *Plinius.* Etsi autem plerique opinentur, eos ferrum, vel aurum ex ingluuie quadam nude deglutire, prout canes ingluuioli multoties crines, & similia deglutiunt, quæ tamen paulò post reuomunt, quia decoquere non possunt: nihilo-minus tamen *Ioan. Langius in Epistolis*, reiicere illud videtur in certam quandam ἰδιοσυγκρασίαν & qualitatem ventriculi occultam, quâ *Struthiocamelorum* stomachi valentes, insigni suâ caliditate aurum, & ferrum comestum liquefaciunt, concoquuntque. Ita autem ille *Struthiones* (ait) *conflata auro, vel alio metallo numismata in horto Ducis Ferrariæ deglutire, & concoquere vidi.* Idem ferè subiicit de *Muribus*, & fermè magis admirandum: *Cum metallorum scobem adeo appetant Mures, credibile est, eos metalla concoquere, atque ab his nutriri.* *Theophrastus* etiam autor est, *Mures*, in *Gyaro Insula*, incolis expulsis, ferrum arrosisse. Similiter tradunt, *Mures Lauinii* clypeos argenteos corrosisse, & non leue apud *Chalybes* in officinis ferrariis damnum intulisse.

Quemadmodum igitur specificæ & occultæ proprietati tribuendum est, quòd *Struthio* ferrum, aut aurum concoquit, ita quoque in peculiarem ἰδιοσυγκρασίαν atque identitatem referendum sit, quòd hic vel ille *Vitrum*, aut simile quid, alios ipsos *Araneos* absque noxa deuorat: cum alioquin ab aliis inopinato atque inscienter in potu hausti *Aranei*, vt ab aliis serpentes pro anguillis per imprudentiam cocti, interfecisse animaduersi sint: sicut & *Comiti* illi accidit, qui ex *vitri* temeraria comestione morti proximus erat: vt superius ex *Keckermanno* constat.

Quapropter *Glirium Melle* ac *Papauere* sparsorum vsum atque esum, *Romanis* olim familiarem extitisse, facilè concesserim, cùm & alia multa ea tempora, eæque gentes tum in vsu habuerint, quæ iam-dudum, præsertim apud nostrates, euiluerunt. Quis facilè hodie *Mithridatem, Ponti Regem*, imitabitur? Qui cùm venenorum præsentissimorum vsum esumque à teneris, ne toxico periret, sibi familiarem & quotidianũ reddidisset, tandem, vbi a *Pompeio Magno* acie victus vitam sibi adimere cogitaret, naturam deleteriis assuefactam toxico ipse hausto debellare, sibique necem asciscere nequicquã potuit. Pariter illa puella, quæ *Alexandro Magno* missa fuit, venenis ab infantia nutrita, & educata erat, ità vt concubitu etiam suo interimeret. At, quis similiter hodie facere ausit? Quis temerarius venenum præsentissimum sumeret, nisi insanus, aut mentis impos? Quis verò etiam *Araneis* vesceretur, nisi verè *Arachnes* filius, id est, vitæ suæ contemptor, & temerarius? Quis denique pariter hodie, præter hominum nostratum morem, *Glirium* carnibus in victu vteretur, & experimenta per morbos mortesque faceret, cùm, Dei gratiâ, tot alia prostent nobis lauta esculenta, ac deliciæ alimentariæ? Sed isthæc de esu Glirium apud Romanos olim obiter.

Addo insuper, superpõdii igitur, Glires illos penes *Romanos* dubio procul optimè coctos, & vnà additis corrigentibus (prout *Mel* & *Papauer* esse possunt) præparatos fuisse. Quis autem nescit, *Ignis* & *Vulcani* beneficio hodie à *Chymiatris* nostris, deleteria maximè medicamenta, è *Mercurio, Arsenico, Antimonio*, & similibus constantia, totâ aliàs naturâ summè venenata, reddi corpori humano amica, innoxia, adeoque contra multos grauissimos affectûs præsectuatiua atque alexipharmaca præstantissima? sicut videre est apud *Crollium, Quercetanum, Libauium, Beguinum*, & alios autores *Chymicos* præcipuos. Quis inficiabitur, coctionis vi, ignis præsertim, omnem, aut potissimam cruditatem fructibus horariis ac vegetabilibus præcipuè adimi, ità vt meliori cum commodo intrà corpus assumi possint? Sic *aqua cruda* in *Febribus* à *Medicis*, ob cruditatem suam, haud admittitur facilè. Si verò ea, vnà cum corrigentibus, alterantibusve, vel nudè saltem, aut crustâ panis iniectâ, cocta sit, tùm demum innoxia magis censetur, & quæ tutò propinari possit. Etenim in coctione absque dubio, vi ignis, atque elixationis, multæ partes terrestres, crudæ, ac venenatæ sæpè resoluuntur, purum à puro (vt aiunt *Chymici*) segregatur, multa in vapores abeunt, atque exspirant. Quem in modum expertus ipse sum e *Flores* ac *Vitrum Antimonii* calcinatum, multum remittere virium suarum in purgandis corporibus, si nimium coctum fuerit, antequam propinetur. Idem euenit in aliis.

Quod ipsum etiam eleganter conspicuum est in *Solis* vi, ac coctione, vel maturatione. Ea enim dum sub *Horizonte* diutiùs fructus omni-varii perfruuntur in *Æstate*, tandem è crudis, noxiis, & semi-venenatis redduntur maturi, cocti, & hominibus amici, suauesque, humoribus in iis scil. ad putrefactionem dispositis, vi *Solis*, ceu ignis, extractis, euocatisque. Sic ab immaturis *Pomis, Pyris, Persicis, Vuis, Ficubus*, & consimilibus, sæpenumerò & perquàm familiariter *Diarrhœa, Dysenteria, Tormina*, atque alii affectûs lethales, maligni ac contagiosi oboriuntur, non alia de caussa, quàm à cruditate, cùm putredine fructuum immaturorum, crudorumque coniuncta.

Accedit denique, *Romanos* dubio procul *Corrigentia* in cibis ac lautitiis minimè neglexisse, præsertim delicatioribus, prout nostrâ ætate cum *Fungis* fit, *Cucumere satiuo*, *Ostreis*,

Ostreis, & *Testaceis*, quæ omnia probè prius *Pipere, Sale, Oleo*, atque eiusmodi aromatibus condiuntur, corriguntúrque, antequàm apponantur.

Eosdem partes quasdam *Animalium* porrò magis suspectas, atque in quantum venenatas, abscisse & sequestrâsse ab edulis, facilè persuadeor. *Caudas* itaque Glirium cumprimis (in quibus vulgus præcipuum *Murium* virus residere colligit) non comestas, sed sequestratas fuisse, credibile est. Sic hodie in *Officinis Pharmacopœu Cantharides* præparantur, *alæq;* abiiciuntur, & *pediculi*, tanquam magis venenata. Sicilli etiam, qui *Araneorum* venationem instituunt, eosdemque deuorant, obseruantur pediculos eorundem priùs præreptos proiicere. Sic *Serpentes* etiam in *Caudis* notantur præcipuam virulentiam, & sub lingua (vt *Viperæ* maximè) occultare. In homine etiam (si comparatio hîc etiam instituenda) obseruamus, simili ferm è ratione, purissimam *Bilem* in capsulam & folliculum, quam *Vesiculam fellis* indigetant, coaceruari asseruatique, prout ferè *Viperæ* subtus linguam vesiculas veneno purissimo plenas habere conspiciuntur. Sed hæc de GLIRIBVS hactenus: de quibus vide intrà *lib. 1. cap.* XIV.

Caput III.

S*Omnus* quid, & qualis? Eius caussa efficiens, materia & finis: nec-non commoda, atque vtilitates in morbis. *Tertiana febris* non vnica, nec simplex. Illi, sicut omnibus *Febribus*, in genere, humectantia competunt, autore *Hippoc.* Inter quæ *Somnus* maxime excellit; quippe humectat. Ideoque *Tertianæ* etiam conducit. Tribus modis autem *Somnus* potissimum expedit, scil. humectando, vires reficiendo, concoquendoque. Ideoque in morbis à *Somno* optimum desumitur prognosticum: modò secundum naturam eueniat. Hæc ità obiter ad quæstionem propositam è PETRONIO respondentur. Quamuis tamen longè alia sit ARBITRI nostri sententia: quæ hîc in epilogo attexitur. Solebant enim ægrotantes non quidem *Somno Tertianæ* mederi, sed, qui ægrotabant, in templo *Æsculapii* excubantes in somnis per reuelationem contrà ægritudines remedia à DEO exspectabant.

PAG. 7. *Quartilla* inquit: *Ipsa quidem illâ nocte vexata, tàm periculoso inhorrui frigore, vt Tertianæ etiam impetum timerem. Et ideò medicinam somno petii, iussáq; sum vos perquirere, atque impetum morbi monstratâ subtilitate lenire.*

Hinc quærit à nobis *Dn. Goldastus*: *Quomodo Somnus possit* TERTIANÆ *mederi?*

Ad quæ respondemus: Hoc primo statim in limine, primoque intuitu definiri ità facilè non posse, nisi priùs, quid sit *Somnus*, quæque eiusdem qualitates; & denique, quid *Tertiana*, & qualis, explicatum sit.

Quantum ad primum igitur attinet: *Somnus* (naturalis, inquam, de quo istîc agitur) *nihil aliud est, quàm animalium facultatum quies*: vt tradit *Galenus libr. 1. de Symptom. causs.* Et hæc definitio ab *effectis* sumpta est. *Aristoteles*, *Somnum impotentiam sensuum esse*, dicit, *lib. de Somno*. Rectè autem dicit esse impotentiam: quā interpretes benè tradunt, non esse abolitionē, amissionemq; sensuum, sed difficilem, & impeditū sensum. Dormientes n. sensuum non omninò sunt expertes, licet difficulter sentiant; vt testis est *Galen. l. 11. de motu musculor.* Quod igitur visus neq; colores, neq; auditus sonos, neq; olfact' odores, neq; gust' sapores, neq; tact' tāgibiles qualitates pcipit toto eo spacio, q

 somnus

somnus decurrit, hoc ad impotentiam refertur, imò ad *somni* etiam energian, quâ omnes sensus, & actiones animales velut ligantur. *Galenus* autem optimè edidit, *somnum* quietem esse actionum animalium: Ratio est; quia actiones cum *vitales*, v. gr. *pulsus*, *respiratio*; tum *naturales*, v. gr. *concoctio ventriculi*, quæ *somno* optimè celebratur; in *somno* nō quiescunt, sed etiam rectiùs perficiuntur. Quemadmodum quoque *Cordis* motum in *somnis* validiorem esse perhibent.

Quoad *materiam Somni*, inter recentiores lectissimus autor *Ioan. Heurnius*, eum ita definit: *Somnus est vapor quidam benignus sanguinis, spiritus, & humidioris arteriæ: qui per venas iugulares & per arterias carotidas fertur ad cerebrum, & sensum communem vincit: Comment. in Aphor. Hippoc. lib. 11.* Et hæc *Somni* etiam qualiscunque descriptio est. *Tribus* igitur *opus est, vt placidè dormiamus: Cerebro temperato: sapore benigno; & animo quieto:* vt autor idem *Heurnius loc. cit.* Multi siquidem oculis dormiunt, sed mente inquietantur; sicut vel è *Didûs* exemplo, ob *Æneæ* amorem sauciæ, planum est, apud grauissimum *Poëtarum*, *Virgilium, lib. iv. Æneid.*

----- Phœnissa nec vnquam
Soluitur in somnos oculis, nec pectore noctem
Accipit. -----

Erat autem ea prorsus insomnis atque inquieta.

Quod ad *Somni caussam efficientem* facit, merito statuitur cum *Galeno Cerebrum*, id est, primum sensorium, idque contrà *Aristotelem*, qui primum sensorium, sed frustrà, *cor* indigitauit: cuius-modi opinionis refutationem vide apud *Leonh. Fuchsium Instit. Medicar. lib. 1. sect. iv. pag. cccxlv.* *Somnus* igitur *Galeno* fieri dicitur, primo sensifico, id est, *Cerebro*, refrigerato. Prout *vigiliæ* vice-versâ accidunt contrà, primo sensifico calefacto. *Somnus fit* (inquit *Heurnius*) *cum sese* (*quamuis non quiescat*) *relaxat primum sensificum, quò spiritûs animales redintegrentur. Hoc autem euenit à blandioribus vaporibus sublatis sanguine ac suaui pituitâ in cerebrum: quibus refrigeratis, & in roscidum madorem coactis neruorum meatus obluuntur, & quasi obligantur.*

Finis ergo *Somni* hic primarius est, vt spiritûs animales restaurentur, tum vt totius animalis actiones de nouo robur acquirant, redintegrenturque: sicut est apud *Elegiaci carminis Phosphorum, Nasonem, in Epistol. Heroid.*

Quod caret alternâ requie, durabile non est,
Hæc reparat vires, fessaq́ membra leuat.

Huic *fines* alii succedanei sunt, vt scil. *coctio ventriculi* eò melius celebretur: *morbi item*, & *morborum symptomata* per *somnum* mitigentur. *Somnus enim* (naturalis) *cibos felicius concoquit, materiam morbificam mitigat, & symptomata omnia minuit. Hinc somno pueri vindicantur à grauissimis morbis. Vigiliæ contra relinquunt materiam crudam, atq́ indomitam:* vt differit doctissimus *Heurnius*. *Senibus* insuper *adeò conducit, vt nihil ferè aliud æquè senectutis siccitatem ac duritiem humectet, deperditamq́ in ipsis humidam substantiam magis reparet ac emolliat:* vt habet *Fuchsius Instit. medic. lib. 11. sect. iv. cap. 11.* Et hæc breuiter de *somni caussis atque effectis*.

Quantum ad TERTIANAM spectat, id vocabulum etiam indifferens, sicut *Tertiana* non vnica, est. Alia enim est *Tertiana continua*, à bile putrescente in venis *cordi* nō admodum vicinis orta; qua ratione à *Causso* differt, i.e. *Febre Ardente*, quæ oritur à bile in venis maiorib' cordi vicinis. Refertur igitur inter *Continuas*. Alia est *Tertiana Intermittens*,

orta

orta à bile putreſcente extrà venas per ſenſiles partes delata: prout communis fert opinio: ſecundum veriorem verò ſententiam profeſſorum, gignitur à bile circa *Meſenterium*; *Omentum, Ventriculum, Pancreas* &c. ſtabulante: prout tradunt *Fernelius, Platerus, Rudius, Heurnius*, autores doctiſſimi, contrà *Galenum*. Ea iterùm duplex eſt, vel *Tertiana Intermitens exquiſita*; vt quæ ex dominatu præcipuè bilioſi humoris oriunda eſt: vel *Tertiana Intermitens notha*; quæ ex humore bilioſo non ſincero, aut puro, ſed aliis humoribus, pituitæ inprimis, permiſto, prouenit, ita tamen, vt bilis prædominetur. Qualiſcunque igitur *Tertiana* ſit, intelligitur eſſe ex bilioſis maximè ſuperfluitatibus pronata.

Ex his præmiſſis facile intelligere eſt, quo modo *Somnus Tertianæ* vtilis, ac velut remedio eſſe queat. *Hippocrates* enim *libr.* 1. *aphor.* XVI. *Diæta* (inquit) *humida in genere omnibus febricitantibus conuenit.* Ratio eſt: quia acrimoniam caloris ſuâ humectatione retundit, materiamque digeſtionis capacem concoquit, expertem verò excludit, nec naturæ negotium facit, nec aluum ſuperat. Per *Diætam* autem genericè acceptam intelligitur tantum non ἁπλῶς ratio illa cibandi potandique, ſed reliqua quoque, quæ ad vitæ communis inſtitutum pertinent, prout ſunt res non naturales dictæ *Aër, motus*, & *quies, ſomnus & Vigiliæ, Animi affectus*, &c. quæ omnia cum *Diæta* maximam affinitatem, imò neceſſitatem coniunctam habent. Quod ſi itaque *cibus* & *potus* humectatis, *Febri* remedio eſt, quidni *Aër* & *ſomnus* quoque, inprimis humida, *Tertianæ* mederi debeant? Si calidior enim ſit *Aër*, alteratur inſperſione florum ſuper pauimentum cubiculi, aut aqua limpidiſſima, coram ægro in vitro cryſtallino ſæpius transfuſa, ut quo ita morbus magis expugnetur humectando, & qualitate contraria. Sic *Somnus* quoque, ſi fortaſſis breuior ſit, aut eius vice *Vigiliæ* (quæ ſolum calorem, tanquam efficientem, ferè agnoſcunt) obrepant, magis ad humectandum reduci poteſt, adminiſtratis iis intus foriſque medicinis, quæ eadem qualitate, mediocritateque pollent. Qualis verbi gr. eſt *Ptiſana*, iuxtà *Hipp.* & *Galeni* præceptum, propinata in omnibus *Febribus*, quæ vna omnes penè curandi intentiones, inprimis humectandi egregiam vim, ſortita eſt. Talis itaque eſt *Somnus*, quales ſunt *cibi, potus*, imò *vapores* è ventriculo in cerebrum aſcendentes. Qui ſi acres, igneique ſint, *Somnus* neceſſariò ſequitur aut nullus, aut paucus, tumultuoſuſque. Si verò vapores benigni, blandi ſint, inſtarque roſcidi alicuius madoris primum ſenſorium oblinant, irrigentque, *Somnus* quoq; naturalis, blandus, & mollis vt ſequatur, neceſſe eſt.

Cum igitur humida *Febribus*, iuxtà *Hippocratis* effatum, ſint omnibus maximè accommodata; quidni etiam *Somnus naturalis* (non *ſopor veternus*, aut *Carus*, qui ſunt præternaturales) blanduſque ſua humectatione, ex qua vniuerſus conſtat, mederi poſſit?

Interim, diſtinguendum hic eſt inter remedia: Alia enim ſunt actu talia, & primo contactu alterant, vt *venæ ſectio, ferrum ignitum, cauteria, Veſicatoria, ſcarificationes.* Alia ſunt medicamentoſa, & pharmaca propriè dicuntur, quæ potentia agunt, à calore intus naturali in actum deducta. Et hæc quidem confertim agunt, atque intrà modicum temporis ſpatium electiue, vt, vocant, certos humores ἄνω καὶ κάτω exturbant: ſicut ſunt *Rhabarbarum, Scammonium, Antimonii vitrum, Gummi gutta laxatiuum* &c. Alia ſunt alimentoſa & diætetica remedia, quæ naturæ amica facultate prædita, ſenſim corpus humanum, ſub ſpatio alicuius temporis continuata, & non confertim, alterare

Dd 3 ſuſti-

ſuſtinent: qualia ſunt *cibus, potus, ſomnus*, & id genus alia, ægri conditioni accommodata.

Somnus quocircà duobus modis (naturalis puta) *Tertianæ* remedio eſt, & humectando totius corporis habitum, & reficiendo ſpiritus, roburque toti homini addendo.

A ſomno enim experrecti, robuſtiores, & ad quiduis agendum aptiores nos eſſe animaduertimus, familiari vtiq. alimento nobis appoſito: vt diſſerit Fuchſius *lib. inſtit.* II. *ſect.* IV. *cap.* II. *Præterea concoquit non ſolum cibos ſed & humores, animi verò ægritudines obliuione delet, mentis inſaniam corrigit. Ibidem.* Hinc Hippocrates VI. *Epid. part.* V. *aph.* X. *Labor* (inquit) *articulis & carnibus, cibus vero & ſomnus viſceribus*: ſubintelligitur, vtilis. *A ſomno in morbis Acutis multum expectatur præſidii. Item ſomno pueri vindicantur à calamitoſiſſimis morbis*: vt habet *Heurnius com. in Hipp. l.* II. *aph.* I. *Somnus* (inquit *Liddelius*) *quantum fieri queat, imperandus eſt, quòd vigiliæ plurimum noceant: item quies imperanda. libr.* II. *de Febr. ardent. & Tertiana continua. Galenus Menandro Diaria* febricitanti ſumma ratione atque vtilitate ſomnum præcepit, *hiſtor. medicinal.* XLVIII. Et *ſomnum*, præſertim in *Febris* declinatione, cum vtilitate iniri, atque ab omnibus Medicis eruditis præſcribi, teſtatur *Bapt. Sylvaticus in enarrat. hiſtor. medicinal. Galeni. Hippocrates* ſaluris ſecuritatem *ſomnos* in ægris confirmare ſcribit *libello* περὶ κρισίμων his verbis: πᾶσιν ἐλαχίστῳ χρόνῳ μέλλουσιν ὑγιάζεσθαι &c. Id eſt: *Iis, qui breuiſſimo tempore ſanifuturi ſunt, maxima in totum ſigna contingunt, ſine dolore enim degunt, & extra periculum, & noctu dormiunt, aliaq. ſecuritatis ſigna proferunt. Actuarius lib.* II. *meth. med. cap.* II. *Somni* (inquit) *accidentes, qui anteà deerant, ægrum à languoribus leuant, & in plenitudine, ſimilibusq. morbis iudicii firmitatem ſtabiliunt.*

Quandoquidem itaque *ſomnus* eſt ceſſatio functionum animalium (vt dictum ſuperius) nec viſus aliquis fuit, qui in *ſomno* de frigore, rigore, aut paroxyſmo *Tertianæ* conqueſtus ſit, cum eo tempore bilis præcordiorum membranas non vellicet, aut, vt vult *Galenus*, è venis capillaribus in habitum corporis propellatur, vnde *frigus, horripilatio*, & *rigor* in *Tertiana*: meritò *Quartilla, periculoſum frigus paſſa, adeò vt Tertianam timeret, medicinam ſomno*, vt ait, *petiit*, tanquam anchoram, & portum ab omni inquietudine, laboreque immunem, vt qui cum humectando, tum reficiendo, tum denique in ſumma concoquendo, *Febribus*, atque inter eas *Tertianis*, apprimè medeatur. Humectatione ſiquidem igneus in *Febribus* corporis habitus in contrariam qualitatem (omnis enim cura penè à contrario) ducitur, biliſque ferocia in *Tertiana* prædominans retunditur. Imò refectione ſpiritus animales vitaleſque reſtaurantur, eoque modo roborato vniuerſo natura robuſta inſurgit ad hoſtem, id eſt, morbum foras eiiciendum. Naturâ enim per confortantia atque ſimilia, vt vocant, roborata, virtus fortior reddita morborum victrix euadit. Denique humorum concoctione morbi redduntur breuiores, criſiſque ſalutari finiuntur.

Vt ità quantum ad ipſam quæſtionem, ex præmiſſa deductione liquidiſſimum euadat; *ſomnum Febribus, & quidem Tertianis*, mederi: *Humectando* ſcilicet, *reficiendo, & concoquendo*: Id quod huius reſolutionis eſt conſectarium.

Qui plura de *ſomni* commodis in morbis cognoſcere cupit, euoluat, inter alios, *Proſp. Alpinum, de præſagienda vita & morte ægrotantium, ex ſomni conditionibus, libr.* II. *cap.* XXIII. Hæc obiter, quantum ad quæſtionem.

Cæterum, pro epilogo huius diſſertationis, notandum venit; etſi quidem

ſomnum

somnum Tertianæ e medio esse ex placitis *Medicorum illustrium* apprimè demonstrari possit: nihilominus aliam in verbis præallegatis, in limine huius quæstionis, PETRONII mentem subesse, aliterque *somnum* illum interpretandum venire, ex ipso PETRONIO fit euidentissimum. Quod, ne præteriisse videamur, sic probamus. *Quartillam* sacerdotem *Priapi* fuisse, ex *Petronio* notum est. Solebant autem sacerdotes in *Priapi*, (vel *Æsculapii* potius) sacello noctu excubare, &, per somnia, Deorum consilia, vel remedia contra morbos, sciscitari, qualia ipsis reuelabantur.

Et hinc est, quod *Quartilla* ait in verbis propositæ quæstionis, se medicinam somno quæsiuisse, id est, reuelationem remedii à *Priapo*, (vel *Æsculapio*) per somnos exspectasse: Sic enim *pag.* 7. porrò confirmatur, vbi *Encolpius Quartillam* his verbis consolatur: *Nam neque* (inquit) *sacra quenquam euulgaturum, &, si quod præterea aliud remedium ad Tertianam Deus illi monstrasset, adiuuaturos nos diuinam prouidentiam vel periculo nostro. Suetonius in Vespasiano: Orantes* (inquit) *opem valetudini demonstratam à Serapide per quietem restituturum oculos, si inspuisset.* Ibidem apud PETRONIUM, paulo ante, *Quartilla* inculcat, solicita, ne quid sacrorum, & nocturnæ illius religionis eliminetur. Sic enim ad *Encolpium*: *Maior* (inquit) *enim in præcordiis dolor sæuit, qui me vsque ad necessitatem mortis deduxit. Ne scilicet iuuenili impulsi licentia, quod in sacello Priapi vidistis, vulgetis, Deorumq; consilia proferatis in populum.* Ibidem ista subiicit: *Protendo igitur ad genua vestra supinas manus, petoque & oro, ne nocturnas religiones iocum risumque faciatis, neue traducere velitis tot annorum secreta, quæ mystæ vix omnes nouerunt.* Quin imò *Quartilla*, *pag.* 7. in verbis quæstionis propositæ seipsam luculenter explicat: *Et ideò* (inquit) *medicinam somno petii, iussaq;* (id est à Deo) *sum vos perquirere, atque impetum morbi monstrata subtilitate lenire.* Id ipsum paulò clarius docetur *pag* 33. vbi *Lycas* inquit: *Videbatur mihi secundum quietem Priapus dicere, Encolpion, quem quæris, scito à me in nauem tuam esse perductum.*

Et paulò post: *Exhorruit Triphena. & putes, inquit, vnà nos dormiisse: nam & mihi simulacrum Neptuni, quod Baiis tor asylo notaueram, videbatur dicere: In naui Lycæ Gytona inuenies.* Idem, superpondii vice, elicitur ex *pag.* 34. vbi in hæc verba habetur: *Et quid fecissent, admonuerunt pari somniorum consensu.*

Ex quibus omnibus veritas quæstionis apparet; quam nihilominus ex *Medicorum* illustrium placitis exposuisse, licet extrà oleas, & limites, quod dicitur, parum, aut nihil nocuerit.

Seruius Honoratus in *Virgil. lib.* VII. *Æneid. Incubare propriè dicuntur ii, qui dormiunt ad accipienda responsa. Vnde est; ille incubat Ioui, id est, dormit in Capitolio vt responsa possit accipere.* Sic igitur ægroti in *templo Æsculapii* incubabant ad remedia per somnium accipienda. Cuiusmodi *templum Æsculapii* in *Epidauro* fuit, ad quod peregrinari solebant ægroti ex variis locis, vt somnia captarent, quibus bonam valetudinem à Diis ostensam coniectarent, quemadmodum ex *Synesio* & *Strabone* docet *Bapt. Pius Annotation. posterior. cap.* 10. & post eum multis aliorum veterum auctorum testimoniis comprobat *Adrian. Turnebus lib.* XI. *Aduersar. cap.* VII. *Taubmannus ad Plaut. Curcul. act.* 3. *sc.* 1. Weitzius noster *in Not. ad Prudentii Hamartigen.* Quibus concinit *Ioan.* W*ouuerenus in Animaduers. ad Petron. Per quietem* (inquit) *à Diis monstrata medicina. Itaq; ægrotantes in templo Æsculapii cubare solebant, vbi somniantibus medicina indicata.*

Elegantissima huiusce rei, remediorum nimirum & curationũ per somnia gentilib. monstratarũ exempla nobis exhibentur apud *Hieron. Mercurialem, Medicum & polyhistora* cele-

cel. berrimum, qui *lib. 1. de arte Gymnastica cap. 1.* principia Medicæ artis, ex tabellis eiusm odi in fanis gentilium Deorum suspensis, præsertim ex remediis inibi reuelatis atque efficacibus, nata esse asserere non dubitat, quanquam ibidem minime certo affirmare velit, *Hippocratem* insuper, *Medicinæ* legislatorem, artem inde combinasse. Sic autem *Mercurialis: An totam* (inquit) *Medicinæ partem, quæ & ad sanos, & ad victus rationem pertinet, ex tabellulis, aliisue donariis, Æsculapii templo dicatis Hippocrates conflauerit: an verò solam in curandis morbis versantem Clinicen vocatam, quemadmodum Varro, Strabo, atq; Plinius credidisse videntur, mihi planè compertum non est: nisi quod fuit mos liberatos morbis in templo eius Dei, quid auxiliatum esset, scribere. Isq; à primis illis temporibus vsq; ad Antonini Imp. ætatem non modò in Græcia, verum etiam, in Italia perdurauit: vti præ cæteris ex tabella marmorea Romæ in Æsculapii templo in Insula Tiberina inuenta, & vsq; ad hanc diem apud Maphæos, conseruata intelligere licet, in qua Græcè hæc leguntur.*

I. Αὐταῖς ταῖς ἡμέραις Γαΐῳ τινὶ τυφλῷ ἐχρημάτισεν ἐλθεῖν ἐπὶ ἱερὸν βῆμα, καὶ προσκυνῆσαι, εἶτα ἀπὸ τοῦ δεξιοῦ ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ ἀριστερὸν, καὶ θεῖναι τοὺς πέντε δακτύλους ἐπάνω τοῦ βήματος, καὶ ἆραι τὴν χεῖρα, καὶ ἐπιθεῖναι τοὺς ἰδίους ὀφθαλμοὺς καὶ ὀρθὸν ἀνέβλεψε, τοῦ δήμου παρεστῶτος, καὶ συγχαιρομένου ὅτι πίσσαι ἀρεταὶ ἐγένοντο ἐπὶ τοῦ Σεβαστοῦ ἡμῶν Ἀντωνίου:

Id est:

Hisce diebus Caio cuidam cæco oraculum reddidit, veniret ad sacrum altare & genua flecteret, deindè à parte dextra veniret ad læuam, & poneret quinq; digitos super altare, & eleuaret manum, & poneret super proprios oculos: & rectè vidit populo præsente, & gratulante, quod grandia miracula fierent sub Imperatore nostro Antonino.

II. Λουκίῳ πλευρειτικῷ καὶ ἀφηλπισμένῳ ὑπὸ παντὸς ἀνθρώπου, ἐχρημάτισεν ὁ θεὸς ἐλθεῖν, καὶ ἐκ τοῦ τριβώμου ἆραι τέφραν, καὶ μετ' οἴνου ἀναφυρᾶσαι, καὶ ἐπιθεῖναι ἐπὶ τὸ πλευρὸν, καὶ ἐσώθη, καὶ δημοσίᾳ ηὐχαρίστησε τῷ θεῷ, καὶ ὁ δῆμος συνεχαρίσατο.

Id est:

Lucio affecto lateris dolore, & desperato à cunctis hominibus oraculum reddidit Deus, veniret, & ex ara tolleret cinerem, & vnà cum vino commisceret, & poneret suprà latus: & conualuit, & publicè gratias egit Deo: & populus congratulatus est illi.

III. Αἷμα ἀναφέροντι Ἰουλιανῷ ἀφηλπισμένῳ ὑπὸ παντὸς ἀνθρώπου, ἐχρημάτισεν ὁ θεὸς ἐλθεῖν, καὶ ἐκ τοῦ τριβώμου ἆραι κόκκους στροβίλου, καὶ φαγεῖν μετὰ μέλιτος ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας, καὶ ἐσώθη, καὶ ἐλθὼν δημοσίᾳ ηὐχαρίστησεν ἔμπροσθεν τοῦ δήμου.

Sanguinem reuomenti Iuliano desperato ab omnibus hominibus ex oraculo respondit Deus veniret, & ex ara caperet nucleos pini, & comederet vnà cum melle per tres dies: & conualuit, & viuens publicè gratias egit præsente populo.

IV. Οὐαλερίῳ Ἄπρῳ στρατιώτῃ τυφλῷ ἐχρημάτισεν ὁ θεὸς ἐλθεῖν καὶ λαβεῖν αἷμα ἐξ ἀλεκτρυόνος λευκοῦ μετὰ μέλιτος, καὶ κολλύριον συνθεῖναι, καὶ ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ἐπιχρεῖσαι ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ ἀνέβλεψεν, καὶ ἐλήλυθεν, καὶ ηὐχαρίστησεν δημοσίᾳ τῷ θεῷ.

Id est:

Valerio Apro, militi cæco, oraculum reddidit Deus, veniret, & acciperet sanguinem ex gallo albo, admiscens mel, & collyrium conficeret, & tribus diebus vteretur suprà oculos: & vidit, & venit, & gratias egit publicè Deo.

Quod etiam in templo Isidis fieri solitum fuisse, ex his Tibulli carminibus coniicio:

Nunc Dea, nunc succurre mihi, iam posse mederi,
Picta docet templis multa tabella tuis.

Hacte-

Hactenus *Mercurialis*. Eadem & plura alia id genus suppeditat *Ioseph.Scaliger in Indicibus Inscriptionum antiquarum à Grutero* nostro collectarum. Ex quibus non potest non *Petronianis* nostris, de quibus hoc in themate agitur, lux oboriri: quum hodieque in *Italia* durare hunc incubandi in templis Diuorum morem, fidem nobis faciat *Georg. Fabricius*. Ait enim se *Patauii* vidisse adolescentes & puellas rusticanas in *Cœnobio D. Antonii* certa nocte incubare. Vt minus mirum sit, *Ethnicos* id fecisse, quod apud *Christianos* religioni ducitur.

Porrò ad nocturna illa sacrificia atque arcana, minimè quidem, vt *Quartilla* obtestatur, euulganda, ferè alludit *P. Lotichius Secundus*, meus, *in appendicula Carmin. Iuuenilium:*

Scilicet in magnis occulti rebus Amoris
Esse Parctonium conuenit Harpocratem.

De quo quidem *Harpocrate, Varro lib. d. lingu. Latin.* ait eum digito labrum comprimere, ne quid eliminetur. Vnde *Adr. Turnebus in comment. ad Varron. Etsi* (ait) *Harpocrates qui digito premens labrum, significat, nè hoc euulgem, tamen hoc dicam.* Clarius de eodem *Plutarchus*, apud quem καὶ πολεμίτης malè legitur: Δύο τῷ ἄμαξ δάκτυλον ἔχει προσκείμενον, ἐχεμυθίας καὶ σιωπῆς σύμβολον: id est: *Itaq; digitum habet ori oppositum, silentii & taciturnitatis indicium.* De eodem, ceu muto, & elingui, *Catullus:*

——*Et patruum reddit Harpocratem.*

Ausonio dicitur *Sigalion.*

Aut tua Sigalion Ægyptius oscula signet.

Veteres ἰχθύπεν vocârunt; pedibus debilem; secundum *Plutarchum* verò *Isidis* fuit filius *exterricineus*, id est, antè exactos nouem menses genitus. Sed hæc extrà oleam ferè saris. Per *Harpocratem* autem intelligunt, mysteria, atque sacra arcana non esse diuulganda, vt eruditè docet *Politian. Miscellan. cap.* LXXXIII.

Caput IV.

V*Enus humectatione* prodest. Itaque in *Febribus* confert. Ea generatim tàm viris, quàm feminis, speciatim vero feminis magis vtilis. *Veneris* moderatæ commoda *Democriti, Epicuri, Clinia*, ipsiusque *Hippocratis*, verba rectius explicantur, quibus *Venerem* proscribere videtur. Ipsa enim *Hippocr. Veneris*, sed tempestiuæ, vsum admodum probat; itemque *Galenus*, & classici autores alii. Nihilominus in *Febrib. Acutis Venus* lethalis & periculosior. Tutior in *Intermittentibus*, præsertim *Spuriis*, quales à pituita oboriuntur. Multi enim morbi, præsertim pituitosi, primâ *Venere*, & primis menstruis, sanantur. *Pectoris, & Testium συμπαθεια.* Ex *Venere* quidam extincti, & deliquia animi passi. Illa tamen speciatim *Feminis* ratione etiam *euacuationis* conducit. Ex *Menstrui* enim *sanguinis* retentione in feminis facilè causantur *Febres*, atque innumera mala. Præsertim verò *semen*, p. n. suppressum, naturam veneni induit. His, quæ tal a patiuntur, *Venus* valdè vtilis. Vndè *Virgines & viduæ* sic affectæ maturè elocandæ. *Venus* denique, efficaciâ delectationis, atque *euentilationis* iuuat. *Melancholici* quoque *Venere* leuantur.

VERITATI omninò consentanea esse, quæ pro epilogo præcedentis capitis attexuimus, de remediis olim à Diis per somnos ægrotantibus reuelatis, liquet vel ex hoc Themate, quod sequitur, proponiturque apud PETRONIVM *pag.* 8. Ibi enim *Quartilla* inculcat, sibi à Diis contrà *Tertianam* monstratum esse remedium, futurum scil. vt reconualescat, si

cum robusto aliquo athleta, vel iuuene; rem habuerit. Sic autem *Quartilla*: *Ideò* (inquit) *vetui hodie in hoc diuersorio quenquam mortalium admitti; vt remedium Tertianæ sine interpellatione à vobis acciperem.* Hinc quæritur: *Quid, vel quatenus, Venus, aut coitus, possit conferre mulieri Tertianâ laboranti?*

Pro cuius solutione dicimus; hanc quæstionem superiori, de *Somno* scilicet, non multum dissimilem esse, si ea, quæ diuinus Antecessor, *Hippocrates*, habet *libr.* I. *de morb. mulier. sect.* V. probè examinentur, discutianturque. Prout enim superiori decisione obiter probauimus, *Somnum*, ratione humectationis, *Tertianæ* mederi, fundamenti præcipue loco adducto, illo *Hippocratis aphorismo*, XVI. *aphor. libr.* I. vbi disertè dicitur, diætas humidas, &, per consequens, vitæ totius institutum, ad humidum vergens, *Febribus* mederi; meritò idem hic repetere; ac astruere possumus de *Venere*; seu coitu, qui similiter *vterum* humectat, vnaque, per consequens, reliquum totius corporis habitum, refrigerat, reficitque, præsertim si ἐγκαίρως, & moderatè fiat. Sic autem *de morb. mulier. loc. citat. Hippocrates*: *Vehemens enim* (inquit) *exercitatio non-nihil humoris deducit: Postquam igitur mulieri, quæ nunquam peperit, Menses delitescunt, neque foras exitum inuenire possunt, hic morbus oritur. Id autem contingit, si vterorum os conclusum, aut obtortum fuerit, aut pudendi parti aliqua inuersa. Ex his enim si quid adsit, non antè Menses exitum inuenire poterunt, quàm vteri ad pristinam sanitatem redierint.*

Et paulò post: *Neque enim vteri ipsi madescunt, cum minimè Venerem experiantur, amplumque spatium habent, vt peruertantur, cum aluus plus, quàm conueniat, vacua, sicca, & leuis existat. Itaque peruersis interdum contingit, vterorum osculum distorqueatur, cum ceruix extrà pudenda sita sit: Si enim ex Veneris vsu madescant vteri, & aluus minimè vacuetur, non facilè peruertuntur.* Et deinceps: *In suffocationem subindè incidet, Febrisque, ac horror, & lumborum dolor, sæpè inuadet, &c.* Ex his itaque manifestum euadit, *Veneris* vsum *vterum* humectare, seu, quo madescat, facere. Ea autem quæ humectant, *Febribus* in vniuersum, tàm *Continuis*, quàm *Intermittentibus*, conducere in genere, ex *aph.* XVI. *libr.* I. *Hipp.* suprà allegato paulò antè probauimus, vt eędem ferè rationes hîc ad coitus vtilitatem, quâ *Febribus* medetur, accommodari ritè possint.

Non autem per *coitum* isthunc intelligimus immoderatam, furiosamque coeundi libidinem, qua quidem *Hercules* fertur vnica nocte quinquaginta virgines grauidas fecisse, aut qua sese, vt autor est *Mizaldus*, Germanica quædam iuuencula vna nocte triginta quinque seriatim militibus prostituit; & quæ alia furiosæ eiusmodi libidinis exempla complura ex autoribus afferri possent; vt quæ damnis, & incommodis infinitis alioquin haud vacant; imò verò potius *Venerem* hoc loco intelligimus moderatè tempestiuéque adhibitam.

Boëthius in libr. de Disciplina scholar. sanitatis præcepta Scholasticis & literarum studiosis præscribens, tradit; *Phlegmaticus venereo accessu mensurnus permolere deberet.* Quo loco verbum *permolere Boëthii* doctrinæ par est, & assimilis turpitudinem rei verbis obscuris velanti. Significat enim inire, subagitare, aggredique rem veneream, vt docet *Io. Bapt. Pius Annotation. posterior: cap.* 64. Cum autem *Boëthius* admonet grauedinosum scholasticum, h.e. *Phlegmaticum*, debere admoueri Veneri, loquitur ex præscripto naturali, vt etiam *D. Thomas Aquinas* in *Commentar.* ad eum locum prudenter annotauit. Coitus enim maximè phlegmaticos leuat. Sententiæ *Boëthii* adstipulatur *Aristoteles libr.* 4. *Problemat. q. Cur Venus immodica morbis pituita nonnullis commoda est?* An quo-

niam excrementi quidem excussus est, ita vt multum vacantis materiç cum semine detrahi possit, vt censet idem *Pius d.loco?* *Pituitam* autem excrementum esse nulli dubium est. Addit *Pius*; *melancholicos esse maximè libidinosos, quoniam spiritu redundant. Semen autem excursus spiritus est. Ergo quibus idipsum amplificatum, hos sæpe purgari appetere necesse est. Sic enim efficitur, vt leniantur.* Porrò *mensurnus* apud *Boethium* exponi debet mensatim, menstruis vicibus, singulis mensibus, seu, vt *Pius* explicat, spatio vnius mensis. Sed *Abbas Moyses* apud *Ioannem Cassianum libr. 2. Collation. cap. 23.* cuius lemma; *Quemadmodum abundantia humorum genitalium castigentur*, menstruum tempus in quadrimestria coarctat repagula, inquiens; *Nam quod semel per escarum abundantiam concretum fuerit in medullis, necesse est egeri atque ab ipsa naturæ lege propelli, quæ exuberantiam cuiuslibet humoris superflui, velut noxiam sibi atque contrariam, in semetipsa residere non patitur. Ideoque rationabilis semper & æqualis impendenda est castigatio, vt si naturali hac necessitate commorantes in carne omnimodis carere non possumus, saltem rarius nos, & non amplius quàm trina vice respersos isto deliquio totius anni cursus inueniat. Quod tamen sine vllo pruritu quietus egerat sopor, non fallax imago, index occultæ voluptatis, eliciat.* In hoc dissensit à *Boethio*, quod noxiam illam pituitam, vnde *Febres*, & alii morbi febriles oriuntur, non Venereo congressu per voluptatem, sed nocturna pollutione per somnum, suadeat purgandam, & egerendam. Quod etiam *Ioannes Gerson in tract. de Pollut. nocturna, notab. 2. Propos. II.* voluisse videtur, dum præcipit; *Pollutio corporalis & verè seminalis, diurna vel nocturna, nullo modo debet scienter extorqueri, etiam pro suauitate vel alleuiatione corporis vel iudicii rationis consequendi. Si tamen, dum sine tali consensu procurante eam vel extorquente prouenit, ipsa placeat, non quia delectatio est, sed quia alleuiationem corporis operatur. Hæc non iudicatur esse peccatum. Videat tamen, homo præsertim nouitius, nec huiusmodi complacentia se seducat, prætendens vnum, & agens alterum. Salubrius est itaq; cogitationes & iudicia circa hanc rem diuertere, quam habere.* Ita quidem sancti illi viri piè, sed *Theologicè*, in hac re consuluerunt: nec nos *Medici* ab iis dissentimus, quatenus *Christiani* haberi volumus. Sed *Boethius* & ipse Christianus, & quidem Martyr, atq; vnus ex numero SS. Patrum Ecclesiæ primitiuæ, naturalem rationem secutus coitum Venere constrictum concedit; & nos præsumimus intelligi licitum, non fœdum illum ac impurum, quem *Petronius* in hac *Quartilla* Sacerdote Romana σκυλεύζων magis perstringit, quàm imitandum proponit.

Moderata enim Venus, & rara, corpus excitat, animam exhilarat, iram ingentem remittit, & plurimas pituitosas, melancholicasq; ægritudines aufert, vertiginem tollit, seminis fumositates ac vapores à cerebro diuertendo, vt habet *doctissimus Rodericus à Castro libr. III. d. natur. mulier. cap. IV.* *Temperatus coitus ad sanitatem vtilis est:* inquit, *Phœbus Medicorum, Galenus*, in *arte parua, cap. LXXXV.* contrà *Epicurum*, qui malè censebat, *Veneris* vsum insalubrem esse; de quo posteà. *Confert itaque*, (scribente *Foresto, libr. obseruat. XXVI. schol. obseru. XX.*) *si modus adhibeatur, vt neq; resolutio aliqua sentiatur, & ipse quodammodo leuior factus, ac melius spirare sibi videatur. Nam & semen, si corrumpatur, retentum vertitur in venenum: magis verò mulieribus, quibus abstinentia plus nocet, quàm viris. Constat tamen multa morborum genera primo coitu finiri, aut, si id non contingat, longinqua fieri, maximeq; comitiales morbos. Quin & à serpente, & scorpione percussos, coitu leuari produnt: verum feminas, autore Plinio, eo lædi.* Hæc *Forestus*.

Tritum illud metrum hûc haud ineptè quadrat, quod extat in Catalect. Virgilian.

Balnea, vina, Venus, corrumpunt corpora nostra,
Restituunt eadem, Balnea, , vina, Venus.

Etsi igitur *Democritus*, teste *Plinio, libr.* VIII. *cap.6. Venerem* omninò damnârit, vtpote in qua homo alius exiliret ex homine; *Epicurus* prodiderit, nullum eius salubrem vsum esse, sed præclarè agi, si non noceat; referente *Galeno lib. art. medic. &* III. *Epid. com.* I. *text.* IV. *Clinias Pythagoricus* etiam edixerit, tum demum *Venerem* exercendam, cum quis damnum aliquod subire velit, autore *Plutarcho* III. *Sympos.* Itemque illa verba *Hippocratis* fuisse; συνουσίαν εἶναι μικρὴν ἐπιληψίαν: testentur *Aul. Gellius libr.* XIX. *cap.* II. *Noct. Attic.* & *Macrobius* in fine *lib.* II. *Saturnal.* (quanquam *Galenus*, eadem verba *Democrito* ascribat, III. *libr. Epid. com.* I. *text.* IV.) nihilominus tamen rectè ea omnia intelligere atq; explicare nobis videtur, inter alios, *Marsilius Cagnatus, Medicus Veronensis*, qui *libr.* I. *variar. obseruat. cap.* I. super re *Venerea*, vtrum ex vsu sit, & quid conferat, asserit; Alios ità austerè de *Veneris* negotio locutos esse, vt ab ea lasciuia & voluptate homines plane arcerent, auerterentque: Alios verò, seueriuscule pronunciare, vt eosdem admonerent, magna cautione atque curâ in coitu opus esse, ne quis modum facile excederet. *Democritum* (inquit) *existimo præsertim significare voluisse, rem esse non adeò frequenter vsurpandam. quia si homo coitu erumpit ex homine, maximum in eo, quod egreditur, ad vitam & salutem eius etiam, à quo egreditur, momentum esse verisimile est.* Et posteà: *Nec aliud Hippocrates siue Democritus, voluit, cum dixit; Concubitum esse paruum morbum comitialem; quam significare, periculum subesse non spernendum; si enim modus non adsit; paruus morbus potest magnus euadere, & in mortem desinere, quod euenisse pluribus certum est.* *Alioquin plura esse Veneris commoda, Medici, quibus maiori curæ fuit corporis, quàm animæ salus, tradiderunt.* Inter alios, Medicorum opt. Max. *Hippocrates*, tàm in genere, quàm in specie *Coitum* vtilem esse tradidit. Scripsit enim *lib.* VI. *Epid. sect.* VI. in genere ità: *Labores, cibi, potus, somnus, Venus, mediocria*; subintellige; *omnia*, conferunt. Ex quo *Venerem* moderatam vtilem esse tàm viris, quam feminis, generatim certum est. Speciatim verò idem coitum vtilem esse feminis pronunciat, quod inde vterus humectetur, atque suffocationes, subuersionesque tàm facile illis non accidant: prout ex suprà allegatis euidens est. Idem *lib.* VI. *Epid. sect.* IV. disertissime scriptum reliquit: *Coitus morbis ex pituita commodus.* Hinc etiam particulatim *Mulieribus coitum* vtilem esse tradit; non ità vero viris; quod mulieres natura viris humidiores sint, ideoque etiam morbis, & *febribus, Tertianis* (intellige *spuriis*) quales ex pituitæ dominio nascuntur, magis pituitosis, & phlegmaticis obnoxiæ. *Galenus libro artis Medicæ* autor est, *hominem aliquando ex Venere seipso leuiorem fieri, ac facilius spirare.* Et *libr.* VI. *de loc. affect. cap.* V. scribit; *Aliquos ex coitu capitis grauitatem, ciborum fastidium, & aliquando febres effugere.* *Rufus Ephesius*, Medicus antiquissimus, ante *Galenum*, autoribus *Aëtio lib.* I. *serm.* III. *cap.* VIII. itemq; *Oribasio* ad *Eustat. lib.* III. plura eiusmodi de *Veneris* commoditatibus enunciauit. Dixit enim *coitu plenitudinem depleri, corpus agile fieri, ad incrementum promoueri, virile magis reddi, habitum iusto duriorem molliri, vim rationis explicari, iram vehementem sedari, ac propterea melancholicos maximè iuuari, itemq; simili dementiæ genere laborantes ad sanitatem reduci: Insuper quosdam Epilepsiâ correptos sanari, aliosq;, qui assiduis pollutionibus nocturnis prehenduntur, liberari.* *Plinius lib. natur. histor.* XXVIII. *cap.* VI. *Venereæ* rei vsum rariorem ex vsu & conuenientem pronunciat: *Est* (inquit) *herclè raritas eius vtilior.*

Cæterùm, *Marsil. Cagnatus loc. cit.* super eâ quæstione; *An coitus solum morbis ex pituita*

oriundis

oriundis conducat? arguit, id ipsum non esse καθόλου, vt aiunt, aut perpetuum, cum *coitus* nec solis, nec omnibus pituitosis morbis conferat. Et addit, contingere nonnunquam, vt aliquis per *coitum* aut pollutionem nocturnam *à febre* liberetur: nihilominus temerariam illam medicinam vocat, si quis *febre* laborantem ad rei *Venereæ* vsum velit hortari. Quem in modum *Petrus Aponensis*, super *Problematibus Aristot.* autor est, *omnem coitum in febribus semper obesse.* Quanquam nil minus *Hippocrates*, exemplo *Nicippi*, & *Timochari*, testis sit, *Venerem* tantum non nihil officere, sed velut ad sanitatem proficere. Scribit enim, seminis per somnum effusionem, *Nicippo*, sæpius factam, nihil nocuisse. Et *Timochari* (inquit) *hyeme destillatio maximè in nares, cum Venere vsus esset, resecata sunt omnia: lassitudo, calor successit, caput graue, sudor à capite multus.* Tertia autem die euasit sanus. Distinctione itaque isthic opus esse arbitramur, inter *febres Acutas*, vel *Continuas*, easque maximè *Exquisitas* ac legitimas, atque inter *Intermittentes*, easque potissimùm *nothas*, quales maximam partem è phlegmate originem agnoscunt. In *Ardentibus* autem & *Continuis* tàm noxius & periculosus est *Coitus*, vt etiam lethalis non semel fuisse deprehensus sit: prout, inter recentiores alios, conceptis verbis annotauit *Guilhelm. Fabritius, Hildanus, Obseruat. Chirurg. Cent.* IV. *Obseruat.* XXVI. Non abs re autem fuerit, auro is eiusdem verba annectere. *Venerem* (inquit) *in affectibus neruosarum partium, capitisq́; vulneribus nocentissimam esse alibi annotauimus: Eandem in morbis Acutis non minus periculosam esse, nunc exemplo demonstrare visum est: Anno M.DC.XII. cum Hildenam profectus fuissem, & Coloniæ Agrippinæ apud amicos per dies aliquot moram traherem, ad ciuem quendam, virum robustum, & triginta circiter annorum ætatis pleuritide laborantem in ipsis diebus canicularibus vocatus fui. Victûs rationem tenuissimam institui, & exhibito enemate, venam in cubito pertudi, loco dolenti fomenta & inunctiones, dolorem lenientia, applicui per os expectorantia dedi, nec quicquã eorum, quæ morbus postulabat, omisi. Circa quartum dolor lateris cessauit, liberèq́; & absque molestia exspuebat, & quidem materiam satis digestam. Septimò sudor copiosè promanauit. Ab eo tempore symptomata cessârunt, ità vt ipsum iam penitus euasisse, cuncti mecum sperarent: sed decepit hercle nos omnes opinio. Decimâ enim die morbi, cum iterum febre, maximisq́; rigoribus correptus fuisset, decimâ tertiâ viuere desiit.*

Actum autem Venereum caussam mortis huius viri, profectò optimi & pii, fuisse, planè mihi persuasum habeo. Coniugem enim iuuenem, formosam (honestam ac probam tamen) &, vt videbatur, Veneri satis deditam, habebat. Illam porrò bonum istum virum, à morbo maximè prostratum, ad Venerem incitâsse arbitror: Decimâ enim die morbi, cùm summo manè inscius omnibus cubiculum ingressus fuissem, vxorem cum ipso in lecto reperi; quo die, vti dixi, iterum in morbum incidit. Hæc *Fabritius*: qui porrò eadẽ super re videri potest *lib. de Gangran. & Sphacel. cap.* XXVII.

In *Febribus Intermittentibus* contrà, potissimùm verò in *Spuriis*, quæ maximam partem ex pituita communicant, *Venerem* non noxiam, imo quandoque vtilem esse, præsertim in mulieribus, negari vix potest. Et licet frequentius è *Venere* morbi oriantur, quàm extinguantur, quod eiusce excessus, multis alioquin iusto familiarior, periculo ac damno non vacet; nihilo-minus *Hippocrates lib.* III. *Aphor.* XXVIII. *Venerem* insuper morbos è pituita natos profligare, iisdemque mederi, profitetur. *Quicunque* (inquit) *pueriles morbi perdurant, nec desinunt, cùm ex ephœbis excesserunt, aut fœminæ, cum menstruales esse ceperint, inueterascere consueuerunt.* Iisdem penè verbis *Corn. Celsus, lib.* II. *cap.* I. idem edisserit: *Si qua genera morborum neq; pubertate, neq; primis coitibus, neq; in femina primis mensibus finita sunt, ferè longa sunt.* Idem quoque ratum est *Plinio*, qui *lib.* XXVIII. *cap.* IV. *Multa* (ait)

ta (ait) *genera morborum primo coitu soluuntur, primoq́, feminarum mense, aut, si id non contingat, longinqua fiunt, maximeq́, comitialis.* Quid? quod *Aretæus, lib.* I. *de curat. morb. comitial. cap.* IV. meminit, *Medicos* fuisse, qui *Epilepticis* commodam esse *Venerem*, adducto *Hippocratis* loco (quem non pigebit infrà attexere) persuaserint. Id autem illis tantoperè placuisse addit, vt impuberes quoque *Epilepticos* hortarentur, vtendum esse *Venere*, licet intempestiuâ, tanquam eo pacto pubertatis præsidium adepturos. Eorum autem peruersam opinionem, & non tam bonis moribus, quàm puerorum ætati sanitatique aduersam, ipse *Aretæus* refutauit. Locus autem *Hippocratis* ille est: *Eum* (inquit) *si remedia non sustulerunt, in pueris Veneris, in puellis menstruorum initium tollit: lib.* II. *de morb. comitial. cap.* I. *Galenus* alicubi prædicat, *spiritum per coitum faciliorem reddi.* Super qua sententia multò clarior est *Hippocrates lib.* II. *Epid.* I. *sect.* II. vbi *pectoris, mammarum, testium*, ac *vocis* consensum, ac συμπάθειαν asserit: *Tusses* (inquit) *diuturnæ, vbi Testis intumuit, cessant, & Testis tumor à Tussi cessat, & alleuatur.* Hæc de coitus vtilitatibus in genere, qui tamen in specie mulieribus plus conducit, quàm viris; obiter hactenus.

II. Vt autem in *Veneris* vsum, vtilitatemque, quâ *feminas*, specialius inquiramus, etsi, inter alios, *Marcell. Donatus, libr.* IV. *de histor. Medic. mirabil. cap.* XVII. præter alios, in ipso *coitu* extinctos viros; prout *Plinius libr.* VII. de *Corn. Gallo*, & *Quinto Heterio, Equitibus Romanis*, scriptum reliquit: recenseat, *coitum* ob id quoque mulieribus, imò ipsis scortis, formidabilem esse, quòd in congressu venereo plurimum euacuetur, spiritualis substantiæ, ob delectationem, eosque qui in *Venere* plurimùm delectentur, plurimum debilitari affirmet, cùm alioquin, testibus *Aristot. ad Alex. Coitus* virtutum omnium sit destructiuus; præsertim si voluptarius is atque immoderatus existat; vt habet idem *Aristotel.* IV. *particul. Probl.* VI. *Probl.* CXXI itemque ex *Auicennâ lib.* I. I. *animal.* clarum fit, ex seminis exitu corpus magis debilitari, quàm si quadragesies tantus exiret sanguis de eodem corpore: insuper ipse quoque *Donatus* contestetur, se mulierem, nobile alioquin *scortum, Lucretiam* appellatam, nouisse, quæ in *coitu* aliquando lipothymiam, vel animi deliquium, passa fuerit: nihilo secius tamen, istis atque aliis eiusmodi exceptionibus, nequicquam obstantibus, astruimus confidentius, *Coitum*, vel *Venerem*, tempestiuè maximè, initam, ratione euacuationis, mulieribus commodissimam esse, maximè in *Febribus* earundem, quibus haud rarò implicantur. Nec frustrà itâ. *Hippocrates* enim pro nobis loquitur disertissimis verbis *lib.* I. *de morb. mulier. sect.* V. *In suffocationem* (intelligit ex menstruorum ac seminis suppressione) *subindè incidet, Febrisq́, ac horror, & lumborum dolor sæpè inuadet.* Et *libro de his, quæ ad Virgines spectant*, sic ait *Dictator* idem: *Cùm autem hæ partes* (à sanguine in *Vtero* retento) *oppletæ fuerint, etiam horror cum Febre irruit, Febres inerrantes appellant.*

Ex *mensibus* itaque (præsertim etiam *semine*) solitò diutiùs in *Virginibus* iustæ ætatis, aut mulieribus non grauidis, aut viduis, aut alioquin sterilibus, detentis, infinita incommoda ac mala suboriri, testes pro veritate sunt omnes *Medici*, quicunque *de affectibus mulierum* commentati sunt. Alia enim mala indè in toto nascuntur, sicut sunt *Febres, Cachexiæ, Leucophlegmatiæ, Chloroses, Lepræ*, &c. Alia partem quandam speciatim infestant, vt *maniæ, melancholiæ, lipothymiæ, opthalmiæ, hæmorrhagiæ, cardialgiæ, hæmoptoices, anhelitus difficultates, cibi fastidia, arthritides*, &c. Alia in ipso *vtero* proueniunt, vt sunt, *intemperies variæ, tumores* p.n. *abscessus, vlcera, hydropes, erysipelata, cancri, carcinomata*, &c. Memorabile illud est, quod apud *Hippocratem* legitur, *lib.* III. *Epid. Mulieribus quibusdam* robustio-

robustioribus, ob retenta menstrua, barbam emersisse, & viris similes, quoad vocem, incessum, & actiones alias, euasisse. Imò aiunt etiam nonnullis membra genitalia foràs prodiisse. Si modò illæ priùs non fuerint *Hermaphroditæ*; sicut *Tiresias* apud *Ouidium* erat.

Innumera autem penè insuper accedunt insuper accidentia alia, quibus *Mulieres*, vt dictum, infestantur, vt sunt, *suffocatio, strangulatus vteri, procidentia, lethargus, catalepsis, epilepsia, carus*, &c. quæ omnia è mensium p.n. suppressione seriatim prodeunt, vt cùm apud mutos magistros, Medicorum, inquam, libellos, tum optimam magistram, praxin atque experientiam quotidianam, plus satis obseruare est.

Cùm igitur *Mensium suppressio* in feminis tàm manifestæ noxæ sit, vt, præter incommoda alia, innumera penè, *Febres*, ratione plenitudinis, sanguinis scil. menstrui, (id est, singulis mensibus, naturæ lege, euacuari soliti) coaceruati in *Vtero*, & p. n. diutius retenti gignat, excitetque, ecquis negabit, euacuatiuum remediū (qualis est *coitus*, præsertim in feminis retentione) è contrario huic suppressioni apprimè mederi cum posse, tum si leges Christianæ admittant, etiam debere? Eorum enim, quæ ex suppressione vitium contraxerunt, certissimum remedium est euacuatio. Cùm præterea etiam, ex *Galeni* definitione, ipsa *Medicina nihil aliud sit, quàm additio & ablatio*: additio scil. deficientis, & ablatio excedentis, vel superflui. Quâ occasione eò magis ablatio hîc speciatim in superfluis, mensibus scil. p.n. suppressis, locum habere poterit.

Febres itaque præsertim *Intermittentes* (è quibus *Tertiana* est) oriuntur ab humoris biliosi coaceruatione, & putredine (addo etiam pituitosæ colluuiei copiâ & qualitate, prout in *Tertianis spuriis* vsu venit) circa *Ventriculum, Mesenterium, Omentum, Pancreas, Hepar, Vterum*, vt doctissimè sentiunt è recentioribus *Fernelius, Platerus, Heurnius*, & alii. Adde imò in ipso *Vtero* ex sanguine menstruo, aut semine, p.n. retento, & putrescente, *Febres* gigni: prout ex *secundinâ* retenta in *vtero* febres prodiisse, annotauit *Platerus, lib. prax. 11. de febr. 1.*

Vbi igitur multum colligitur biliosi pituitosiq; humoris, post iras, curas, mœrores, labores, vigilias, inediam, inprimis suppressionem consuetæ alicuius euacuationis, ibi necessariò accenduntur *Febres Intermittentes.* Quod ipsum, quia in virginibus & feminis euidentissimum, vulgatissimumque est, nihil attinet, pluribus hîc, rem omnibus manifestam, affirmare.

Interim, quantò *semen* est substantia præstantior sanguine menstruo, tantò deteriùs euadit, & veneni velut naturam induit, quando putrescit: vt vel tantùm eius ratione; dum semen p. n. retentum tàm insignem malitiam acquirit, vt quasdam, alioquin probas ac castas, in *furorem, vterinum* à *Medicis* appellatum, adeoque inexpugnabile coeundi desiderium adducat, ac coniiciat; coitûs exercitium, modò nihil in eo Christianis legibus contrarium admittatur, & Venus seriò persuadenda sit.

Hinc non immeritò *Hippocrat. libr. d. natur. mulier. sect.* v. consulit, vt eiusmodi muliercula quàm promptissimè nubant, concumbantque, quò conualescāt. *Equidem* (inquit) *Virginibus suadeo, quibus tale quid accidit, vt citissimè cum viris coniungantur. Si enim conceperint, sana euadunt*, &c. Eadem persequitur *Rodericus à Castro*, morborum muliebrium scriptor diligentissimus, *lib.* III. *d. affect. mulier. cap.* III. *Quâ in re* (tradit) *sciendum est, illis etiam affectionibus, quas femina patitur ex retento semine, aut menstruo sanguine, coitum esse præsidium non contemnendum; quoniam hac viâ expurgatur vterus, & immunis fit, quâ*

etiam

etiam Dysenteriam coitu, aut superueniente partu sanari, autor est Hippocrates: quoniam fortassis fit humoris diuersio. Hanc eandem ob causam *Virgines* maturè, si fieri eius potest, elocandas esse monet tantopere *Leuin. Lemnius lib. I. d. natur. mirac. cap.* VI. quo retentum in ipsis semen proliciatur, id quod alioquin veneni naturam induit, atq; longè grauiora caussat accidentia, quam sanguis menstruus. Sic autem ille: *Equidem* (inquit) *omnibus hoc persuasum esse conuenit, plus detrimenti naturæ inferri ex vitiati seminis, quàm menstrui fluoris suppressione. Nam semen corruptum virus contrahit, ac veneni qualitatem asciscit: hinc giluus ille ac mustelinus virguncularum color, vbi vri, ac prurire incipiunt: hinc crebra suspiria, cordisq; tremor, ac palpitatio, expultrice scil. facultate ad excretionem turgentis humoris incitatâ. Quod si tales seu viduas pruriginosas, seu prouectioris ætatis virgines connubio destinari contingat, ac semen, subdito virili pessulo, elici, in vsumq; procreandæ sobolis depromi; protinus illas efflorescere videas, ac faciem roseo, nitidoq; colore perfundi, blandas deniq; atq; amabiles, minusq; tetricas, ac morosas, præsertim vbi viros nacta sunt, qui valentes munus suum obeunt, atq; officio connubiali strenuè perfunguntur.* Hæc, etsi non ità seuerè, haud absurdè tamen, *Lemnius*.

Vbi igitur in summa retentio alicuius substantiæ fit caussa morbi, ibi euacuatio illius fit medela. Quem in modum *Galenus lib.* VI. *d. loc. aff. cap.* V. habet, quod ex retentione seminis fiant multi morbi melancholici qui contrà seminis excretione, euacuationeque necessario alleuantur: adducto eius rei exemplo, non contemnendo: *Quidam* (inquit) *vxoris mortem lugens, & à concubitu, quo antea creberrimè fuerat vsus, abstinens, cibi cupiditatem amisit: vbi verò seipsum cogendo plus cibi ingerebat, protinus ad vomitum excitabatur, mœstus etiam apparebat. Verùm hic ad pristinam consuetudinem rediens quàm celerrimè liberatus fuit.*

III. Accedit tertio, quod *Venus* prosit quoque ægrotantibus, ratione voluptatis, delectationisque, quæ potissimùm coniunctam sortita est euentilationem. Etsi enim *Hippocrates*, testibus *Gellio* atque *Macrobio*, pronunciet, *coitum* esse paruam quandam *Epilepsiam*; propter spirituum (prout explicat *Rodericus à Castro*) conturbationem, concussionemque, quæ à *Cerebro* fit, præsertim, in quo *Epilepsia* sedem habere consueuit: nihilo-minus plerique hominum ità affecti sunt, vt ob titillationem tantoperè desideratam millies coire optent, quàm vt comitialis morbi istius insultum vel semel reformident.

Coitus quapropter, etiam delectationis voluptatisque igitur, totum corporis habitum recreat, animumque lenit, æstum, bilemque frangit, somnum inducit, atque, si *Staticæ Medicinæ* Professori, *Sanctorio, Patauino* illi, fides habenda est, *perspirationem promouet*. vt Laconicôs disserit *sect. aphor.* VI. *aph.* I. *Imò*, eodem autore, *calefacit Iecur & Renes: quia excitatus calor minùs exhalat: refrigerat verò stomachum, cerebrum, & cor: quia per meatus patentiores excitatur omninò & proprius aliqua ex parte propterea resoluitur*: prout scribit *sect.* VI. *aphor.* XXIII. Idem *sect.* VI *aph.* XXX. *Senes* (inquit) *ex vsu moderati coitus fiunt ponderosiores, & frigidiores: iuuenes verò leuiores, & calidiores.* Similiter ibidem *aphor.* XXXI. *Coitus* (addit) *in iuuenibus Animalem, Vitalem, & Naturalem roborat: Animalem per motum expurgat, & sopitam excitat; Naturalem per euacuationem superflui, & Vitalem per lætitiam.* Quâ quidem occasione *coitus* quoque vtiliter præscribitur *Melancholicis, Hypochondriacis*, ac *Lienosis*, qui potissimum etiam libidinosi sunt, propter flatuum intrà præcordia stabulantium copiam, qui flatûs pudendorum meatus distendunt, atque semen pruriens caussant. Cùm itaque in *coitu* cum semine vnà flatùs excludantur, atque ipso con-

gressus calore discutiantur, detrudanturque ex hypochondriis, subleuantur hac ratione *Melancholici*, prout ructibus quosdam leuari certum est. Voluptas verò denique in *Venere* facit, vt tristes reddantur alacriores, expeditioresque, vt fusè differit *Rodericus à Castro, de affect. mulier.* loco non vnico. Mulieres (addo) maiori voluptate in actu venereo perfunduntur quàm viri, id quod apud ingeniosissimum *Poëtarum, Nasonem, Metamorph. lib.* III. *Iunoni Iupiter* his verbis obiicit:

---- Et maior vestra profecto est,
Quàm, quæ contingit maribus, dixisse, voluptas.

Quodque à *Tiresiâ hermaphrodito*, qui vtramque maris & fœminæ naturam fuerat expertus, fuit comprobatum. Sicut enim *Aristotele* teste *in Physicis*, materia formam desiderat, sine cuius consortio esse nequit: ità flagranti cupiditate femina marem concupiscit.

Venus itaque in summa *Febribus medetur*: I. ratione *Humectationis*: II. vi *Euacuationis*: & III. efficaciâ ipsius voluptatis, *Euentilationisq;*.

Caput V.

Satyria, vel *Orchides*, herbæ, *Venerem* omnes irritant. Bulbosa enim omnes stimulant. *Satyrion* à *Satyris* dictum, vel vt alii innuunt, à *Priapo*. *Satyriasis*, & *Priapismus* quid? *Priapi* imago peruetusta. *Satyri* qui & quales? *D. Antonio* in Eremo *Satyrus* visus. Eorum insignis salacitas ab aliis deprehensa, & visa. Cur *Veneris* currui *Satyri* comites iungantur? *Satyrii* herbæ genera & differentiæ. Σατυριᾶν, σάθων, quid? *Satyriorum*, vel *Orchidum*, efficacia ad rem veneream. Eorundem vsus. *Satyrii* decoctum: conditura: Antidotus, *Diasatyrion* appellata. Vis, & dosis eiusdem, modusque vtendi. Quomodo veteres olim *Satyrio* vsi, & qualis illa potio fuerit è *Satyrio*, cuius meminit PETRONIVS? Pulticula alba: id est, vulgò Weinwarm: Panes Martii, itemque panes vitæ, vulgò Lebkuchen/ ad eandem intentionem, vel lasciuiam, excogitati.

APud PETRONIVM *pag. 8. Encolpius*, verbis *Psyches* ancillæ, inquit: *Solus tantum medicamentum ebibisti? Itáne est, inquit Quartilla, quicquid Satyrii fuit, Encolpius ebibit?*

Hinc quæritur: *Quænam illa potio ex Satyrio fuerit?*

Respon. *Satyrioꝝ*, sicut omnes *Orchidum*, id est, *Testiculorum* (ità enim herbæ ob radicem *Testiculos* referentem nuncupantur) species, viros frigidos atque imbelles excitare, adeoque ad *Veneris* lasciuiam potentes reddere, penes Medicos, atque herbariæ rei peritos, tritissimum est. *Bulbi siquidem à Poëtis optimo epitheto salaces dicuntur, quia stimulant Venerem*: vt autor est *Beroaldus* super *Columell. de re rust.* Græci herbas omnes libidinis œstrum prouocantes κατ' ἐξοχὴν *Satyrii* nomine complexi sunt. Σατυριᾶν enim est arrigere, ac pruritu rei venereæ stimulari. Hinc inprimis *Satyrii* dicti sunt, quòd in libidines proni semper ferantur, à membro scil. virili, quod *Græcis* σάθων, nuncupatur. *Satyrion* itaque herba nomen à *Satyris* accepit. Sunt autem *Satyri* animalia quadrupedalia, in subsolanis *Indorum* montibus pernicissima, humanâ effigie rectè & pronè currentia, vt scribunt *Plinius lib.* VII. *Natural. histor.* & *Plutarch. in Sylla.* Veteres id genus monstra olim pro Diis syluestribus adorauerunt. Cuius-modi à *D. Antonio* in *Ægypti Eremis* visum esse *Satyrum*, Autor est *D. Hieronymus in Vita Antonii. Vidit autem* (inquit) *homunculum, aduncis naribus, & fronte cornibus asperâ, cui extrema corporis in capra-*

rum pedes desinebant. Et præmisso signo CRVCIS*, cùm, quisnam esset, interrogásset Antonius, respondisse fertur. Mortalis ego sum, vnus ex accolis Eremi; quos vano errore delusa gentilitas Faunos, Satyrosq; & Incubos appellat.*

Non abs re fuerit, hoc loci recensere, quod *Phil. Camerarius Meditat. historiar. part.* I. *cap.* LXXI. de *Satyris & Sphyngibus*, inter alia narrat ex *Pierio*. *Pierius autem* (inquit) *citat Pausaniam, qui audiuerit ab Euphemo quodam, probatæ fidei viro, quum in Hispaniam nauigaret, aduersâ tempestate se in exteriorem Oceanum esse delatum, postq; multorum dierum nauigationem ad Insulas quasdam desertas peruenisse, quas homines ferino truciq; aspectu syluestres inhabitabant, corporibus hirtis, pilorum colore subrufo, caudis, equino pene, maioribus præditi. Qui posteaquam nautas illùc aduectos inspexissent, ocius omnes ad extremum littus accurrêre, vocem quidem nullam, sed stridorem quendam informem, & inarticulatum, emittentes. in fœminas autem, quæ naui illâ casu vectabantur, eos adeo furiosos inuasisse, vt ægrè ab iniuria, etiam cæsi flagris, abigi, summoueriq; potuerint. Veritos verò nautas, ne quid indignum paterentur, inhibitâ naue, procul in anchoris stetisse: barbaram verò quandam mulierem, quam secum habebant, in littus exposuisse, in quam omnes postea petulantissimè debacchantes, per omnia corporis caua libidinem exercuerint, eaq; Satyrorum Insulas à nauigantibus appellari,* &c.

Eandem historiam vt verè gestam referunt *Nicol. Leonicus lib. 2. de Var. histor. cap.* 24. *Franc. Floridus lib. 2. Lection. Subsiciu. cap. 2. Bapt. st. Pius Annotat. posterior. cap. 175.* Ipsa *Pausaniæ* verba exstant in *Attic. siue lib. 1. pag. 41 editionis* Wechel.

Addit ibidem v. *Camerarius* de *Satyrorum etymologia*: *Rectissimè* (ait) *Grammatici hæc salacissima monstra è virili membro, quod Græci* σάθην *dicunt, nomen habere volunt, cùm præsertim omnes autores in hoc conueniant, Satyros in libidinem & procacitatem esse maximè procliues, neque posse hac in re satiari.* *Ideoque* (addit) *videmus eos passim in picturis non solum esse comites Veneris, sed currui eius, velut iumenta, iunctos.* Hactenus *Camerarius.*

Macrobius lib. 1 *Saturnal. cap.* VIII. *Satyros* dici, tradit, quasi *Sathunas*, quod in libidinem sint proni & efferi.

Quidam *Satyrion* herbam, à *Saty*, quod Græcis virile membrum dicitur, denominant, vel à *Satyro* potius, id est *Priapo*, hortorum deastro, à magnitudine membri virilis sic dicto, vt innuere videtur *Bapt. Pius Annotation. prior. cap.* 11. Vnde *Apuleius, Medicus, de herbis cap.* XV. *Græcis* (inquit) *dicitur Satyrion, Itali Priapiscon, alii torminalem, alii testiculum leporinum nominant.* Idem ibidem: *Si quis mulierem subagitare non poterit, herbæ priapisci radicem, id est, testiculum dextrum, quia maior est,* &c. Pingitur autem antiquitus *Priapus*, mentulâ oblongâ, atque obscænâ, eaque recta, inflataque, tunicâ ad sinum sublatâ ferens dextrâ *Cyniras, Asparagos, Satyrion, Pastinacam, Zingiber, Nuces pineas, Amygdalas, Passulas*, & id genus fructus alios semen virile à proprietate augentes.

Addit autem præfatus *Piso*, non-nullos opinari, *Priapum* hunc esse *Baalpeor*, cuius mentio fit in sacris *Deuteronom. cap.* IV. quos refutat eo, quòd *historia Israelitica* multò antiquior sit, & longè prior, quàm *Græci* idolum *Priapi* commenti fuerint. Ait porrò, *Suidam*, vbi vocabulum *Baalphegor* exponit, nullam *Priapi* mentionem peragere, sed potius ad *Saturni* idolum referre. *Beelphegor* itaque, prout alii nominant, fuisse *Deum Moabitarum*, arguit, de quo extat *Numer. cap.* XXV. & *Deuter.* IV. Idem dictus fuit *Phegor*. Sed hæc de *Priapo*.

A quo descendit *Priapismus*, vel *Satyriasis* dicta, morbi species apud *Medicos*: quod radice *Satyrii*, vel *Priapisci*, comestâ, homo facilè tentigine, aut *Satyriasi*, id est, indesinenti.

nenti partium genitalium pruritu, atque erectione, tenetur, ob vim atque efficaciam, quâ *Satyrion* Venerem excitat, vt tradit idem *Pius d. cap.* II. Hinc *Cal. Aurelianus lib.* III. *Satyriasis* (inquit) *est vehemens Veneris appetentia; Vocatur autem ab herba virtute, quam Satyrion vocant. Hanc enim accipientes in Venerem prouocantur, cum tentigine genitalium partium. Sed antecedentis istius passionis sunt epota medicamina ob vsum Venerium excitandum, quæ Satyrica vocant, quæ sunt acria, atque incentiua, & neruis improba.* Hesychius: Σατυριασμὸς, συντεγὸς τοῖς τῆς ἀφροδισίας ὀργῆς. Secundùm *Galenum lib. d. loc. affect.* & XIII. *met'h. med. Priapismus* fit, cum mentula erigitur, sine coeundi desiderio: ad differentiam tentiginis, quæ fit, cum homo ad coitum simul stimulatur. Dicitur enim *Satyrismus*, aut *Satyriasis*, quando palpitatio mentulæ accidit. Nihilominus *fit hæc extensio mentulæ quoque à medicinis, Venerem irritantibus, adeoq; tensiuam isthanc mentulæ erectionem, rigoremq; caussantibus*, vt testis *Rondeletius, Meth. curand. morb. cap.* LV. *de Priapismo.*

Interim, ad *Satyrion*, quod Arabes Medici *Chastake* vocitant, eiusque genera, atque differentias quod attinet, *Dioscorides, Satyrion* post *Orchidas*, & *Testiculos*, ità describit *libr.* III. *cap.* CXLIII. *Satyrion* (inquit) *alii trifolium vocant, quoniam vt plurimùm terna folia in terram conuexa proferat, rumici aut lilii similia, attamen minora, atque rubescentia: Caulem gerit nudum, cubitalem: Florem, lilii effigie, candidum: radicem bulbosam, pomi magnitudine, rufam, intus verò albam, oui instar, sapore dulcem, oriq; gratam. Matthiolus* arguit *lib.* III. *herbar. cap.* XCIX. hæc *Satyria*, secundum *Dioscoridis* descriptionem, neque apud *Germanos*, nedum *Italos* haberi: sed in *Græcia*, & terris eiusmodi calidioribus nasci concedit. *Adamus Lonicerus* omnium *Orchidum*, seu *primarū* specierum, siue *Satyriorū* tres differentias ponit. Primos itaque dicit esse *Testiculos*, seu ὀρχίδας & κυνοσόρχιδας, id est, *Testiculos caninos*; vulgò Knabenwurtz. Alteram speciem constituere ait, vulgò Ragwurtz/cuius duæ rursus sunt species, *Orchis Serapias*, & *Triorchis*. Ad tertiam speciem addit pertinere Σατύριον, siue *Satyrium*, vulgò Stendelwurtz/item Creutzwurtz. Hoc ipsum *Satyrium* rursus in tres species tripartiuntur. Prima enim dicitur *Satyrion trifolium*, de quo *Dioscorides*, prout suprà allegauimus: Secunda species est *Satyrion basilicum*, siue *regium*: Officinis *Palma Christi, Arabibus, Bucheiden*; *Auicennæ* verò, *digiti citrini* dicuntur. Huius porrò duæ sunt species. *Satyrion* scil. *basilicum mas*, & *Satyrion basilicum femina*; quod tertiam *Satyrii* differentiam facit. *Dioscorides* enumerat quoque præter *Satyrion trifolium, Satyrium Erythronium*, siue *Erythraicum*, quod semen habet lini similitudine, at maius, firmum, splendens, ac læue, *lib.* III. *cap.* CXLIV. Alii hoc *Satyrii* genus ἐρυθρόνιον vocant, siue ἐρυθραϊκὸν, Venerem etiam, modò manu tangatur, exstimulans. Semen habet, vt aiunt, lini, eoque maius, durius, & læuius. Et hæc obiter de *Satyrio*, quoad *quid est*, vt loquuntur, nimirum super eius descriptione, & differentiis.

Sequitur *Quæstio quale est*, (vt in scholis loquuntur) id est, quibus porro facultatibus *Satyrion* præditum sit. *Satyrion* autem eximiâ vi atque efficaciâ ad Venerē prodesse, consensus est totius *Scholæ Medicæ*, præsertim verò radicem bulbosam comestam, aut cum vino potam, peculiari efficaciâ pruritum, coeundiq; desiderium exstimulare notissimum est. Ità autem inprimis *Dioscorides*: *Hanc* (radicem, inquit) *in vino nigro austero bibere oportet, contrà opisthotonon. Ipsâ quoq; vtere, si cum muliere rem habere volueris. Eam enim etiā ad venereos impetū concitatricem vim habere affirmant*: *lib.* III. *cap.* CXLIII. Et *cap.* CXLIV. ibid. *de Satyrio Erythronio* ità habet: *Satyrium Erythronium, siue Erythraïcum, semen habet lini similitudine, at maius, firmum, splendens, ac leue: quod fertur etiam non secus ac Stincus libidinem excitare.* Et posteà: *Proditur & radix, si modò manu teneatur, Venerem stimu-*

lare, eoq; magis, si bibatur in vino. De *Orchidibus* portò, seu *Testiculis*, herbis, ità scribit *lib. III cap. CXLI. Radix* (inquit) *cocta, vt bulbus, esitur. Sed & de his radicibus memoriæ proditur, si maiorem edant viri, mares generari; si minorem fœminæ, alterum sexum. Insuper autem proditum est, in Thessalia mulieres teneram è lacte caprino propinare ad excitandam libidinem: aridam verò, ad eandem inhibendam: atque ab vnius potu alterius vires exsolui.* Hæc Dioscorides.

Mathiolus radices omnium *Satyriorum*, vel *Orchidum*, inferiores videlicet, teneras, rugosasque, tanquam dulces & sapporis plenas, cum vino generoso, aut *Maluatico*, propinat, ad pruritum in viris ignauis & frigidis protitandum. Idem ad eandem intentionem radices *Satyrii* filis cannabeis madidis inuolutas sub cineribus calidis assat, & dein p'pere albo conditas offert esui.

Sunt, qui *Decoctum Satyrionis* simpliciter parāt cum vino, & potui dant, quò in prœlia venerea fortes euadant.

Alii sic præscribunt, ac *Venerem* potenter cieri affirmant:

℞. Radic. Satyrion. nouell. ℥ j.
Rad. Asari ℥ j ß.
Piper. long. ℈ j. Misce:

& vtere de eo ad cubitum iturus. Potens enim atque efficax est remedium, vt aiunt. Meā tamen sententiā an hîc commodè, & citrà nauseam, vomitumq; enormem (qualis plerumque *Asarum*, & quidem ea in quantitate comestum, sequi solet) *Asari radix* cum *Satyrione* ad coitûs illecebras assumi possit, valdè dubium atque anceps est, cùm eo modo, *ventriculo* subuerso, *nauseaq*, ac *vomitu* insequentibus, remedium plus alioquin nocere, quàm obesse queat. Fides itaque atque experientia sit penes autorem.

Aliter verò, & meliusculè, *Decoctum herbarum & radicis Satyrionis*, cum vino, vel *iure gallinæ*, propinatur, & dubio procul ad eandem energiam optimè conducit.

Interim, quod cum *Dioscoride* præceptore *Botanologi* monent, cauendus est esus vsusque *Radicum Satyrii aridarum*. Eæ enim magis semen consumunt, quàm augent, magis Eunuchis, spadonibus, & Vestalibus competunt, quàm viris mulierum consuetudine gaudentibus.

Cùm igitur obseruatum esset *Satyrion* tàm promptè potenterque, in defectu rei venereæ, viris frigidis opem præstare, mos hûc-vsque inoleuit, vt *radices Satyrionis* recentes saccharo condirentur, atque in eos vsus apud *Pharmacopolas*, aut *Aromatarios*, etiam, publicè prostarent. Neque verò isthâc duntaxat radicum conditurā *Medici* contenti fuerunt, sed inter eos *Nicolaus Myrepsus*, *Medicus Græcus* celeberrimus, olim vtilissimam Compositionem atque Antidotum, DIASATYRION NICOLAI dictam, vbiuis locorum cùm apud Medicos, tum Pharmacopœos famosissimam, nobis reliquit, quæ publicè in officinis in hodiernum vsque diem conficitur, atque cùm in *Valerii Cordi*, tum in nobili *Medicorum* p.t. *Augustanorum Dispensatoriis* de industria, tanquàm præstans atque vtilis *Antidotus*, recensetur, adeoque à Republ. Medico-Pharmaceutica minimè sequestranda fuerit. Eiusce autem *Compositionis* basis est *Satyrion*; vnde etiam id nominis habet *Confectio*. Nam Recipit:

Testium Satyrii recent. densorum:
Radic. Pastinacæ satiuæ recent.
Secacul, vel eius loco, Eryngii:
Nucis Indicæ.

Pinea-

Pinearum:
Pistaciorum: an. ℥xij.
Caryophyllor.
Zingib. alb.
Sem. Fraxini (seu linguæ Auis)
Anisi.
Eruce, an. ʒ.v.
Cinamom.
Caudar. & lumbor. Scinci veri.
Sem. bulbi, vel vrticæ. an. ʒ i j ß.
Mosch. gr. vij.
Mell. despumat. opt. lib. iij.
m. f. Confectio.

S. Diasatyrion.

Analepticum est medicamentum, consumptos, & emaciatos reficiens, & Venerem concitans desuetam: vt habent *Medici Augustani*.

Valer. Cordus verò, aliam *Diasatyrionis* huius descriptionem *Mesuæo*, *Medico Græco* ascribit, quæ hoc quoque loco recenseri meretur: Quæ Recipit

Secacul albi & mundi, & elixati in decocto Cicerum, quorum prima aqua, in qua decoquebantur, sit effusa, lib. j.
Testiculorum vulpis. ℥viij.
Rad. raphani. ℥iij.
Rad. Luph. (id est Serpentaria) plani ℥ij.

Terantur hæ radices posteriores, & infundantur super eas lactis bubuli, aut ouilli tantum, vt Lac duos digitos emineat, adiiciendo
Olei Sesamini,
Butyr. recent. non salit. an. ℥iiij.

Coquantur cum facilitate vsque ad consumptionem Lactis, & donec omnino remollitæ sint radices, & habeant iustam spissitudinem, instar pultis crassioris: Nam si aqueum, quod in lacte, & radicibus est, non consumatur, situm contrahit hoc medicamentum.

Postea affunde omnibus hisce prædictis radicibus
Mellis despumat. opt. lib. vi.
Succ. cæpar. recent.

Coque omnia simul ad perfectam decoctionem, deindè ab igne depone, & insperge subsequentium specierum minutissimum puluerem:
Caudarum Scinci cum Renibus & sumine. ℥j.
Semin. Erucæ.
Been albi.
Zingiber.
Been rubr.
Linguæ auis (id est, semen fraxini arboris)
Sem. nastutt.

Piper. long.
Cinamom.
Sem. baucia.
Sem. napi.
Pulp. sem. asparag. maximè recent. an. ℥ iiij.
Confice cum eis: vltimò verò adiiciantur subsequentia:
Pineat. mundatar. lib. j.
Cerebell ot. passerum. ℥ ij.
Confice, & misce omnia optimè, & aromatiza cum
Moschi bon. ℥ j.

S. Diasatyrion Mesua.

Valet ad erectionem Virgæ, multiplicat sperma, & desiderium coeundi. Hæc *Val. Cordus.*

Ex recensitis hûc-vsque facilè cuiuis manifestum fuerit, radices ac bulbos *Satyrionis* non paruam vim ad ciendum Veneris appetitum sortitos esse.

Quod superest, ad quæstionem ipsam verò propius accedendo, quâ quæritur: *Qualis illa olim potio ex Satyrio fuerit.*

Resp. Verisimilimum videri, illam potionem propinatam, vel assumptam, assumique solitam fuisse in fine mensæ, aut in *postcœnio*, vt aiunt, vel ex eorum genere, quæ antè somnum deglutiuntur, extitisse, sicut erat *Græcorum Epidorpisinus*, Germanis Schlafftrunck/ quam amatores, aut, prout illa ferebant tempora, *Neroniani*, assumebant, antequàm cubitum irent, vt eò melius fortiusque animos cupiditatibus coeundi, & crebrius repetitâ ad numerum Venere, explere satagerent. Ea autem potio dubio procul constitit ex *Decocto Satyrii* cum *vino* generoso, *Maluatico*, *Lacte* etiam, aut *iusculo gallinæ*, addito insuper, ad gratiam saporis, *melle*, & *sacharo*; vel ad maiorem stimulum, momento *Piperis albi*, *Croci*, & similiũ, quæ egregiè alioquin pruritũ mouent.

Quem modum *Satyrion* propinandi *Dioscorid*is quoque temporibus vsitatum fuisse, liquet ex ipsius autoris verbis; qui modò *Satyrion* cum vino potum commendat, modò, *mulieres Thessalicas* è lacte caprillo offerre ait ad excitandam libidinem. Sed isthæc sunt autoris verba: *Proditur* (inquit) *& radix* (Satyrii,) *si modò manu teneatur, Venerem stimulare, eoq́; magis, si bibatur in vino: lib. 3. cap.* CXLI. Et posteà: *Insuper autem proditum est, in Thessalia mulieres teneram è lacte caprino propinare ad excitandam libidinem.*

Nostrates hodie nonos Nuptos manè excipiunt post zonam solutam, atq; refocillant *Pulticulâ albâ*, ex *vino*, *ouis*, *Sacchare*, & *Butyro* paratâ, quæ Venerem iuuat. Vulgò dicunt Weinwarm: vt scrib. t *Fel. Platerus, pract. part. 1. cap.* XVII.

Idem autor est, *panes Martios*, vulgò Marcipan/ ex amygdalis scilicet, pineis, pistaceis, sem. eru æ &c. paratos, itemq́ *panes dulciarios*, *vitæ panes* nuncupatos, vulgò Lebkuchen/ mellicos eos, atq; probè aromatisatos, Veneris causâ, primum excogitatos fuisse.

At potionem è *Satyrio* extrà aleam, aut è *vino* optimo, aut è *lacte* caprino (quod vtrumque perhibetur à *Dioscoride*) constitisse, meâ quidem opinione credendum est. Quem morè hodie etiam-nunc apud *Medicorum* filios vsitatum esse suprà prodidimus. Datur enim vsitato more *Diasatyrionis*, illius *Antidoti*, ℥ j. cubitum ituro, ex *lacte*, aut *vino*, tepide. Vndè se se in coëundo Herculeo more pugnasse iactant, id genus exercitii dein-

de industria sectantes. *Hercules* quippe vnicâ nocte quinquaginta virgines matres reddidisse traditur.

Caput VI.

Remedia ad *Venerem* externa proponuntur. Inter quæ *odorata* quoque *Venerem* acuunt. *Odoratis* tamen feminæ facilimè læduntur. Contrà fœtidissimis quibusq; iuuantur. *Lectio, Musica, cantus, pictura, & Schemata* amatoria *Venerem* quoq; excitant. Idem *Vnguentis, Fomentisq;* externè adhibitis, efficitur, & potentius. *Partes* ad *Venerem* quænam vngendæ, fomentandæq; ? *Oleorum, Vnguentorum, Fomentorumq;* formulæ. *Penicillum* vndè dictum? quid? & quale? Apud PETRONIVM pro *Fomenti* genere explicatur. *Satyricon*, manu saltem detentum, *Venerem* proritat. Plura eius-modi proponuntur, quæ specificâ qualitate externè gestata, idem faciunt. *Frictiones* quoque externæ lasciuiam mouent. *Fricatrices* feminæ vndè dictæ?

Sequitur *Quæstio Sexta*, superiori de *Satyrio* annexa, atque eiusdem fermè argumenti, momentique. Sic autem *pag. 9.* apud PETRONIVM *Encolpius*: *Illinc puellæ penicillo, quod & ipsum Satyrio tinxerat, Ascylton opprimebant.* Iam quæritur:

Quid sit, penicillis Satyrio tinctis, aliquem opprimere, vt ad Venerem excitetur?

Resp. Superiori responso de *Satyrio* egimus, atq; iis obiter medicaminibus, quæ intrà corpus assumpta *Venerem* mouent ac proritant. Iam hoc loco de *Satyrio* in specie, eodem videbimus, quatenus illud externè, atq; manu saltem detentum, gestatumque, vel per fomenta applicatum, ad eandem efficaciam valet. Antequam verò ad rem propositam accedamus, pauca quædam, non longè dissimilia, præfabimur.

Multa autem, imò plurima, dari in rebus physicis, quæ ad extrà saltem adhibita, lasciuiam ac *Veneris* appetentiam ciere possunt, in aperto est: eaq; partim manifestis, partim occultis & specificis qualitatib. pollentia sunt. Ex iis, quæ manifestis facultatibus operantur, non immerito recensemus *odores suaues* ac delicatos, qui non tàm recreando, quàm penetrando, calfaciendoq; *Veneris* desiderium mouent. Præcipue vero id efficiunt odorata, quæ paulo cæteris excellunt, sicut sunt, verb. gr. *Moschus, Zibetta, Ambra, Casia*, & similia. Ad quorum etiam vel leuem odoratum *Mulieres* sæpenumero *strangulationes*, atq; *vteri suffocationes* patiuntur, matrice, vel *vtero* si naribus eius-modi odoratissima obiiciantur, sursum vsq; odoris amici causâ attracto, adeoq; præcordia, pectus, atque Thoracem complente. Cui malo contrà remedio sunt, opemque ferunt, *fœtida, ac pessimè olentia*, narib. illico applicata; quæ, quia *vtero* inimica admodum sunt, eum deorsum propellunt. Eius-modi sunt *Assa fœtida, Castoreum, ruta*, item fumus excitatus è *plumis perdicum, capillis, calceis vetustis*, contremat s;remq; suffitus è *glutine* (vulgo Leim appellant) prunis imposito. Quæ omnia, *fœtida* scil. eo in casu naribus obiicienda, ad *vterum* deorsum atq; in sedem suam propellendum. Contrà benè odorata inferius, ad alliciendum *vterum*, applicanda per manum obstetricis, aut feminæ astantis, quæ pessarium *oleo* liliorum alb. cum *Moscho* ac *Zibetha* imprægnatum, aut digitum etiam eius-modi liquore imbutum, in verenda muliebria immittat, leniterq; latera confricet. Cauendum autem serio, ne (quod ab imperitis mulierculis magno cum malo committi solet) *Naribus* eo in casu res odoratæ, aut suffitus fœtidi contrà pudendis excipiantur. Periculum enim esset, ne mulier sic affecta omnino suffocaretur.

Præter

Præter res odoratas, *Venerem* etiam, auribus, oculiſque hauſta, externeque illabentia, ſtimulant, cuiuſmodi ſunt *lectiones* libellorum laſciuorum, *Muſica, cantus*, itemque *picturæ*, ac *ſchemata amatoria*, quæ omnia ab externis ſenſibus ad internos progrediuntur, imaginatricem mouent, vnaque humores, & per conſequens ſemen intus exagitant, ac in vaſis quaſi turgere faciunt, ſicut ferè muſta ſpumant in doliis.

Medici verò remedia quæcunque externa, quibus ad valetudinem hominis, imò *Veneris* ſtimulum ciendum, vtimur, ſub *Topicis* comprehendunt, eaq; perficiuntur vel illitu, ex *oleis* ſcilicet; *vnguentisve*; vel fotu, ex *decoctis* ſcilicet, *ſuffitibus*, *fomentis*, atque *inſeßibus*: quæ omnia ex calfacientibus, attrahentibus, penetrantibus, ſtimulantibuſque conſiunt.

Partes interim, quæ illinuntur, aut fomentantur, ſunt non tantum *Penis*, vel *membri virilis* pars prominens, ſed ea præſertim, quæ ſubtus mentulam, in *Perinæi* regione deliteſcit, adeoque intrà *Teſticulos* atque *Anum* ſerpit; illîc enim penis corpora latent; vt diſſerit *Fel. Platerus, lib. pract. part. 1. cap.* XVII.

Ratio autem inunctionis eiuſce loci iſta eſt: Vt ſcilicet iis locis calefactis ſanguis ad penis erectionem expeditius affluat. Imò etiam *Teſtes, Lumborum*, & *Pubis* regionem, imò *plantas*, imò *digitos pedum*, interdum quoque inungimus, vt ad ſeminis generationem ſanguis in vaſa ſeminaria feratur; vt autor, inter reliquos, idem *Platerus*. Sic *D. Bayrus, Medicus Sabaudus* pollicem pedis dextri inungere jubet *Oleo*, in quo *Cantharides* diſſolutæ ſint, & potenter *Venerem* prouitare ſcribit, *pract. libr.* XVI. *cap.* 1. Id quod equidem cum *Dn. Platero* fieri poſſe non dubitarim, ob egregiam *Cantharidum* efficaciam, qua extrinſecus etiam applicatæ cruentam mictionem, experientia teſte, promouent.

Ex *Oleis* itaque hanc in rem vſitatioribus ſunt, *Oleum*, in quo, ſecundum *Bayrum*, *Cantharides* diſſolutæ; *oleum formicarum*, ex decoctis ſcilicet *formicis*; *Oleum de piperibus*: *Oleum de euphorbio*: *Oleum caſtorei*: *Oleum* item *nucis moſchatæ*; *Oleum garyophyllorum*: *Oleum de ſpica*, & id genus alia.

Vnguenta, præter *olea* prædicta, confieri poſſunt ex *ſuccis erucæ*, *naſturtii*, *ſemine paſtinacæ*, *ſinapis*, radicibus *Eryngii*, *Satyrii*, *orchidum*, *euphorbio*, *pyrethro*, cum *aqua vitæ*, *oleo Laurino*, & *Cera*, quantum ſatis eſt.

Fotus inſuper, *balnea*, *inſeſſusq;*, itemque *pedum lotiones* fiunt eandem in rem ex actu, potentiaque calefacientibus, quæ poros, venarumque anaſtamoſes aperiunt, ſanguinemque ad *Teſtes* & *Perinæum* attrahunt, præcipuè, ſi poſt *balnea*, *Inſeſſus*, aut *fomentationes olea*, atque *linimenta* eiuſcemodi calide inungantur. Qualia parari poſſunt ex *decocto radicum ireos*, *herbarum nepetæ*, *vrticæ*, *calaminthæ*, *maioranæ*, *erucæ*, *bulbis orchidum*, *Satyrionis*. *florum lauendulæ*. *chamomillæ*, *anethi*, & conſimilium.

Per *penicillum* igitur *Satyrio tinctum* (niſi omninò mens fallit) intelligi poſſe puto apud ARBITRVM, *Fotûs*, *Fomenti*, *Fomentationiſq;* genus certum, ex *bulbis Satyrii*, vna cum aliis conſimilibus ingredientibus, vt ſunt, *ſemen erucæ*, *paſtinacæ*, *piper*, *ſinapi* &c. paratum, qua quidem ſpongia, vel penicillo imbuto puella *Aſcylton* opprimebat, hoc eſt, fomentis batillius virilia, fouebatque, ad *Veneris* incitamentum. *Peniculus* autem, *penicillus*, itemque *peniculum*, *ſeu penicillum*, à *pene* deſcendunt, autore *Feſto*, cuius ſunt diminutiua, & ſignificant ea, quibus calceamenta, ac vaſa terguntur. Dicta ſunt à *pene*, quod olim ex *pene* fierent, id eſt, caudis animalium. *Caudam enim antiqui penem vocabant*,

bant, vt teſtatur *M. Tull. lib.* IX. *Epiſt. ad Papyr.* Hinc, ob ſimilitudinem, *Penicillus* deſcendit. *Pictores* quoque *penicillis* vtuntur, quales ex caudarum extremitatibus fiunt, & *Græcè* ... dicuntur. Hinc *Plinius lib.* XXXV. *cap.* 10. *Arreptoq́ (inquit) penicula lineam ex colore duxit ſummæ tenuitatis per tabulam.* A *pictoribus* ad parietum dealbatores quoque tranſfertur, & dicitur *tectorium penicillum*. Vndè *Plinius libr.* XXVIII. *cap.* XVII. *Setarum ex his e penicillis tectoriis cinis cum adipe tritus.* *Chyrurgi* quoque *penicillis* vtuntur, quibus vulnera diſtendunt, ne præproperè claudantur, coaleſcantq́ue, priuſquam ſint purgata. *Græcis* ... ſunt. Fiunt autem ex *medulla ſambuci*, *linteolis* conceptis, atque ex *ſpongiis*. Sic *Corn. Celſus*: *Tum penicuio vulnus apertum. Tum exigua penicilla interponenda.* Præterea omnia, quibus ad mundandum, detergendum, illinendumue vtimur, *penicula*, vel *penicilla* indigitamus, præſertim ſi ex ſpongianatibus conſtent. Huic effato aſtipulatur *Terent. in Eunucho*: *Quid* (inquit) *ignaue, peniculone pugnare, qui iſthuc huc portes, cogitas?* Idem *penicillum* denique vice *fomenti* veniſſe teſtis eſt *Plinius*: *Hyſſopumq́* (ait) *cum Myrrha calidum penicillo illitum.* *Penicillum* itaq; *Satyrio tinctum*, apud ARBITRVM *fotus, fomentiq́* genus fuiſſe, veriſimilimum fit. Valebat autem ad illecebras *Veneris*. Quam quidem in ſententiam ipſe *Dioſcorides* rectè edidit, *libr.* III. *cap.* CXLI. *Satyrion*, manu duntaxat detentum, *Venerem* ſtimulare: dum ita habet: *Proditur & radix* (de *Satyrio* loquitur) *ſi modò manu teneatur, Venerem ſtimulare.* Et eodem libro *cap.* CXLIV. ſcribit *Satyrii Erythraici* ſemen tantarum eſſe virium, vt non ſecus, ac *Stincus*, libidinem excitet.

Quidni igitur libido protitetur amplius, ſi *Satyrionis* decocto mentula maximè fomentetur, aut ſpongia, ſeu penicillo eodem tincto imbuatur? *Rodericus à Caſtro libr.* III. *de natura mulier. cap.* IV. ſcribit: *Indicam quandam herbam aiunt eſſe tantæ virtutis, vt ea comeſta quidam ad* LXX. *coitus præceſſerit.* Sed hoc ab interno eſu & vſu prouenit. Quod autem magis ad hanc tractationem facit, magiſque mirabile videri poteſt, plura apud autores leguntur ſimplicia, quæ externè ſaltem corpori admota laſciuiam ſollicitant.

Quod enim de *Satyrio* prodidit *Dioſcorides*, id ipſum ferè de *Satureia* herba, à *Satyris* ideò dicta, canit *Æmyl. Macer. lib. de herbar. virtutibus cap.* XXIII.

Hocq́, modo mire Venerem ſolet illa mouere,
Si largo potu viridis vel ſicca bibatur.
Quod ſi cum vino mel iungitur & piper illi,
Non modicum Veneris ſuccendere dicitur ignem.
Hinc eſt à Satyris meritò Satureia vocata,
Quod ſint in Venerem nimis hæc animalia prona.

Marcellus Donatus tradit, *Satureiam* hanc, de qua cantat *Macer*, non interius tantum aſſumptam, ſed exterius etiam applicatam homines in libidinem pronos efficere. Porrò *Theophraſtus libr. de fruct.* IV. ſcriptum reliquit, ad rem veneream mirificè valere herbam, quam *Indus* attulerat.

Non enim ſolum edentibus, ſed etiam tangentibus duntaxat, genitalibus vim vehementem eò vſque fieri, vt, quoties coire vellent, valerent, & quidem, qui vſi fuerunt, duodecies coiuerunt. *Indum* verò ipſum, qui magno & robuſto erat corpore, ſepties decies aliquando coiuiſſe fatentem audire licuit: verum emiſſionem ſeminis guttatim ſtillaſſe, demumq́ue in ſanguinem deueniſſe. *Iul. Cæſar Scaliger, de ſubtilit. ad*

Cardanum exercit. CLXXV. autor est, in *Athlantis* iugis occidentalibus, quæ pars *Sarnag* ab incolis nuncupatur, radicem quandam reperiri, cuius esu ad Venerem augendam, continuandamque mirificè corroboretur. Quin aiunt, (addit) super eam si quis vrinam reddiderit illicò turgere libidinibus, virginesque, quæ præsunt pascuis, si super ea sedeant, vt vrinam faciant, eis perinde rumpi naturæ membranam, ac si à viro fuerint vitiatæ. In ea pariter *Indiæ* prouincia, quæ sub terra *Laboratoris* est versus *Isthmum*, *Dariem* arborem esse idem recenset, pyri facie, & magnitudine, perpetuo folio viridissima, nitidissimaque superficie, fructus quoque *Pyri* specie, sed colore viridi, etiam cum maturus est, medulla intus concolor, dulcis, pinguis, butyri sapore, quæ adeò validos efficit ad coitum, vt propior miraculo sit eius efficacia. Insuper autor *de plantar. Indicar. historia libr.* II. *cap.* XXV. meminit plantæ, *Bangue*, cannabi haud absimilis, nisi quod huius semen cannabino minus est, nec ita candicans, vt illud, nec huius stolones lignosi vllo cortice vestiuntur, contraque in *Cannabi*. Huius semen *Indi*, & folia edunt, vt fiant in Venerem procliuiores. Ex hac planta colligunt succum, *Bangue* pariter appellatum, foliis contusis, interdum ex semine, cui non-nulli admiscent *Faufel* virentem, aut *nucem moschatam & macim*, interdum *garyophyllos*, interdum *Camphoram*, alii *Ambarum*, & *Moschum*, plerique *Opium*, vt *Mauritani*, recensente *Marcell. Donato*.

Quid verò de eo dicendum, quod & *frictiones* præterea ad *Veneris* stimulum maximè vtiles atque idoneæ fiunt? Ex iis enim calor concitatur, & ad prædictum locum, qui fricatur, allicitur, contrà frigiditas motu eo propulsatur, atque *penis* ceu quædam *Paralysis* ac stupor, de quibus infrà videbimus, expugnatur. Hinc lasciuiores quædam inueniuntur puellæ, & mulierculæ, quæ, quod coeundi desiderio flagrantius ardent, etiam titillationis, voluptatisque igitur, fricant se se inuicem, vnde *Fricatrices* vulgò, *Græcè* τριβάδες, dicuntur. De quibus, inter cæteros, *Rodericus à Castro libr. d. natur. Mulier.* III. *cap.* III. *Imò (ait) quædam quæ Tribades dicuntur, seu Fricatrices, solam fricationem inter se amant, & ita infamem actum mutuò inter se exercent; cuius flagitii aliquot iam accusari, & conuictas in exilium missas fuisse diximus.*

Vt autem ad *Fomenta*, atque *illitus*, quibus externè ad *Venerem* vtimur, postliminio redeamus, *P. Bayrus* insuper, ad stimulum libidinis, *veretrum* inungit ex *Moscho* cum *oleo de Kerua*. Idem sequens *Vnguentum*, pro mentulâ inungendâ, præscribit, ac prędicat:

Rec. Euphorbii,
Pyrethri. an. ℥ij.
Coqu. in olla, ad consumptionem medietatis, & cola: colaturæ adde
Olei. ℥iiij.
& iterum, coque, donec aqua absumatur. *f. Vnguentum.*

Ex eo inungere iubet *Veretrum. Nec quiescet* (vt inquit) *erectio.*

Idem easdem partes inungit *oleo sambucino*, addito *euphorbio*. Idem *caudam cerui* combustam, præter pilos, dissoluere iubet cum vino, & eo virgam inungere.

Ibidem ad eandem intentionem *oleum de granis sesami*, *de granis pini*, & *de fisticis* commendat.

Ouidius rectius *Venerem* mauult naturali energeiâ valentem, quàm herbis aut medicaminibus excitatam, quæ, velut venena, improbat. Sic enim de *Satyrio*, *Pipere*, *vrticæ semine*, & *pyrethro flauo libr.* II. *d. arte amand.*

Sunt, qui præcipiant herbas Satyréa recentes
Sumere: iudiciis ista venena meis.

Aut

Aut piper vrticæ mordacis semine miscent,
Tritaq; in annoso flaua pyrethra mero.
Sed Dea non patitur sic ad sua munera cogi,
Colle sub vmbroso quam tenet altus Eryx.

Quod reliquum est, siue itaque *peniculum* seu *penicillum*, tamquàm diminutiuum, pro instrumento *peni* simili, accipiatur, siue pro graphio tinctorioue veniat, quo aliquid pingitur aut tingitur, vulgò Pensel vocant: siue pro eo, quo calceamenta deterguntur, intelligatur, quale *Græcis* ὑπόγχος, item χειρόμακτρον, dicitur, nostris Kehrbürst/Weschlumpen/Schuhtuch. siue deniq; pro *Turunda* aliqua, qua Chirurgis vulnera dilatantur, vsurpari queat, vulgo nuncupant ein Meyssel/ den man in die Wunden stosse/oder ein Wiche: equidem, pro colophone, qualecunq; tandem id sit, cum *Satyrio* tinctum fuisse, *Satyricus* ARBITER dicat, pro fomentatorio, aut tinctorio eius-modi instrumento accipiendum arbitror, quo *Ascyltæ* veretrum fomentabatur, liniebaturque, imo is ipse eò beneficio ad *Venerem* sollicitabatur. Apud *Seren. Sammonicum libr. d. medicina, cap. XLIV. de vulneribus*, inuenio *vulneribus* cum *penicillis cineres* fuisse *porri* inspersos, ad sanguinem sistendum, vulnusque latius coarctandum:

Præterea nimios reserati vulneris amnes
Peniculis cinis astringit, vel fimbria porri.

Cæterùm, de eo insuper, quod iuxtà aspergitur, ex PETRONIO, *pag. 4. Adeo omnes mihi videbantur Satyricon bibisse:* mihi quidẽ perindè est, ac si quis dicat: Adeo omnes pręęstu, ac desiderio *Veneris* (cuius gratia certa quędam medicamina inprimis decocta & potiones ex *Satyrio* præparatas bibebant) furebant, vt in obuias quascunque facilè ruerent

Venis tumentibus, velut nigra in sylua
Ad buculam ruit maritus armenti.

prout canit de malis sui temporis *Poëtis* ac *medicastris*, *P. Lotichius Secundus*, meus, nulli *Poëtarum* facilè secundus, *libr. Carmin. II. ad hortulum Claudiæ*. Idem nobiscum hoc loci sentit *Adr. Turnebus Aduersar. lib. XIX. cap. VI. Bibisse* (inquit) *Satyrion, pro, ad libidinem esse incitatum & inflammatum, dicit è vi illius herbæ* &c.

Caput VII.

MYrti vsus contrà genitalium ægritudines. Eius vis astrictoria. *Vinum Myrtites, decoctum bacca* &c. cui bono? *Myrtus*, arbuscula qualis? Cur *Veneri* sacra? Olim apud *Romanos Ara Veneri Myrtea. Myrteam coronam* ambire, adagione dicitur. *Gausapila*, vel *Gausapina*, item *Gausape*. quid? cui vsui? vndè constent. An è *Myrto Gausapina* fieri possit? Antiquitus *vitrea toga* dicebantur, quæ transparentes erant.

EAdem qua suprà, *pag. 9.* apud ARBITRVM extat: *Vltimò cinædus superuenit myrtea subornatus gausapila.* Quæritur:

Quænam sit myrtea gausapila, & quis Myrti vsus Medicus in re venerea?

Ad quæ obiter pauca annotantes meminimus, *Mathiolum*, Medicũ superiori ætate clarissimum, in *Epistola nuncupatoria ad Imp. Ferdinandum I.* varia exempla afferre diuersorum simplicium, mirandas vsq; adeo virtutes edentium. Quæ inter *Myrti* quoque *surculum* prædicat, contrà *Inguinis tumorem* valentem. Ita autem habet: *Inguinis (inquit) tumorem haudquaquam iis succrescere putant, qui Myrti surculum secum gerant.* Quod si ità est, facilè apparet, quam iccirco ob rem *Myrtea gausapila* apud PETRONIVM non tàm elegantiarum, quam illecebra-

 rum,

rum, ARBITRVM, introducta sit, vt nimiis, qui strenuè militiam modò veneream exercuisset à nimio coitu, *Myrti* vi astrictoria roborarerur, deindè inprimis eiusce *gausapila myrteæ* gestatione ab *Inguinis* & *Testium* tumore, (qui facilè nimiam atque inordinatam *Venerem* subsequi possit) tum verò frigore, atque horripilatione, quæ motus eiusmodi *Tonios*, vt vocat *Horatius*, atque indè prodeuntes sudores excipere solent, immunem sese præstaret. Ab hac sententia non longè abludere videtur *Dioscorides, lib. I. cap.* CLV. *Vis* (inquit) *tum ipsi Myrto, tum etiam fructui astrictoria. Ac fructus quidem, seu viridis, seu etiam aridus, in cibo datur sanguinem excreantibus, vesicæq; erosione laborantibus.* Et posteà: Vtile quoque (*vinum* intellige *myrtites*) *in decessionibus vuluarum, & sedis procidentia, idemque feminis fluxione vuluæ laborantibus.* Ibidem: *Quin & foliorum decoctum ad insessus conuenit, eoq; laxati & ægrè coeuntes articuli, itemque fracta, quæ non conferbuere, vtiliter fouentur.* Ibidemque: *ipsa verò folia trita, & ex aqua illita, humidis vlceribus & partibus omnibus fluxione laborantibus, cæliacisq; prosunt. Siquidem admisto oleo omphacino, aut exiguo rosaceo cum vino, valent ad herpetas, erysipelata, testium inflammationes, epinyctidas, & condylomata.* Sudores insuper *oleum myrtinum* compescere, ac denique ad omnia valere, quæ astrictionem densationemque desiderant, idem testis est *libr. I. cap.* XLIIX.

Hæc talia de *Myrti* vsu in *Medicina Dioscorides.* E quibus facilè consectarium sit, *Myrtum* vi sua astrictoria *Testium* non tantum tumoribus, sed itemque membris imbecillis, articulis luxatis, fractisque, vlceribus vuluæ humidis, & partibus omnibus insuper fluxione infestaris, apprimè conuenire. Qualia fermè symptomata post inordinatum libidinis actum, excessumque, solent subsequi.

Mathiolus de *baccis myrtinis herbar. libr. I. cap.* LXIIX: ita asserit: *Baccæ Myrti* (inquit) *coctæ, & pro fotu adhibitæ, ani & matricis procidentiæ medentur, profluuium etiam menstruæ purgationis coercent. Foliorum & baccarum decoctum optimè prodest membris delassatis, itemq; ossibus luxatis, pro fotu applicatum. Puluis verò* (*addente Camerario* ad *Mathiol.*) *baccarum myrti cum rosis, corallis, & mastiche præparatus, capitique inspersus, catarrhis medetur exsiccando.*

Cæterum de *Myrto* audiendi hoc loco *Poëtæ*, atque antiquarii: *Rauisius*, polyhistor diligentissimus, *Myrtum*, arbusculam, his fermè verbis describit in *Theatro histor. & Poët. Myrtus* (inquit) *baccas parit optimi saporis; vita est breuissima: odoratissima est in Ægypto. Veneri sacra est: amat littora.* Hinc *Virgilius lib.* IV. *Georg.*

Pallentesq; hederas, & amantes littora Myrtos. Eius oleo (addit *Rauisius*) *inest quidam vini sapor. Nobilitata est ouali coronâ. Crescit quandoque in locis planis. Angusta sunt eius folia, quæ non decidunt. Probus* in *Virgilii libr. I. Georg. Myrtus* (inquit) *est arbuscula subiecta tutela Veneris. Virgilio,* respectu *Æneæ*, cuius mater erat *Venus*, dicebatur *myrtus materna. Seruio* dicitur *Paphia*:

——— *Solido Paphiæ de robore Myrtus:*

vbi *Paphia* sumitur pro *Venereæ* voce, à *Papho* insula, in qua *Venus* colebatur. *Veneri* autem *Myrtus* sacra est, vt nonnulli putant, vel, quod hæc arbuscula littora amat, sicut de mari *Venus* dicitur genita; vel, quod, prout *Medicorum* libri testantur, hæc arbor conducit plurimis mulierum necessitatibus. Cuius alioquin rei rationem à nullo *Poëtarum* vllibi assignatam legere memini. Veteres hac occasione *Veneream Myrteam* appellabant; vt autor est *Plinius libr.* XV. *cap.* XXIX. *Aram* insuper *Romæ* olim extructam fuisse tradunt peruetustam honori *Veneris Myrteæ*, quam posteà *Murtiam* vocitarunt. *Myrtus* porrò

portò tantùm non *Veneri* dicata; sed etiam amantibus grata est. Hinc, inter recentiores, *P. Lotichius Secundus*, meus, *lib. II. Eleg. XII.*

Summa petant alii: Myrtum veneramur amantes:
Si mereor, crines ambiat illa meos.

Columella lib. XII. d. re rust. cap. XXXIII. *Vinum Myrtiten* ad tormina præparat. Dicitur etiam *Vinum Myrto* conditum, sicut *Aromatites Vinum* aromatibus impræg natum est.

Myrteam coronam ambis, adagione dicebatur: *Græcis* est μυῤῥινῶ. *Myrteam* autem petere ferebatur, qui tyrannidem, aut magistratum ambiret. Olim enim *Principes myrteis corollis* coronabantur, teste *Suidâ*. Huic adagium natum. Vide *Desid. Erasmum, Chil. IV. Centur. III. XLIX.*

Intereà, quod ad *Gausapilam myrteam* attinet, pro quo verbo interpretes *Gausapinam* legunt, à *Gausape* descendentem, certum est, per eam mantilis, pallii, penulæ, aut togæ certum genus nobis significari. *Grammatici Gausape* nomen indeclinabile esse tradunt: licet antiquissimis in vsu fuerit *Gausapes, gausapis*, & *gausapa gausapæ*, & *gausapum gausapi*. Apud probatæ fidei autores in plurali quoq; *Gausapa* leguntur, scil. apud *Ouidium*, & *Persium*. *Ouid. lib. II. d. art. amand.*

Gausapa si sumit, gausapa sumpta proba.

Græcis τὰ ἀμφίμαλλα est. A *Gausape* descendit *Gausapina*. Quæ est *penula* candida, ac villosa, quâ veteres hyberno tempore, contrà frigoris iniuriam, vtebantur. De illa *Martialis lib. XIV.* *Vide infrà Persium.*

Et dolet, & queritur, sibi non contingere frigus,
Propter sexcentas baccare gausapinas.

Idem *Martial. lib. XIV. Epigram. CXLV. de Penula gausapina:*

Is mihi candor inest, villorum gratia tanta est,
Vt me vel mediâ sumere messe velis.

Ex quo loco quidam *penulam* (quæ vestis erat densa ac vilis, loco pallii ad pluuiarum & frigoris iniurias composita) arbitrantur, inter vestimenta æstiua numerari posse: sed frustrà est. *Martialis* enim hoc vult, *penulæ gausapinæ* tantum esse candorem, tantam villorum gratiam, vt, licet hybernis vsibus sit destinata, etiam vel mediâ & summâ Æstate, in quam messis incidit, ob egregiam speciem, assumi debeat. *Vide Columell. de myrto.*

Gausape itaque est vestis militaris, seu straguli genus, quod olim ex *stramine* conficiebatur. Idem postea ex *lana* factum est, sed villis maioribus. Vtebantur eo etiam in vrbe, aduersum hyemis tempestatem. *Martialis lib. XIV. Epigr. CLII.* de *Gausapo quadrato:*

Lodices mittet docti tibi terra Catulli:
Nos Helicaonia de regione sumus.

Apud eundem *Gausapa villosa* sumuntur pro *mantilibus*; quibus *mensæ* teguntur. Sic enim *Martial.* ibidem *Epigr. CXXXIIX.*

Nobilius villosa tegant tibi linea Citrum:
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Hoc est, interpretante *Farnabio*, *Mensa* tuæ *citreæ* opus est villosis mantilibus, quæ custodiant eam à maculis. Mea verò vilis & abiegna, non formidat maculas. *Dalechampius in Plinium: Gausapa* (inquit) & *Gausapia, tapetes insignes mollitie villorum, & artificio texturæ, quibus mensæ teguntur.* *Persius Satyr. VI. lutea gausapa* vocat:

Iam chlamydas Regum, iam lutea gausapa captis,
Essedaq;, ingentesq; locat Cæsonia Rhenos.

Super quo loco *Eilhard. Lubinus Comment.* in *Persium*, per *lutea gausapina* intelligit vestes militares villosas (addo & splendentes) quibus vtebantur in hybernis. *Alij* (inquit) *crocei coloris stragula intelligunt.* Idem *Persius* paulò antè, *Satyra* IV. *gausape*, pro *barba* hirsuta ac prolixâ, accipit:

Tu cum maxillis balanatum gausape pectis, &c.

Hîc metaphoricôs per *gausape barba* intelligitur: *Gausape enim* (inquit *Lubinus*) *est vestis militaris, & straguli villosi genus, quo in castris vtebantur, teste Plinio, in vna superficie vel parte villos eminentes habens*; *Hoc loco, pro barba hirsuta & villosa, ac prolixa ponitur, a villorum pilorumq́ similitudine in gausape.* Per *balanatum* intelligitur *gausape oleo balanino*, siue ex *balano* facto, inunctum. *Balanus* enim est glans vnguentaria.

Plinius Gausape castrense stragulum esse tradit, atque *amphimallon* indigetat. Sic enim *libr.* IIX. *cap.* XLIIX. *Antiquis* (inquit) *torus è stramento erat, qualiter etiam nunc in castris gausape. Patris mei memoria cœpère amphimalla nostra, sicut villosa etiam ventralia. Nam tunicâ laticlaui in modum gausape texi nunc primum incipit.* Hæc de Gausape.

Gausapina igitur, quod restat, *penula* est, villosæ vestis genus, quo hybernâ potissimum tempestate aduersus frigoris impetûs vtebantur. Siue ergo è *Myrto gausapina penula*, vel tunica, facta fuerit, siue colorem, odoremque imitata *Myrti*, quæ vtique saporis atque odoris optimi habetur, *myrtea* isthinc *gausapina* vocari videtur. Quem in modum olim *vitreas togas* antiquitus quasdam fuisse appellatas, testis est *Turnebus*, *aduersar. libr.* XIV. *cap.* XIX. *Eas autem vestes* (ait) *quod ritu vitri translucerent, vitreas etiam appellatas fuisse legi. Varro apud Non. in Modio, istorum vitreæ togæ ostentant tunicæ clauos. Antè vitreum in colore poni dicebamus cæruleo, & glauco, hic pelluciditatis, non coloris significatio attenditur.* Idem de *gausapinis cubiculariis* ferè inculcat *Martialis lib.* XIV. *Epigr.* CXLVII. quales lucere canit:

Stragula purpureis lucent villosa tapetis,
Quid prodest, si te congelet vxor anus?

Vbi arguit, pluris esse vxorem aniculam ad refrigerandum, quàm *villosa gausapa*, ac tegmina ad calfaciendum.

Idem hîc quoque nobiscum sentit doctissimus *Turnebus*, qui *per Myrteam gausapinam* intelligit colorem fructus myrtei, quo *gausapa* tincta sint. Ità enim *aduersar. libr.* XIX. *cap.* VII. *Myrtea gausapina* (ait) *dicitur à Petronio de colore fructus myrtei maturi. Myrteus etiam color in equis à Palladio libr.* IV. *cap.* XIII. *numeratur*: *Verba Petronii sunt: Vltimò cynædus superuenit, myrteâ subornatus gausapinâ*: *Isidorus libr.* XII *cap.* I. *explicat colorem pressum in purpura.* Hæc *Turnebus*: cuius opinioni merito subscribimus; donec aliquis alius intereà fors veriora doceat.

Caput

Caput VIII.

B*Alenatia virga* qualis? Ea litis dirimendæ igitur à *Quartilla* apud PETRONIUM prolata. *Virga* cur *Mercurio* attributa? *Virgulâ diuinâ* adagio dicitur. *Virga* à *Circe* in magicis adhibita. *Virgâ* quoque *Moyses*, magnus ille DEI Opt. Max. legatus coràm *Pharaone*, in edendis miraculis vsus. Olim *Regibus virga* pro sceptris tributæ. *Censoria virgula* quid? *Græci* olim *famosos* ex ædibus *virgis* eiiciebant. His confine adagium: *Laureum porto baculum*.

PETRONIUS *pag.* 9. sequentia habet verba, quæ illustratione atque genuinâ interpretatione opus habere videntur: *Donec* (inquit) *Quartilla ballenatiam tenens virgam, altéq; succincta, iußit infelicibus dari mißionem.*

Quæritur igitur non indignè: *Quæ nimirum qualisve sit ballenatia ista virga, & ad quosnam vsus comparata?*

Resp. Pro *virgulâ* propriè, aut *virgâ*, quoad etymologiam, intelligimus *vimen*, *bacillum* tenuius, aut simile quiddam, quo ad verberandum vtitur: *Græcis* ῥάβδος. *Virgilius lib.* II. *Georg.* pro *thure* sumit:

——— *Solis est thurea virga Sabæis.*

Hoc verò loci per *virgam* intelligimus *spinam*, vel *cratem* è *Balenæ*, vel *Cete* alicuius ossibus confectam. Ideóq; mallumus legere *balenatiam*, vel *balenatam*, pro *ballenatia*: quòd sit desumpta è *Balena*, id est, *Cete marino*; in quæ quadrat istud *Virgilianum*:

Monstrum horrendum, informe, ingens ———

Quidam malunt legere *balleuariam virgam*, pro *ballenatia*, sicut ab *arena arenarius*, à *verbena verbenarius* descendit; vt censet *Ch. Richardus in Notis ad Petron. Ioan. Tornæsius in variis Lection. ad Petron.* modo *bellatam* dicit, aliàs *venenatam*, modo, & potissimum quidem, *balenatam* intelligit, è *balenæ* setis confectam; *quales* (inquit) *in Gallia & Batauia gestari solent à nobilibus feminis, equo vectis.* Sed non addit, vtrum ornatus, an instar scuticæ, vel alterius cuiusdam vsus igitur. *Adr. Turnebus aduersar. lib.* XIX: *cap.* VII. *Balenatam* (ait) *vocat virgam, quæ, vt opinor, è cartilagine balenæ fit, qualia videmus cælatorum ecclesiæ commentacula, vt veteres appellabant.* Eiusdem cum *Turnebo* sententiæ est *Erhardus* ille *Goldasti* bibliolegulus *in Symbol.*

Quantum ad vsum istius virgæ; moris olim fuisse aiunt, vt athletarum, vel gladiatorum certamina *virgis* dirimerentur, sicut adhuc hodie vsitatum. Id quod haud absurdè hûc videtur quadrare. Quandoquidem enim PETRONIUS varias venereas ac spurcissimas colluctationes loco suprà allegato describat, quibus scortatores inuicem quasi dissidebant, apparet facilè *Quartillam*, *Priapi* sacerdotem, aduenisse *virgam balenatiam* tenentem, vt eiusce vigore ac interpositione litem illam obscœnam dirimeret, adeoque, arbitri vice, velut interueniret. *Germani* nostri vulgò enunciant, ein Schiedsmann. Sic verò *Satyricus*, Satyricam ac lasciuam salacitatem, pugnâ obscœnâ velut mistam, depingit: *Volebamus* (inquit) *miseri exclamare, sed nec in auxilio erat quisquam, & hinc Psyche acu comatoriâ cupienti mihi inuocare Quiritium fidem, malas pungebat: illinc puella penicillo, quod & ipsum Satyrio tinxerat, Ascylton opprimebat.* Ex quibus lucta Priapo sacra facilè animaduertitur.

Post hæc

Post hæc statim subiicit, alium velut luctæ obscœnioris actum: *Vltimò* (addit) *cinædus superuenit myrteâ subornatus gausapilâ, cinguloq́ succinctus, modò extortis clunibus nos cecidit, modò basiis olidißimis inquinauit, donec Quartilla ballenatiam tenens virgam, altéq́ succincta, iußit infelicibus dari mißionem.* Idem ferè coarguit PETRONIVS infrà *pag. 36. Stante ergò* (ait) *vtraq́ acie, quum appareret futurum non stlatarium bellum, ægrè expugnauit gubernator, vt caduceatoris more Triphena inducias faceret.* Ex quibus circumstantiis euidens est, *Quartillam* aduenisse, vt luctantes in sterquilinio scortatores quasi compesceret, & oppressos (quos infelices *Satyricus* vocat) liberet, dum missionem illis dari cupit. Videmus idem hodie, sicubi athletæ, vel μονομάχοι duellis vehementius congrediantur, manûsque iratas conserant, arbitros quosdam interuenire, qui vel strictis gladiis, (si res ita poscat) vel interiectis hastis coeuntes impediant, atque luctam dirimant. Eundem itaque vsum fuisse *Virgæ balenatiæ*, quam *Quartilla* gestauit, facilè persuadeor, cùm verbis etiam prolatis significauerit, se litis dirimendæ cuiuscunque igitur aduenisse; siue id quidem seriò, siue more suo, id est, Priapêio aut Satyrico, ad speciem fecit. Eundem ferè in modum legimus *Mercurio*, Deorum nuncio, virgam à *Poëtis* asscribi, quâ se se tanquam interpretem, legatum, atque arbitrum multis in grauissimis occasionibus interponat. Sic enim à *Marone, Poëtarum* secundum *Homerum* principe, introducitur *Mercurius* virgâ præpotente à Diis nuncius missus, vt *Æneam*, rerum magnarum ab ipso perpetrandarum gratiâ, ex conspectu, lacrymis, osculis, precibus, indignationibusque (quæ magna erat *Didûs* cum *Ænea*, amantis cum amante, lucta, & concertatio) diuelleret. Vix enim poterat, vxorius alioquin *Æneas*, prout à *Mercurio* indigetatur, præ illecebris ac delicatissimis precibus tenerrimè se se amantis *Didûs*, auelli, nisi grauioribus monitis à *Mercurio* internuncio exsuscitatus, Superûm vocationi morem gessisset denique. Sic autem *Virgilius, Homerum* imitatus, de *Mercurii virga*, seu *caduceo*, *libr. IV. Æneid.*

> *Tum virgam capit. Hac animas ille euocat Orco*
> *Pallentes, alias sub tristia tartara mittit,*
> *Dat somnos, adimitq́, & lumina morte resignat,*
> *Illâ fretus, agit ventos, & turbida tranat*
> *Nubila* ——

Homerus similiter, ex quo imitatio *Virgiliana* profluxit, *Odyss. lib. ω.* eidem *Mercurio*, ceu incantatori, *Virgam monstrificam* affingit, quam *Caduceum* vocant:

> Ἑρμῆς δὲ ψυχὰς Κυλλήνιος ἐξεκαλεῖτο
> Ἀνδρῶν μνηστήρων. Ἔχε δὲ ῥάβδον μετὰ χερσὶ
> Καλὴν, χρυσείην, τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει
> Ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.

Id est:

> *Mercurius verò animas Cyllenius (ex corporibus) euocauit*
> *Virorum procorum: Tenebat verò virgam in manibus*
> *Pulchram, auream, quâ hominum oculos mulcet,*
> *Quorum vult, hos verò contrà etiam dormientes suscitat.*

Eadem penè verba de *Mercurio*, eiusdemque *Virga* repetit *Odyss. lib. ε. & Iliad. lib. ω.* Eadem super hoc loco sententia quoque est veterum interpretum, quæ superioribus, vt attulimus, accinit. Sic enim *Hyginus: Nonnulli* (inquit) *cum faciunt caduceos, duos dracones implici-*

implicitos virgulâ faciunt, quod initium Mercurio fuerat pacis. Eius exemplo & athletæ, & in reliquis certaminibus virgulâ vtuntur. Et *Seruius* in *Virgilianum* illud:

Tum virgam capit ———

Hodie (ait) tàm athletarum, quàm gladiatorum certamina, virgâ dirimuntur, & præfecti gentium Maurorum cum fiunt, Virgam accipiunt & gestant.

Homerus similem *virgam Palladi* tribuit. Ea autem adeo celebris apud antiquos fuit, vt *Antisthenes, Cynicæ* sectæ conditor, super ea librum conscripserit. Eius in pluribus locis meminit *Homerus.* Modo enim *Vlyssem* è sene squalido repentè in iuuenem formosum ac nitidum transmutauit, vt habetur *Odyss. lib.* N.

Ὣς ἄρα μιν φαμένη ῥάβδῳ ἐπεμάσσατ' Ἀθήνη:
Sic effata, virum virgâ demulsit Athenâ.

Et *Odyss. libr.* π. eundem è iuuene rursus in senem vertit:

Αὐτάρ τοι τόδε ἔργον Ἀθηναίης ἀγελείης,
Ἥ τέ με τοῖον ἔθηκεν ὅπως ἐθέλει (δύναται γάρ)
Ἄλλοτε μὲν πτωχῷ ἐναλίγκιον, ἄλλοτε δ' αὖτε
Ἀνδρὶ νέῳ καὶ καλὰ περὶ χροῒ εἵματ' ἔχοντι.

Id est:

At hoc opus est Mineruæ bellatricis,
Quæ me talem fecit, qualem vult (potest enim)
Aliquando quidem pauperi similem, aliquando verò contrà
Viro iuueni pulcras circum corpus vestes habenti.

Et paulò antè, illa omnia *Virgæ Palladis* asscribuntur:

Ἦ καὶ χρυσείῃ ῥάβδῳ ἐπεμάσσατ' Ἀθήνη.

Id est:

Dixit, & aureâ virgâ attigit eum Minerua.

Simili penè *virgâ,* vnà & *poculo Circe,* triuenefica illa, apud *Homerum Odyss. lib.* κ. in transformandis *Vlyssis* sociis vsa scribitur:

Ῥάβδῳ πεπληγυῖα κατὰ συφεοῖσιν ἔεργνυ.
Οἱ δὲ συῶν μὲν ἔχον κεφαλάς.

Id est; vertente *Desider. Erasmo:*

Compulit in numerum porcorum verbere virgæ
Percussos, & erant illis capita ecce suilla.

Et paulò infrà:

Ὁππότε κεν Κίρκη ἐλάσει περιμήκει ῥάβδῳ.

Id est:

Circe vbi te feriet prælongæ verbere virgæ.

Aliquantò post, *Vlysses* solus epoto *Circes* poculo non transformatus in pecudem, quia *virgâ* non erat percussus:

Αὐτὰρ ἐπεὶ δῶκέν τε καὶ ἔκπιον, οὐδέ μ' ἔθελξε
Ῥάβδῳ πεπληγυῖα.

Id est:

Verùm vbi porrectum poculum ebiberam, neque virgâ
Ictum me demulsit ———

Denique eâdem *virgâ* vsa est, cùm, in gratiam *Vlyssis*, socios pristinæ formæ restitueret, vt videre est penes *Homerum.*

Quid? quod *Exod. cap.* VIII. & IX. in Sacro Codice legimus, *Moysen* atque *Aaronem*

summos *DEI Opt. Max. Prophetas* ac *Sacerdotes*, coràm *Pharaone, Rege Ægypti*, in edendis miraculis *virgâ, baculóve*, vsos esse. Hanc enim modo in anguem transformârunt, eandemque pristinæ formæ restituerunt, hâc flumen in cruorem mutârunt, hâc ranas excitârunt, hac è puluere terræ pediculos produxerunt, hâc in cœlum leuatâ fulmina suscitârunt, hâc porrò *Moyses* rubri maris vndas diduxit, hâc è petra percussa fontem prolicuit. Similiter *Magos* quoque *Ægyptios* coràm *Pharaone*, in imitandis consutandisque diuinis miraculis *virgæ* ministerio angues, atque eiusmodi prodigia protulisse euidens est, qui tamen ad extremum pustulis confecti, atque frustrà omninò diabolicâ vi reluctantes manui, &, vt ipsi vocant, digito DEI omnipotentis locum cedere coacti sunt.

Hodie *virgis* quoque *corylinis*, vel è *corylo* factis, vtuntur, ad exploranda metalla sub terris latentia; quod non sine magiæ ministerio, atque *diaboli* illusione fieri posse arbitramur.

Olim *Regibus* vetustas *virgas* tribuebat, quod hodie adhûc *sceptrum* nuncupant. Hinc *Homerus* eos non semel indigetat Σκηπτοῦχοι βασιλῆες: *Reges sceptrigeros*. Antiquitas enim velut in annulis, ità in *virgis* ferendis existimabat fatalem quandam, seu magicam, inesse virtutem. Hinc *parœmia* nata: *Virgulá diuiná*: quoties, quicquid optamus, id, citrà humanam operam, quasi diuinitus nobis contingere arguimus. Hinc *M. Tullius lib. 1. de Officiis*: *Quod si* (inquit) *nobis omnia, quæ ad victum, cultumq; pertinent, virgulá, vt aiunt, diuiná, suppeditarentur*. Vide *Erasm. Chil* 1. *Cent* 1. XCVII. qui illud *adagium* ab *Homerica virgá*, quam *Palladi* tribuit, prout suprà attulimus, prouenisse autor est.

Apud eruditos quoque *censoria virgula* prouerbiali sermone vsurpatur in eos, qui superciliosam iudicandi autoritatem sibi vendicant. *Metaphora* autem transsumpta est à *Romanorum* Magistratibus, penes quem autoritas erat, de moribus ciuium iudicandi, equitemque equo, itemque Senatorem ordine suo priuandi. *Quintilianus lib.* 1. *cap.* V. de hac *Grammaticorum virgulâ*: *Quò quidem* (inquit) *ità sunt seuere vsi veteres Grammatici, vt non versus modò censoriá quadam virgá, notare*, &c. Alii interpretes *obeliscum* intelligant, aut *theta*, quo *Grammatici*, atque huius seculi *Critici*, solent versus iugulare, quos nothos & irreptitios notant. Vide *Erasm. Chil.* IV. *Cent.* VIII. XXVI.

Moris insuper olim apud *Græcos* erat, vt *virgis Famem* ex ædibus eiicerent, dicentes: ἔξω βούλιμον, εἴσω πλοῦτον, καὶ ὑγίειαν: Id est: *Foras Famem, intrò diuitias, ac sanitatem*. Hodie quoque sonticorum, qui sceleribus infames sunt, terga publicè nudata à carnifice *virgis* cæduntur, vt eo pacto è Republ. mali segregentur, extermineturque.

Superioribus autem simile est *Adagium*, quod sequitur: Δαφνίνην φορῶ βακτηρίαν: id est *Laureum porto baculum*. *Erasmus* ex *Suida* tradit, ità consuêsse eos loqui, qui ab aliquibus essent insidiis petiti, quòd periculum feliciter effugissent. *Plinius Natur. histor. lib.* XXV. *Laurum* lustrationibus adhiberi solitam refert. Eadem aduersus venena, atque fulmina valere traditur. Hinc *Tiberius Imper.* capite-tenus *Lauream coronam* semper gestauit, quòd eam arborem vnicam fulmine non percuti persuasum haberet; referente *Suetonio*.

Caput

Caput IX.

Lecythinum oleum à *Lecytho* dictum. *Lecythus* quid sit? Sumitur pro ampulla olearia, vel vasculo vnguentis referto, qualia veteres habebant in balneis. *Non est oleum in lecytho.* Itemque: *Lecythum habet in malis;* prouerbiales sunt sermones. Per translationem *Lecythus* accipitur *pro oratione tumida*, atque ornata. Propriè *oleum lecythinum* non datur, cuius *Dioscorides* nentiquam meminit. Continens itaque venit pro contento. Pro eo substituitur *oleum lentiscinum*: cuius vsus ad rem veneream, & facultates explicantur. *Lentiscum arrodere* adagiô cur dicatur? *Dentifricia è Lentisco* optimi commatis.

PAG. 9. *Intrauerunt* (inquit PETRONIVS) *palastricæ quàm plures, & nos lecytino perfusos oleo refecerunt.*

Quæritur: *Quodnam Medici vocent oleum lecythinum, & quem vsum afferat in corporibus confortandis, à Venere lassatis?*

Resp. Multi hunc locum, non parum alioquin obscurum, interpretãtur, tanquam pro *lecytino legitimum oleum* legere conueniat, quo quidem refecti fuerint scortatores & *Circes* porcelli veluti legitimi gladiatores. Cuius, inter alios, sententiæ est *Io. Wouwerenus in animaduers. ad Petron.* Admittit tamen, substitui posse, non absque autoritate, *Lecythinum oleum*, id est, *balneare*, à *Lecytho*, vel ληκύθῳ, id est, *vase oleario*. Ex glossa enim *Isidori* allegat: *Lecythus, ampulla olearia:* Et ex *Scholiaste Theocriti*: ὄλπαν, τὰν λήκυθον. Apponit autem picturam, vel formam *Lecythi*, ex illustri *Scaligero*, qualis in veteribus monumentis ac lapidibus conspecta sit. Oleis autem vnctos dimicâsse variis autoritatibus probat, id quod non admodum ad hoc dubium illustrandum, requirebatur, cùm hîc præcipuè quæstio moueatur super *oleo Lecythino*, quæ nondum clara & definita. Reliqua de inunctione eorum, qui pugnaturi erant, sunt euidentiora. Nõ enim perfundebantur solum vnguentis, sed etiam leniri iisdem solebãt conuiuæ. Neque in conuiuiis duntaxat, aut balneis veteres, sed etiam in palæstris inungebantur. Illic ad luxum, & voluptatem, hîc, vt athletarum corpora lubrica facta aduersarios eluderent: vt asserit *Guil. Philander* in *Vitruuii d. archit. libr. v. cap. xi.*

Quantum igitur ad *Lecythinum oleum* attinet, omnino iudicamus, *Lecythinum oleum*, propriè nullum esse, sed continens pro contento, id est, *Lecythum*, vel vasculum oleatium, pro ipso oleo inibi contento accipiendum. *Lecythus* enim, Græcis λήκυθος eruditiorum consensu, est certum vasis genus, ore angustiori, sed ventre protuberante, ad oleum asseruandum accommodatum. *Aul. Gellius guttam* appellat: alii *ampullam* dicunt. De quo quidem, inter cæteros eruditè disserit *Guilh. Philander* ad *Vitruuium, lib. v. d. archit. cap. xi.* Vbi *Vitruuius: Ad sinistrã* (inquit) *Ephebei eleothesium*: vbi Scholiastes pro *eleothesio* locum intelligit, vbi ceromate, vel ceraro oleo perfundebantur: quanquam *eleodeusium* potiùs dicendum ipsi videatur. Sic autẽ de *Lecytho* ibi: *Artemidorus* (inquit) *libr. primi de somniorum interpretatione, cap. LXVI. vbi de balneis scribit, lecythum vocari tradit, in quo oleum, xystrophylatem, in quo strigiles adseruarentur. Lecythum Latini modò guttam, modò ampullam dicunt. Eius & strigilis exscalptam in marmore figuram hîc vidimus ad balneas Pauli in clivo Quirinali, & formam graphicè describit Apuleius Floridorum libr. II. de Hippia loquens: Magno* (inquit) *inceptu prædixauit fabricatum semet sibi, ampullam quoq; oleariam, quam gestabat, lenticulari forma, tereti ambitu, pressulâ rotunditate, iuxtaq; honestam strigileculam, rectâ fastigatione clausulæ, flexâ tubulatione lingulæ, & vt ipsa in manu capulo moraretur, & sudor ex ea riuulo laberetur.*

P. Scriuerius in *Collectaneis Antiquitatib.Batauicis,pag.* CCXIII. aliam *Lecythi,* & quidem *vitrei,* imaginem, qualis in agro *Voorburgano* inuentus sit, nobis exhibet; Sic autem ille: *In eodem* (inquit) *agro Voorburgano repertus hic Lecythus vitreus herbacei coloris, crassus, ac proindè grauis, ansa lata, eaq; rhomborum instar crenata.*

Lecythus vitreus propè Lugdunum inuentus.

Non alienus ab his est, quæ de *Lecytho* astruimus, *Des. Erasmus in Adag. Chil.* III. *Centur.* VI. LXXII. vbi sequentem *parœmiam* tractat: Ἔλαιον οὐκ ἔνεστιν ἐν τῇ ληκύθῳ: Id est: *Non est oleum in Lecytho:* siue, *Olei liquor nequaquam est in Lecytho.* Arguit autem, eo adagio significari, non esse precibus locum apud inexorabilem. Eius autor *Aristophanes in Auibus.* Est autem allusio ad vocem. Nam ἔλαιον *oleum* significat, & ἔλεος misericordiam, & haud scio, an altera ab altera sit deriuata, vt autor *Erasmus*, qui quidem, quid sit *lecythus*, eo loci non explicat. Idem *Chil.* IV. *Centur.* IIX. LXII. nihilo-minus *Lecythum* vasculum vocat vnguentarium, vndè facies fucari soleat. Hinc in *vetulas* atque *anûs*, quales fucis rugas inducunt, adagio fertur: Λήκυθον πρὸς ταῖς γνάθοις ἔχει: id est: *Lecythum habet in malis, vel ad malas.* Talis erat *Phryne* meretrix, quæ à quæstu non recedebat, tametsi iam vetula. De qua *Aristophanes in Concionatricibus:* Φρύνην ἔχουσαν λήκυθον πρὸς ταῖς γνάθοις: id est: *Phrynem gerentem Lecythum iuxtà genas.* *Iulius Pollux* quoque *Lecythum* inter vasa vnguentaria refert. Sed hæc de *Lecytho*, quàm fieri potuit, propriè.

Per metaphoram vero *Lecythus* sumitur pro splendore orationis, & exculta in scribendo cura. Hinc *M. Tullius lib.* I. *Epist.* IX. *ad Atticum: Totum* (inquit) *hunc locum, quem ego in Aristocratia variè in meis orationibus, quarum tu Aristarchus es, soleo pingere, de flamma, de ferro* (*nosti illas* ληκύθους) *valdè grauiter pertexuit.* Similiter *Plinius lib.* I. *Epist.* II. *Lecythum* accipit pro oratione amœna, pigmentisque orationis: *Non tamen* (inquit) *omninò Marci nostri* ληκύθους *fugimus, quoties paulùm itinere decedere non intempestiuis amœnitatibus admonebamur. Turnebus* porro pro orationis amœnitate, atque elegantia interpretatur *aduers. lib.* IX. *cap.* III. *Sed orationis* (inquit) *elegantia atque amœnitas, cum magnificentia & grauitate plerumque coniungi solet. Hoc certè constat, à tumore ampullarum, quæ* λήκυθοι *Græcè dicuntur, hoc genus translationis profectum esse. Hinc & Strabonis illud lib.* XIII. *Georg. multis obscurum existimatum arbitror explicandum,* ἀλλὰ θέρος ληκυθίζει. Quidam pro oratione tumida ac superba *Lecythum* accipiunt. Hinc illud:

Proiicit ampullas, & sesquipedalia verba.

Id est, omittit orationis amplitudinem ac superbiam, vt vult *Turnebus*. Itemque *Horatius libr.* I. *Epist.*

An Tragica desæuit & ampullatur in arte?

Cum *Cicerone* & *Plinio* consentit *Erhardus Goldastin. in Symbol. ad Petron. Quos Petronius* (inquit) *mellitos globulos, Cic. lib.* I. *ad Atticum dixit* ληκύθους, *quasi dicas, vncta verba, & oleo sparsa; Et nescio quos* ληκύθους λόγων. Paulò alienior à præcedentibus est *P. Nannius in Miscellaneis Criticis Syllog.* V. *cap.* III. qui per ληκύθους locos communes intelligit. Ità autem ille: *Opinorq;* (inquit) *Plinium, & item Ciceronem per* ληκύθους *locos communes intelligere, quibus orationem quasi picturatam reddis, additis topographiis, ethologiis, chiesterismis, aliisq; figuris, quæ moratam & florentem efficiunt dictionem, & quasi colorem addunt rebus. Videtur enim Plinius contentioni dicendi hos Lecythos opponere. Est enim* λήκυθος, *inter cetera significata, vas vnguentarium. Iam metaphoricôs, vt corpora nitent & fragrant ex vnguento, ità squalor & tristitia orationis huius-modi amœnitatibus locorum schematumq; recreatur.* Hæc Nannius.

Cæterùm,

Cæterum, *Dioscorides libr.* 1. *de mater. medic.* conmeminit *olei Sicyonii*, *cap.* XXXIII. & *cap.* XXXVIII. *olei Cicini*, cuius præparandi modum, vires, atque vsum ibidem describit. Idem non-nulla aspergit de *Gnidico oleo*, *cap.* XLIII. & *cap.* XLIV. *de Cincino oleo* ibidem. Sed *lecythini* illius *olei*, aut ollæ vnguentariæ, nulla mentio, nullum vestigium vel penes dictum autorem, vel penes naturales philosophos, aut herbarios. Quid si igitur in tanta huius vocabuli obscuritate prætendemus; substituamusque *oleum lentiscinum*, de quo multi autores multa? Certè, vt vt sit, facile fieri potuit, vt pro *lentiscino lecitinum* irrepserit errore aliquo. Videamus igitur, an non *lentiscinum oleum* hîc commodè substitui, adhiberique possit ad eosdem vsus.

Lentiscinum (inquit *Dioscorides*) *verò similiter, atq; laurinum ex maturo fructu confectum ac prius inspissatum, scabiem iumentorum canumq; sanat. Pessis, acopis, & ad lepras tollendas accommodatis medicamentis aptè & vtiliter miscetur, ac sudores etiam* (quod notandum) cohibet: *libr.* 1. *cap.* LVI. Et porrò *cap.* LXXXIX. ibidem de *Lentisco* subiicit: *Lentiscus nota arbor est, partibus sui omnib. astrictoria. Etenim ipsius fructus folium, ramorum & radicis cortex, pares vires sortiuntur. Hæc simul in aqua sufficienter coquantur, quæ deinde, vbi à coctione refrigerata fuerit, abiectis foliis iterum coquitur, donec mellis habeat crassitudinem. Valet is, qua pollet astringendi vi, ad sanguinis reiectiones, alui profluuia, & dysenterias, in potu: itemq; contra sanguinis ex vtero eruptiones, atq; tum ipsius vteri, tum etiam sedis procidentias. In summa deniq; Acaciæ & hypocistidis vice ipso vti licet. Eadem quoq; præstat succus è tritis foliis expressus. Quin & eorum decoctum fotu caua explet, ossaq; , quæ nondum conferbuerunt, obducto callo solidat, ex vtero fluxiones sistit, nomas arcet, vrinas ciet, ac dentes mobiles collutione firmat atq; stabilit. Virtutes autem surculi arundineorum dentiscalpiorum vice dentibus affricti, eos repurgant. Fit deniq; & ex ipso Lentisci fructu astringens oleum ad ea, quæ astrictionem desiderant, accommodatum.* Videatur idem *Diosc. cap.* sequenti de *Resina lentiscina*. *Palladius* etiam *libr. de re rustic. tit.* XXI. compositionem *olei lentiscini* præscribit & commendat. Dicitur autem à non nullis ideò *Lentiscus*, quòd liquore quodam lentescat, id est, quod succulentum ac tenacem in se contineat. Ex eo siquidem *Gummi Mastiche* exsudat. *M. Tullius Lentiscum* his versiculis describit:

Iam verò semper viridis, semperq; grauata
Lentiscus, triplici solita est grandescere fœtu,
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

Vulgò dicitur Mastirbaum / à *Gummi* Mastiche / quod ex illa arbore prouenit; sicut quoque *pix*, & *Resina lentiscina* dicta. Eius itaque *oleum* (*lentiscinum*, inquam) prædicarunt contra affectus matricis, *lepram* item; Quin imò sudorem cohibet, & lassitudini membrorum auxiliatur. Quâ de re magis in sententia confirmor, *Petronium* fors *oleum lentiscinum*, intellexisse, vtpote cuius inunctione lassatos è præliis venereis confortatos refectosque esse innuit. Quo quidem facit vis eius astrictoria, ad cutim roborandam confirmandamque. Sic enim *Petronius*: *Intrauerunt palæstricæ quamplures, & nos lecitino* (lentiscino) *perfusos oleo refecerunt.* Quæ circumstantiæ, tum etiam vocabuli ipsius harmonia, syllabarumque pronunciatio, vtrum hîc non euincant, *oleum lentiscinum* pro *lecitino* substituendum esse, vix adeò negari posse videtur.

Lentiscum porrò, quia adhibebatur à veteribus ad dentifricia, dentes dealbandos, abstergendosque, & eiusmodi corporis mundiciem, in prouerbialem abiit sententiam penes Græcos: Σχῖνον διατρώγειν, id est, *Lentiscum arrodere*, vel *mandere*. Dictum id

Hh 3 autem

autem fuit in eos, qui nimio comendi corporis studio superfluebant. Ex *Lentisco* enim dentifricia, vel pulueres dealbandis dentibus commodi itemq́ue *Dentiscalpia* confiunt, ad purgandos poliendosq́ue dentes. Hinc *Martialis*

Lentiscum melius, sed si tibi frondea cuspis
Defuerit, dentes penna leuare potest.

Eosdem *lentiscinos cuspides*, dentibus purgandis aptos, prædicat *Dioscorides* quoq; *libr.* 1. Idem *decoctum lentisci* ex aqua contra dentes vacillantes pro gargarismate præscribit.

Illi igitur, quibus *Dentiscalpia* semper in buccis sunt, *lentisci arrosores*, [illegible] dicuntur. Delicatulis enim olim obiici solebat *dentium cura*. Sic *Apuleio* obiectum fuit, quod *dentifricium* parâsset.

Hac occasione prouerbium illud *Lentiscum arrodere*, vel *dentes curare*, translatum quoq; fuit ad reliquum corporis humani cultum ornatumq́ue: de quo vide *Desi. Erasmum Chil.* 1. *Cent.* VIII. XXXIII. Interim sicubi eruditionibus lectio *lentiscini* pro *lecythino* non arrideat, certum est, nullum propriè, vti diximus, *oleum* esse *lecythinum*, sed continens: lecythum scilicet, vel vas vnguentarium, pro ipso oleo inibi contento accipiendum.

Caput X.

Fucus species artis Cosmetica. Eius artis latitudo. *Fuci cur dicantur muliebres.* *Fucus* in viro omninò infamis. *Fucus* propriè quis? quis item per translationem? *Fucorum* genera tria: scil. *Cerussa, Purpurissa, & stibium.* *Fucorum*, ratione materiæ, ex qua confiunt, differentiæ variæ. *Pallor, & subfiscatio, fuci species.* *Fucos* adhibendi ratio methodica, præmissis vniuersalibus, è *Rond letio Medico.* *Fucorum* fo. mulæ, earumq́ue vsus. *Acacia & Creta* quid faciant ad fucos? *Cretá notare* adagio dicitur. *Creta* quid & quotuplex? *Creta species* quinam? *Fucus ex Acacia & Creta* apud *Petronium* pulusculus fuisse docetur. Hinc *parietes dealbati* prouerbialiter dicuntur, qui *fuco* obliti sunt. *Personati* quoque homines vocantur, qui *fucum* faciunt. *Fucum facere*, prouerbialis locutio. *Pennicillare manticulari;* [illegible] itemq́ue *effucia* dicebantur antiquis *de fucu.* *Fucus* cum *hypocrisi* comparatur. *Fuci* pia & solida detestatio.

PRo decimâ quæstione interrogatur: *Quale & cuius-modi sit istboc fuci muliebris genus, quod ex Acacia & Creta constiterit?* Sic enim habetur apud PETRON. *pag.* 10. *Perfluebant per frontem sudantis Acacia riui, & inter rugas malarum tantum erat Cretæ, vt putares detectum parietem nimbo laborare.*

Pro quorum resolutione sciendum est initio, *Fucum* esse speciem artis *Comptoriæ*, à *Medicis* ita dictæ, quæ in genere omnis generis vitia, quæ cutim infestant, emendare studet. Est itaque *Fucus* ex genere medicamentorum comptoriorum, quæ fallum & appictum colorem, diuersum à naturali & genuino mentiuntur & repręsentant. Quâ ratione ad studium solius pulcritudinis pertinet. Eo quidem pacto faciei maculæ, lentigines, rugę, cicatrices, verrucę, imò quęcunq; vitia alia, quæ vel emendantur, vel inducuntur, occultanturque, ad artem comptoriam spectant, & *fucos*. Aliquando *pili* quoq; ingrati, vt in hircis, omninò absumuntur, cutisq; depilatur, vt glabra reddatur, quod medicamentis, *Psilotris* dictis, perficitur. Contrà in aliis loca nimis glabra pilis de industria vestiuntur, prout in iis accidit, qui *barbam* desiderant, aut qui *alopeciá, caluitie,*

& pi-

& pilorum casu; vel de fluvio laborant. Huc pertinent, quæ *Dentes* nigros, squalidos, fœtentesq; corrigunt, emendant, dealbantque, cuius modi *Dentifricia* vocantur: necnon eaqueq; medicamina, quæ cutis ac faciei vitia ex ambustione *Solis, ignis, sulphuris, aquæ, oleiq;* calentis, *pice* itidem, *ferroq; ignito* sanant: itemq; quæ cicatrices ex *vulneribus, pustulis*, aut *variolis* natas curant: imò ea insuper, quæ homines nimis obesos extenuant, atq; extenuatos impinguant; omnia, inquam, hæc, & plura eius-modi alia, ad artem *comptoriam* referuntur non immerito.

Quidam *Cosmetica à fucis* ita differre arguunt, vt scil. *Fucus* is sit, quo color falsus pro vero repræsentatur: *Cosmetica* verò sint hæc, quæ quidem alienum atque ementitum colorem non referant, sed naturalem saltem, alioquin obsoletum, deturpatumque, emendent, imò nitidiorem elegantioremque reddant.

Vocantur autem *fuci* meritò *muliebres*, quod isthoc præcipuè hominum genus pulcritudinis sit studiosissimum, & faciem, manus, collum, capillitium, & membra eiusmodi, quæ sub conspectum veniunt, ad excitandos amatores, omnibus modis pingat, coloretque. Quæ curiositas alioquin maribus non admodum consueta huc vsque fuit, nisi illi faciles sint tenelluli, atque effœminati prorsus. In quibus tamen si qui etiam fuco faciem pingere lasciviant, non indigne color, imò facies illa infamis habenda veniat. Rectissimè, præstantissimus Elegiacorum, *Ovidius*, viris, quanquam amatoribus, formæ si non neglectum omnem, saltem mundiciem, & virilem ornatum, excusso pulcritudinis, imò fuci omnis, studio, commendat, *libr. 1. de art. amand.*

Forma viros neglecta decet. ——

Itemque ibidem:

Munditiæ placeant. ——

Et paulò post addit:

Cætera lasciuæ faciant concede puellæ,
Et si quis malè vir quærit habere virum.

Quibus opportunè astipulatur *Salustius, de bello Iugurthino: Munditias* (inquiens) *mulieribus, viris laborem conuenire.*

Interim, quoad etymologiam nominis, *Fucus* propriè color est, quo panni & lanæ inficiuntur. Per translationē accipitur pro medicamine, seu colore, quo facies pingitur, vt ornatior euadat. Tria autem potissimum enarrantur *fuci* genera. Aliud colore candido constat, & propriè *Cerussa* vocatur. Aliud rubore valet, & *Purpurissa* dicitur. Aliud deniq; nigrore inficit, & *Stibium* nominatur, quod potissimum ad palpebras & supercilia adhibetur. De *Cerussa* itaque accipiendus hic locus *Petron.* cum *de Creta* is, & nimbo parietis velut detecti, quos dealbari communiter omnes nonimus, declamet.

Quantum ad differentias *Fucorum* attinet, non vno modo illæ variant, prout homines illis vsuri cum habitu corporis, tum cutis quoque maculis, & vitiis, iisq; leuioribus graviotibusq; differentes sunt. Ratione itaque materiæ, è qua *Fuci* componuntur, differunt insuper. Alii enim *Fuci* consiunt è materiis *dealbantibus* & *detergentibus*, quibus cutis, alioquin fusca, aut nigra, dealbari, aspectuque gratior reddi, tùm humor etiam, fuscum aut nigrum illum colorem causans, continuo detergentium vsu ablumi ac detergeri, aliusque succus successu temporis melior allici, attrahique potest. His adduntur *Emollientia*, eum scilicet in finem, vt & cutis, præter inductum gratum colorem, mollitiem acquirat decentem.

Quem

Quem in finem, vt nitor cuti splendorque eò melius concilietur, *mucilaginosa* & *pinguia* quoque hanc in rem adhibentur. Cuius-modi inter alia, sunt *Cerussa*, *terra Cimolia*, siue *Creta*, radices *Serpentariæ* maioris, *serpentariæ minoris*, vel *ari*, *cucumeris asinini*, *camphora*, *Saccharum*, & quæ similiter sunt summè albicantia. Huc faciunt, *lac virginale* dictum, quod *Medici* præscribunt, item *lac vaccinum*, *caprinum*, inprimis *asininum*. Sic *Poppæa*, *Neronis Tyranni* pellex, balneo ex *lacte asinino* parato, ad nitorem licut & mollitudinem cuti conciliandam, vniuersum corpus lauare consueuerat. *Plinius* enim autor est, eam tanto studio corporis nitorem curasse, vt quotidie quingentæ asinæ, quæ proximè peperissent, mulgerentur, vt *Poppæa* earum lacte lauaretur: vt habet *libr. natur. histor.* XXIIX. *cap.* XII. *&* *libr.* XI. *cap.* IV. Ad superiorum catalogum referri possunt, *oleum amygdal. dulc. oleum de been*, *sesaminum*, *lentiscinum*, inprimis *lecythinum*, de quo cap. superiori, modò rectè *lecythinum* dici possit, vbi equidem continens pro contento accipi crediderim.

Huc pertinent, quæ *Ouidius*, *libr.* III. *de art. amand.* ad candorem faciei conciliandam, de *Cera & croco* recenset:

Scitis & inductâ candorem quærere Cera:
Sanguine quæ vero non rubet, arte rubet.
Arte supercilii confinia nuda repletis,
Paruaq; sinceras velat aluta genas.
Nec pudor est oculos tenui signare fauilla,
Vel prope te nato lucide Cydne croco.

Idem *libr. d. medicam. faciei*, *fucos* præscribit, ad candorem, ex *hordeo* excorticato, *eruo*, *ouis*, *cornubus cerui* primis, *bulbis narcißi*, *melle* &c.

Discite, cum teneros somnus dimiserit artus,
Candida quo poßint ora nitere modo.
Hordea quæ Lybici ratibus misêre coloni,
Exue de palea, tegminibusq; suis.
Par erui mensura, decem madefiat ab ouis,
Sed tumulent libras hordea nuda duas.
Hæc vbi ventosas fuerint siccata per auras,
Lenta iube scabra frangat asella mola.
Et quæ prima cadunt viuaci cornua ceruo,
Contere: in hæc solida sexta fâce aßis eat.
Namq; vbi puluereæ fuerint confusa farina,
Protinus innumeris omnia cerne cauis.
Adiice narcißi bis sex sine cortice bulbos,
Strenua quos puro marmore dextra terat.
Sextantemq; trahat gummi cum semine tuso,
Et nouies tantò plus tibi mellis eat.
Quæcunq; afficiet tali medicamine vultum,
Fulgebit speculo leuior ipsa suo.

Ibidem aliud *fuci* genus præscribit ex *lupinis*, *fabis*, *cerussa*, *nitro*, *iride Illyrica*, *nido Halcyonum*, *melle*, *thure*, *gummi*, *myrrha*, &c.

Nec tu pallentes dubita nudare lupinos,
Et simul instantis corpora frange fabæ.
Vtraq; sex habeant æquo discrimine libras,
Vtraq; da nigris comminuenda molis.
Nec cerussa tibi, nec nitri spuma rubentis
Desit, & Illyrica quæ venit iris humo.
Da validis iuuenum pariter subigenda lacertis,
Sed iustum tritis vncia pondus erit.
Addita de querulo volucrum medicamina nido,
Ore fugant maculas, Halcyonæa vocant.
Pondere si quæris quo sim contentus in illis.
Quod trahit in partes vncia sexta duas.
Vt coëant, apteq; lini per corpora possint,
Adiice de flauis Attica mella fauis.
Quamuis thura Deos, irataq; numina placent,
Non tamen accensis omnia danda focis.
Thus vbi miscueris radenti corpora nitro,
Ponderibus iustis fac sit vtrumq; trahens.
Parte minus quarta direptum cortice gummi,
Et modicum è myrrhis pinguibus adde cibum.
Hæc vbi contriueris, per densa foramina cerne:
Puluis ab infuso melle premendus erit.
Profuit & marathos benè olentibus addere myrrhis:
Quinq; parent marathi scrupula, myrrha nouem.
Arentisq; rosæ quantum manus vna prehendat,
Cumq; Ammoniaco mascula thura sale.
Hordea quem faciunt illis infunde cremorem,
Aequent expensas cum sale thura rosas.
Tempore sit paruo mulier licet illita vultum,
Hærebit toto nullus in orbe color.

Addit denique, quasdam feminas ex *Papauere* in frigida trito faciem illinere:

Vidi, quæ gelida madefacta papauera lympha
Contereret, teneris illineretq; genis.

Hactenus *Ouidius.*

Præterea *Fuci* interdum conficiuntur ex *Rubificantibus*, quanquam rarius. Ersi enim iuxtà *Nasonem*, decoris, decorique studiosissimum, *pallidus color* amantibus sit aptissimus, prout ingeniose *libr. 1. de art. amand.*

Palleat omnis amans. color hic est aptus amanti:

nihilo-minus tamen reperiuntur è femellis, imò viris etiam, non-nulli, vsque eo pallentes, vt ad nigredinem liuiditatemque potius accedant. *P. Forestus, Medicus Belga* clarissimus *libr. d. fucis, obser. 11.* affert, puellas *Delphenses* de industria *triticum* comedere, quò faciem acquirant pallentem. Hinc, ait, adeo ventriculum offendunt, vt *Picâ* laborantes potius deformes reddantur. Purgat eas cum *Aloë*, aut *Pilulis de Hiera*, aut *Alephangitis* hoc in casu. Eius-modi portò stulta palliditas corrigitur *pyrethro* in Alembico

 destil-

Quem in finem, vt nitor cuti splendorque eò melius concilietur, *mucilaginosa* & *pinguia* quoque hanc in rem adhibentur. Cuius-modi inter alia, sunt *Cerussa*, *terra Cimolia*, siue *Creta*, radices *Serpentariæ* maioris, *serpentariæ minoris*, vel *ari*, *cucumeris asinini*, *camphora*, *Saccharum*, & quæ similiter sunt summè albicantia. Hûc faciunt, *lac virginale* dictum, quod *Medici* præscribunt, item *lac vaccinum*, *caprinum*, inprimis *asininum*. Sic *Poppæa*, *Neronis Tyranni* pellex, balneo ex *lacte asinino* parato, ad nitorem sicut & mollitudinem cuti conciliandam, vniuersum corpus lauare consueuerat. *Plinius* enim autor est, eam tanto studio corporis nitorem curasse, vt quotidie quingentæ asinæ, quæ proximè peperissent, mulgerentur, vt *Poppæa* earum lacte lauaretur: vt habet *libr. natur. histor.* XXIIX. *cap.* XII. & *libr.* XI. *cap.* XV. Ad superiorum catalogum referri possunt, *oleum amygdal. dulc. oleum de been*, *sesaminum*, *lentiscinum*, inprimis *lecythinum*, de quo cap. superiori, modò rectè *lecythinum* dici possit, vbi equidem continens pro contento accipi crediderim.

Hûc pertinent, quæ *Ouidius*, *libr.* III. *de art. amand.* ad candorem faciei conciliandam, de *Cera* & *croco* recenset:

Scitis & inductâ candorem quærere Cera:
Sanguine quæ vero non rubet, arte rubet.
Arte supercilii confinia nuda repletis,
Paruaq; sinceras velat aluta genas.
Nec pudor est oculos tenui signare fauilla,
Vel prope te nato lucide Cydne croco.

Idem *libr. d. medicam. faciei*, *fucos* præscribit, ad candorem, ex *hordeo* excorticato, *eruo*, *ouis*, *cornubus cerui* primis, *bulbis narcissi*, *melle* &c.

Discite, cum teneros somnus dimiserit artus,
Candida quo possint ora nitere modo.
Hordea quæ Lybici ratibus misêre coloni,
Exue de palea, tegminibusq; suis.
Par erui mensura, decem madefiat ab ouis,
Sed tumulent libras hordea nuda duas.
Hæc vbi ventosas fuerint siccata per auras,
Lenta iube scabra frangat asella mola.
Et quæ prima cadunt viuaci cornua ceruo,
Contere: in hæc solida sexta face assis eat.
Namq; vbi puluerea fuerint confusa farina,
Protinus innumeris omnia cerne cauis.
Adiice narcissi bis sex sine cortice bulbos,
Strenua quos puro marmore dextra terat.
Sextantemq; trahat gummi cum semine tuso,
Et nouies tantò plus tibi mellis eat.
Quæcunq; afficiet tali medicamine vultum,
Fulgebit speculo leuior ipsa suo.

Ibidem aliud *fuci* genus præscribit ex *lupinis*, *fabis*, *cerussa*, *nitro*, *iride Illyrica*, *nido Halcyonum*, *melle*, *thure*, *gummi*, *myrrha*, &c.

Nec

Nec tu pallentes dubita nudare lupinos,
Et simul instantis corpora frange fabæ.
Vtraq; sex habeant æquo discrimine libras,
Vtraq; da nigris comminuenda molis.
Nec cerussa tibi, nec nitri spuma rubentis
Desit, & Illyrica quæ venit iris humo.
Da validis iuuenum pariter subigenda lacertis,
Sed iustum tritis vncia pondus erit.
Addita de querulo volucrum medicamina nido,
Ore fugant maculas, Halcyonæa vocant.
Pondere si quæris quo sim contentus in illis.
Quod trahit in partes vncia sexta duas.
Vt coëant, apteq; lini per corpora possint,
Adiice de flauis Attica mella fauis.
Quamuis thura Deos, irataq; numina placent,
Non tamen accensis omnia danda focis.
Thus vbi miscueris radenti corpora nitro,
Ponderibus iustis fac sit vtrumq; trahens.
Parte minus quarta direptum cortice gummi,
Et modicum è myrrhis pinguibus adde cibum.
Hæc vbi contriueris, per densa foramina cerne:
Puluis ab infuso melle premendus erit.
Profuit & marathos benè olentibus addere myrrhis:
Quinq; parent marathi scrupula, myrrha nouem.
Arentisq; rosæ quantum manus vna prehendat,
Cumq; Ammoniaco mascula thura sale.
Hordea quem faciunt illis infunde cremorem,
Aequent expensas cum sale thura rosas.
Tempore sit paruo mulier licet illita vultum,
Hærebit toto nullus in orbe color.

Addit denique, quasdam feminas ex *Papauere* in frigida trito faciem illinere:

Vidi, quæ gelida madefacta papauera lympha
Contereret, teneris illineretq; genis.

Hactenus *Ouidius*.

Præterea *Fuci* interdum conficiuntur ex *Rubificantibus*, quanquam rarius. Etsi enim iuxtà *Nasonem*, decoris, decorique studiosissimum, *pallidus color* amantibus sit aptissimus, prout ingeniose *libr. 1. de art. amand.*

Palleat omnis amans. color hic est aptus amanti:

nihilo-minus tamen reperiuntur è femellis, imò viris etiam, non-nulli, vsque eo pallentes, vt ad nigredinem liuiditatemque potius accedant. *P. Forestus, Medicus Belga* clarissimus *libr. d. fucis, obser. 11.* affert, puellas *Delphenses* de industria *triticum* comedere, quò faciem acquirant pallentem. Hinc, ait, adeo ventriculum offendunt, vt *Picâ* laborantes potius deformes reddantur. Purgat eas cum *Aloë*, aut *Pilulis de Hiera*, aut *Alephanginis* hoc in casu. Eius-modi porrò stulta palliditas corrigitur *pyrethro* in Alembico

Quem in finem, vt nitor cuti splendorque eò melius concilietur, *mucilaginosa* & *pinguia* quoque hanc in rem adhibentur. Cuius-modi materalia, sunt *Cerussa*, *terra Cimolia*, siue *Creta*, radices *Serpentariæ* maioris, *serpentariæ minoris*, vel *ari*, *cucumeris asinini*, *camphora*, *Saccharum*, & quæ similiter sunt summè albicantia. Huc faciunt, *lac virginale* dictum, quod *Medici* præscribunt, item *lac vaccinum*, *caprinum*, inprimis *asininum*. Sic *Poppæa*, *Neronis Tyranni* pellex, balneo ex *lacte asinino* parato, ad nitorem sicut & mollitudinem cuti conciliandam, vniuersum corpus lauare consueuerat. *Plinius* enim autor est, eam tanto studio corporis nitorem curasse, vt quotidie quingentæ asinæ, quæ proximè peperissent, mulgerentur, vt *Poppæa* earum lacte lauaretur: vt habet *libr. natur. histor.* XXIIX. *cap.* XII. & *libr.* XI. *cap.* XV. Ad superiorum catalogum referri possunt, *oleum amygdal. dulc. oleum de been. sesaminum*, *lentiscinum*, inprimis *lecythinum*, de quo cap. superiori, modò rectè *lecythinum* dici possit, vbi equidem continens pro contento accipi crediderim.

Huc pertinent, quæ *Ouidius*, *libr.* III. *de art. amand.* ad candorem faciei conciliandam, de *Cera* & *croco* recenset:

Scitis & inductâ candorem quærere Cera:
Sanguine quæ vero non rubet, arte rubet.
Arte supercilii confinia nuda repletis,
Paruaq; sinceras velat aluta genas.
Nec pudor est oculos tenui signare fauilla,
Vel prope te nato lucide Cydne croco.

Idem *libr. d. medicam. faciei*, *fucos* præscribit, ad candorem, ex *hordeo* excorticato, *eruo*, *ouis*, *cornubus cerui* primis, *bulbis narcissi*, *melle* &c.

Discite, cum teneros somnus dimiserit artus,
Candida quo possint ora nitere modo.
Hordea quæ Lybici ratibus misêre coloni,
Exue de palea, tegminibusq; suis.
Par erui mensura, decem madefiat ab ouis,
Sed tumulent libras hordea nuda duas.
Hæc vbi ventosas fuerint siccata per auras,
Lenta iube scabra frangat asella mola.
Et quæ prima cadunt viuaci cornua ceruo,
Contere: in hæc solida sexta face assis eat.
Namq; vbi puluereæ fuerint confusa farina,
Protinus innumeris omnia cerne cauis.
Adiice narcissi bis sex sine cortice bulbos,
Strenua quos puro marmore dextra terat.
Sextantemq; trahat gummi cum semine tuso,
Et nouies tantò plus tibi mellis eat.
Quæcunq; afficiet tali medicamine vultum,
Fulgebit speculo leuior ipsa suo.

Ibidem aliud *fuci* genus præscribit ex *lupinis*, *fabis*, *cerussa*, *nitro*, *iride Illyrica*, *nido Halcyonum*, *melle*, *thure*, *gummi*, *myrrha*, &c.

Nec

Nec tu pallentes dubita nudare lupinos,
Et simul inflantis corpora frange fabæ.
Vtraq; sex habeant æquo discrimine libras,
Vtraq; da nigris comminuenda molis.
Nec cerussa tibi, nec nitri spuma rubentis
Desit, & Illyrica quæ venit iris humo.
Da validis iuuenum pariter subigenda lacertis,
Sed iustum tritis vncia pondus erit.
Addita de querulo volucrum medicamina nido,
Ore fugant maculas, Halcyonæa vocant.
Pondere si quæris quo sim contentus in illis.
Quod trahit in partes vncia sexta du.s.
Vt coëant, apteq; lini per corpora possint,
Adiice de flauis Attica mella fauis.
Quamuis thura Deos, irataq; numina placent,
Non tamen accensis omnia danda focis.
Thus vbi miscueris radenti corpora nitro,
Ponderibus iustis fac sit vtrumq; trahens.
Parte minus quarta direptum cortice gummi,
Et modicum è myrrhis pinguibus adde cibum.
Hæc vbi contriueris, per densa foramina cerne:
Puluis ab infuso melle premendus erit.
Profuit & marathos benè olentibus addere myrrhis:
Quinq; parent marathi scrupula, myrrha nouem.
Arentisq; rosæ quantum manus vna prehendat,
Cumq; Ammoniaco mascula thura sale.
Hordea quem faciunt illis infunde cremorem,
Aequent expensas cum sale thura rosas.
Tempore sit paruo mulier licet illita vultum,
Hærebit toto nullus in orbe color.

Addit deniq;ue, quasdam feminas ex *Papauere* in frigida trito faciem illinere:

Vidi, quæ gelida madefacta papauera lympha
Contereret, teneris illineretq; genis.

Hactenus *Ouidius*.

Præterea *Fuci* interdum conficiuntur ex *Rubificantibus*, quanquam rarius. Etsi enim iuxtà *Nasonem*, decoris, decoriq;ue studiosissimum, *pallidus color* amantibus sit aptissimus, prout ingeniose *libr. 1. de art. amand.*

Palleat omnis amans. color hic est aptus amanti:

nihilo-minus tamen reperiuntur è femellis, imò viris etiam, non-nulli, vsq;ue eo pallentes, vt ad nigredinem liuiditatemq;ue potius accedant. *P. Forestus, Medicus Belga* clarissimus *libr. d. fucis, obser. 11.* affert, puellas *Delphenses* de industria *triticum* comedere, quò faciem acquirant pallentem. Hinc, ait, adeo ventriculum offendunt, vt *Picâ* laborantes potius deformes reddantur. Purgat eas cum *Aloë*, aut *Pilulis de Hiera*, aut *Alephanginis* hoc in casu. Eius-modi porrò stulta palliditas corrigitur *pyrethro* in Alembico

Ii destil-

Quem in finem, vt nitor cuti splendorque eò melius concilietur, *mucilaginosa* & *pinguia* quoque hanc in rem adhibentur. Cuius-modi inter alia, sunt *Cerussa*, *terra Cimolia*, siue *Creta*, radices *Serpentariæ* maioris, *serpentariæ minoris*, vel *ari*, *cucumeris asinini*, *camphora*, *Saccharum*, & quæ similiter sunt summè albicantia. Hûc faciunt, *lac virginale* dictum, quod *Medici* præscribunt, item *lac vaccinum*, *caprinum*, inprimis *asininum*. Sic *Poppæa*, *Neronis Tyranni* pellex, balneo ex *lacte asinino* parato, ad nitorem sicut & mollitudinem cuti conciliandam, vniuersum corpus lauare consueuerat. *Plinius* enim autor est, eam tanto studio corporis nitorem curasse, vt quotidie quingentæ asinæ, quæ proximè peperissent, mulgerentur, vt *Poppæa* earum lacte lauaretur: vt habet *libr. natur. histor.* XXIIX. *cap.* XII. *& libr.* XI. *cap.* XV. Ad superiorum catalogum referri possunt, *oleum amygdal. dulc. oleum de been*, *sesaminum*, *lentiscinum*, inprimis *lecythinum*, de quo cap. superiori, modò rectè *lecythinum* dici possit, vbi equidem continens pro contento accipi crediderim.

Hûc pertinent, quæ *Ouidius*, *libr.* III. *de art. amand.* ad candorem faciei conciliandam, de *Cera & croco* recenset:

Scitis & inductâ candorem quærere Cera:
Sanguine quæ vero non rubet, arte rubet.
Arte supercilii confinia nuda repletis,
Paruaq; sinceras velat aluta genas.
Nec pudor est oculos tenui signare fauilla,
Vel prope te nato lucide Cydne croco.

Idem *libr. d. medicam. faciei*, *fucos* præscribit, ad candorem, ex *hordeo* excorticato, *eruo*, *ouis*, *cornubus cerui* primis, *bulbis narcissi*, *melle* &c.

Discite, cum teneros somnus dimiserit artus,
Candida quo possint ora nitere modo.
Hordea quæ Lybici ratibus misêre coloni,
Exue de palea, tegminibusq; suis.
Par erui mensura, decem madefiat ab ouis,
Sed tumulent libras hordea nuda duas.
Hæc vbi ventosas fuerint siccata per auras,
Lenta iube scabra frangat asella mola.
Et quæ prima cadunt viuaci cornua ceruo,
Contere: in hæc solida sexta face assis eat.
Namq; vbi puluereæ fuerint confusa farina,
Protinus innumeris omnia cerne cauis.
Adiice narcissi bis sex sine cortice bulbos,
Strenua quos puro marmore dextra terat.
Sextantemq; trahat gummi cum semine tuso,
Et nouies tantò plus tibi mellis eat.
Quæcunq; afficiet tali medicamine vultum,
Fulgebit speculo leuior ipsa suo.

Ibidem aliud *fuci* genus præscribit ex *lupinis*, *fabis*, *cerussa*, *nitro*, *iride Illyrica*, *nido Halcyonum*, *melle*, *thure*, *gummi*, *myrrha*, &c.

Nec

Nec tu pallentes dubita nudare lupinos,
Et simul instantis corpora frange faba.
Vtraq; sex habeant aequo discrimine libras,
Vtraq; da nigris comminuenda molis.
Nec cerussa tibi, nec nitri spuma rubentis
Desit, & Illyrica quae venit iris humo.
Da validis iuuenum pariter subigenda lacertis,
Sed iustum tritis vncia pondus erit.
Addita de querulo volucrum medicamina nido,
Ore fugant maculas, Halcyonea vocant.
Pondere si quaeris quo sim contentus in illis.
Quod trahit in partes vncia sexta duas.
Vt coëant, apteq; lini per corpora possint,
Adiice de flauis Attica mella fauis.
Quamuis thura Deos, irataq; numina placent,
Non tamen accensis omnia danda focis.
Thus vbi miscueris radenti corpora nitro,
Ponderibus iustis fac sit vtrumq; trahens.
Parte minus quarta direptum cortice gummi,
Et modicum è myrrhis pinguibus adde cibum.
Haec vbi contriueris, per densa foramina cerne:
Puluis ab infuso melle premendus erit.
Profuit & marathos benè olentibus addere myrrhis:
Quinq; parent marathi scrupula, myrrha nouem.
Arentisq; rosae quantum manus vna prehendat,
Cumq; Ammoniaco mascula thura sale.
Hordea quem faciunt illis infunde cremorem,
Aequent expensas cum sale thura rosas.
Tempore sit paruo mulier licet illita vultum,
Haerebit toto nullus in orbe color.

Addit denique, quasdam feminas ex *Papauere* in frigida trito faciem illinere:

Vidi, quae gelida madefacta papauera lympha
Contereret, teneris illineretq; genis.

Hactenus *Ouidius.*

Praetereà *Fuci* interdum conficiuntur ex *Rubificantibus*, quanquam rarius. Etsi enim iuxtà *Nasonem*, decoris, decorique studiosissimum, *pallidus color* amantibus sit aptissimus, prout ingeniose *libr. 1. de art. amand.*

Palleat omnis amans. color hic est aptus amanti:

nihilo-minus tamen reperiuntur è femellis, imò viris etiam, non-nulli, vsque eo pallentes, vt ad nigredinem liuiditatemque potius accedant. *P. Forestus, Medicus Belga* clarissimus *libr. d. fucis, obser. 11.* affert, puellas *Delphenses* de industria *triticum* comedere, quò faciem acquirant pallentem. Hinc, ait, adeo ventriculum offendunt, vt *Picâ* laborantes potius deformes reddantur. Purgat eas cum *Aloë*, aut *Pilulis de Hiera*, aut *Alephanginis* hoc in casu. Eius-modi porrò stulta palliditas corrigitur *pyrethro* in Alembico

autem fuit in eos, qui nimio comendi corporis studio superfluebant. Ex *Lentisco* enim dentifricia, vel pulueres dealbandis dentibus commodi itemque *Dentiscalpia* confiunt, ad purgandos poliendosque dentes. Hinc *Martialis*

Lentiscum melius, sed si tibi frondea cuspis
Defuerit, dentes penna leuare potest.

Eosdem *lentiscinos cuspides*, dentibus purgandis aptos, prædicat *Dioscorides* quoq; *libr.1.* Idem *decoctum lentisci* ex aqua contra dentes vacillantes pro gargarismate præscribit.

Illi igitur, quibus *Dentiscalpia* semper in buccis sunt, *lentisci arrosores*, χινοτρῶγες, dicuntur. Delicatulis enim olim obiici solebat *dentium cura*. Sic *Apuleio* obiectum fuit, quod *dentifricium* parâsset.

Hac occasione prouerbium illud *Lentiscum arrodere*, vel *dentes curare*, translatum quoq; fuit ad reliquum corporis humani cultum ornatumque: de quo vide *Des. Erasmum Chil. 1. Cent.* VIII. XXXIII. Interim sicubi eruditionibus lectio *lentiscini* pro *lecythino* non arrideat, certum est, nullum propriè, vti diximus, *oleum* esse *lecythinum*, sed continens: lecythum scilicet, vel vas vnguentarium, pro ipso oleo inibi contento accipiendum.

Caput X.

F*ucus species artis Cosmeticæ.* Eius artis latitudo. *Fuci cur dicantur muliebres.* *Fucus* in viro omninò infamis. *Fucus* propriè quis? quis item per translationem? *Fucorum* genera tria: scil. *Cerussa, Purpurissa, & stibium.* *Fucorum*, ratione materiæ, ex qua confiunt, differentiæ variæ. *Pallor, & subfuscatio, fuci* species. *Fucos* adhibendi ratio methodica, præmissis vniuersalibus, è *Rondeletio Medico.* *Fucorum* formulæ, earumque vsus. *Acacia & Creta* quid faciant ad fucos? *Cretâ notare* adagio dicitur. *Creta* quid & quotuplex? *Cretatæp des* quinam? *Fucus ex Acacia & Creta* apud *Petronium* pulticulos fuisse docetur. Hinc *parios dealbatus* prouerbialiter dicuntur, qui *fuco* obliti sunt. *Personati* quoque homines vocantur, qui *fucum* faciunt. *Fucum facere*, prouerbialis locutio. *Pinnacissare mancinulari;* [illegible] itemque *effucia* dicebantur antiquis *de fucis*. *Fucus* cum *hypocrisi* comparatur. *Fuci* pia & solida detestatio.

PRo decimâ quæstione interrogatur: *Quale & cuius-modi sit istboc fuci muliebris genus, quod ex Acacia & Creta constiterit?* Sic enim habetur apud PETRON. *pag. 10. Perfluebant per frontem sudantis Acaciæ riui, & inter rugas malarum tantum erat Cretæ, vt putares detectum parietem nimbo laborare.*

Pro quorum resolutione sciendum est initio, *Fucum* esse speciem artis *Comptoriæ*, à *Medicis* ita dictæ, quæ in genere omnis generis vitia, quæ cutim infestant, emendare studet. Est itaque *Fucus* ex genere medicamentorum comptoriorum, quæ fallum & appictum colorem, diuersum à naturali & genuino mentiuntur & repręsentant. Quâ ratione ad studium solius pulcritudinis pertinet. Eo quidem pacto faciei maculæ, lentigines, rugę, cicatrices, verrucę, imò quęcunq; vitia alia, quæ vel emendantur, vel inducuntur, occultanturque, ad artem comptoriam spectant, & *fucos*. Aliquando *pili* quoq, ingrati, vt in hirtis, omnínò absumuntur, cutisq; depilatur, vt glabra reddatur, quod medicamentis, *Psilotris* dictis, perficitur. Contrà in aliis loca nimis glabra pilis de industria vestiuntur, prout in iis accidit, qui *barbam* desiderant, aut qui *alopeciá, caluitie,* & pi-

& pilorum casu; vel d. fluuio, laborant. Hûc pertinent, quæ *Dentes* nigros, squalidos, fœtentesq. corrigunt, emendant, dealbantque, cuius modi *Dentifricia* vocantur: necnon eaquoq; medicamina, quæ cutis ac faciei vitia ex ambustione *Solis, ignis, sulphuris, aquæ, oleiq;* calentis, *pice* itidem, *ferroq; ignito* sanant: itemq; quæ cicatrices ex *vulneribus, pustulis*, aut *variolis* natas curant: imò ea insuper, quæ homines nimis obesos extenuant, atq; extenuatos impinguant; omnia, inquam, hæc, & plura eius-modi alia, ad artem *comptoriam* referuntur non immerito.

Quidam *Cosmetica à fucis* ita differre arguunt, vt scil. *Fucus* is fit, quo color falsus pro vero repræsentatur: *Cosmetica* verò sint hæc, quæ quidem alienum atque ementitum colorem non referant, sed naturalem saltem, alioquin obsoletum, deturpatumque, emendent, imò nitidiorem elegantioremque reddant.

Vocantur autem *fuci* meritò *muliebres*, quod isthoc præcipuè hominum genus pulcritudinis sit studiosissimum, & faciem, manus, collum, capillitium, & membra eiusmodi, quæ sub conspectum veniunt, ad excitandos amatores, omnibus modis pingat, coloretque. Quæ curiositas alioqui maribus non admodum consueta huc vsque fuit, nisi illi facilè sint tenelluli, atque effœminati prorsus. In quibus tamen si qui etiam fuco faciem pingere lasciuiant, non indigne color, imò facies illa infamis habenda veniat. Rectissimè præstantissimus Elegiacorum, *Ouidius*, viris, quamquam amatoribus, formæ si non neglectum omnem, saltem munditiem, & virilem ornatum, excusso pulcritudinis, imò fuci omnis, studio, commendat, *libr. 1. de art. amand.*

Forma viros neglecta decet. ——

Itemque ibidem:

Munditiæ placeant. ——

Et paulò post addit:

Cætera lasciuæ faciant concedè puellæ,
Et si quis malè vir quarit habere virum.

Quibus opportunè astipulatur *Salustius, de bello Iugurthino*: *Munditias* (inquiens) *mulieribus, viris laborem conuenire.*

Interim, quoad etymologiam nominis, *Fucus* propriè color est, quo panni & lanæ inficiuntur. Per translationē accipitur pro medicamine, seu colore, quo facies pingitur, vt ornatior euadat. Tria autem potissimum enarrantur *fuci* genera. Aliud colore candido constat, & propriè *Cerussa* vocatur. Aliud rubore valet, & *Purpurissa* dicitur. Aliud deniq; nigrore inficit, & *Stibium* nominatur, quod potissimum ad palpebras & supercilia adhibetur. De *Cerussa* itaque accipiendus hic locus *Petron.* cum *de Cretæ* is, & nimbo parietis velut de tecti, quos dealbari communiter omnes nouimus, declamet.

Quantum ad differentias *Fucorum* attinet, non vno modo illæ variant prout homines illis vsuri cum habitu corporis, tum cutis quoque maculis, & vitiis, iisq; leuioribus grauioribusq; differentes sunt. Ratione itaque materiæ, è qua *Fuci* componuntur, differunt insuper. Alii enim *Fuci* consistunt è materiis *dealbantibus* & *detergentibus*, quibus cutis, alioquin fusca, aut nigra, dealbari, aspectuque gratior reddi, tùm humor etiam, fuscum aut nigrum illum colorem causans, continuo detergentium vsu ablutus ac detergeri, aliusque succus successu temporis melior allici, attrahique potest. His adduntur *Emollientia*, eum scilicet in finem, vt & cutis, præter inductum gratum colorem, mollitiem acquirat decentem.

Quem

Nec tu pallentes dubita nudare lupinos,
Et simul instantis corpora frange faba.
Vtraq; sex habeant æquo discrimine libras,
Vtraq; da nigris comminuenda molis.
Nec cerussa tibi, nec nitri spuma rubentis
Desit, & Illyrica quæ venit iris humo.
Da validis iuuenum pariter subigenda lacertis,
Sed iustum tritis vncia pondus erit.
Addita de querulo volucrum medicamina nido,
Ore fugant maculas, Halcyonea vocant.
Pondere si quæris quo sim contentus in illis.
Quod trahit in partes vncia sexta duas.
Vt coëant, apteq; lini per corpora possint,
Adiice de flauis Attica mella fauis.
Quamuis thura Deos, irataq; numina placent,
Non tamen accensis omnia danda focis.
Thus vbi miscueris radenti corpora nitro,
Ponderibus iustis fac sit vtrumq; trahens.
Parte minus quarta direptum cortice gummi,
Et modicum è myrrhis pinguibus adde cibum.
Hæc vbi contriueris, per densa foramina cerne:
Puluis ab infuso melle premendus erit.
Profuit & marathos benè olentibus addere myrrhis:
Quinq; parent marathi scrupula, myrrha nouem.
Arentisq; rosæ quantum manus vna prehendat,
Cumq; Ammoniaco mascula thura sale.
Hordea quem faciunt illis infunde cremorem,
Aequent expensas cum sale thura rosas.
Tempore sit paruo mulier licet illita vultum,
Hærebit toto nullus in orbe color.

Addit denique, quasdam feminas ex *Papauere* in frigida trito faciem illinere:

Vidi, quæ gelida madefacta papauera lympha
Contereret, teneris illineretq; genis.

Hactenus *Ouidius*.

Præterea *Fuci* interdum conficiuntur ex *Rubificantibus*, quanquam rarius. Etsi enim iuxtà *Nasonem*, decoris, decorique studiosissimum, *pallidus color* amantibus sit aptissimus, prout ingeniose *libr. 1. de art. amand.*

Palleat omnis amans. color hic est aptus amanti:

nihilo-minus tamen reperiuntur è femellis, imò viris etiam, non-nulli, vsque eo pallentes, vt ad nigredinem liuiditatemque potius accedant. *P. Forestus, Medicus Belga* clarissimus *libr. d. fucis, obser.* 11. affert, puellas *Delphenses* de industria *triticum* comedere, quò faciem acquirant pallentem. Hinc, ait, adeo ventriculum offendunt, vt *Picâ* laborantes potius deformes reddantur. Purgat eas cum *Aloë*, aut *Pilulis de Hiera*, aut *Alephangitis* hoc in casu. Eius-modi portò stulta palliditas corrigitur *pyrethro* in Alembico

 destil-

destillato, quo si facies lauatur, colorem præstat subrufum, & (vt quidam extollunt) ad mortem remanentem. Similiter faciem albam colorat *puluis cinamomi* cum *aceto*, aqua *liliorum*, & *florum fabarum cornu taurinum* in *aceto* maceratum, tritumque: succus item *saponariæ* in sole depuratus, *agrimonia* cocta cum vino, eoque ter in die, instar fomenti, adhibita. Vide super his *P. Forestum libr. d. fucis, obser. 11.* Ad idem vitium in fine *Scholii obseruat. 111. loc. cit.* sequens remedium adscribit:

℞. *Puluerem subtilissimum ligni Bresilii, bene rubri, & pone in aqua vita per noctem. Manè liniatur facies, & erit rubicunda. Et aiunt quidam* (addit) *quanquam ego non sum expertus quod ista rubedo non tollatur per motum, imò quantò plus quis saltat, tantò pulcrior erit.*

Porrò parantur quoque *Fuci* ex validè *detergentibus & astringentibus*, prout sunt v. gr. *lithargyrium*, seu, *spuma argenti*, vnde maceratione, coctione que conficitur liquor albus, quod *lac virginale* vocant. Ad idem faciunt è mineris, *argentum viuum*, itemque *sublimatum*, ad cuius malignitatem corrigendam admiscetur *camphora*, puluis *margaritarum porcellanarum vstarum*, foliaque *auri*, atque *argenti*. Ex lapidibus hunc in vsum veniunt *marmor album*, seu *alabastrum*, *magnes*, *crystallus*, *corallium album*. Ex vegetabilibus præstant succus *limonum*, *citriorum*, *aurantiorum* aliis permistus. Idem facit *gummi arabicum*, aliàs *gummi acaciæ*. Quo in loco potissimum audiendus nobis est *Guilh. Rondoletius*, qui inter alios, de methodica *fucorum* adhibēdorum ratione vnus nobis disertius scripsisse videtur. Ità autem ille de *fucis ex astringentibus: Formosa* (inquit) *debent vti modicè astringentibus; quæ autem minus sunt formosæ, & rugosa, vehementioribus vti debent.*

Cæterùm, vt aliqualis saltem methodus, & ratio habeatur in *fucis* applicandis, sequentia quoad vitiosum corporis habitum prius emendandum, atq; vniuersalia, vt *Medici* vocant, non negligenda veniunt. Ità autem *Rondoletius, tract. de fucis: In faciei* (inquit) *maculis, vel aliis quibusdam cutis defœdationibus, primùm vitiosus humor, à quo nascuntur, purgari debet. Vt si croceo colore bilis faciem inficiat, medicamentum cholagogum propinandum est, ad corporis euacuationem, & sic de aliis. Quod si partis internæ, ventriculi vel Hepatis, vel Lienis vitio, cutis inquinata sit, & partes confirmandæ, coctio ventriculi iuuanda, cutis sordida recrementa detergenda sunt balneis, vel stuphis. Obesis, quibus cutis sordida est, stupha magis conuenit. Macilentis, vel squalidis, vel à Sole, vel à labore, vel ab inedia, vel ab alia qualibet caussa balneum aptius, aliis minus conuenit. Vtendum autem primum balneo detergente, & relaxante, manè quidem ieiuno ventriculo, deinde humectante, & leuiter detergente, post cibum & exactam ventriculi coctionem. Balneorum verò detergentium formulas subiiciemus, ex quibus valentiora conueniunt ad elephantiasin, scabiem, & catera cutis vitia, imbecilliora vero delicatis prosunt:* prout illic videri possunt. Idem paulò ordinem, vel rationem vtendi *Topicis* præscribit hoc eodem in casu. *In Topicis* (inquit) *componendis ratio & methodus seruanda est, qua in balneis suprà tradita est. Nam si facies squalida sit, & macilenta, conueniunt olea, vel vnguenta, vel aqua vim detergendi habens. Prius ergò facies abluenda est decocto hordei mundati, vel infusione panis albi, vel aqua liliorum, vel aqua florum maluarum. Deindè vngenda oleo amygdalarum dulcium, vel de semine cucurbitæ, vel melonis, vel cucumeris, vel pomata parata.*

Interim cautionem in fucis illinendis non absurdam idem sub finem *Rondolet.* præscribit inquiens: *Dum mulier est fricanda, ore contineat oleum amygdal. dulcium, vel aliquam partem, vel amygdalas antiquas mandat sed oleum amygdal. dulcium est præstantius, quo etiam vti solemus in vnctionibus, quæ solent fieri in morbo Italico. Nam Argentum viuum non minus, quàm catera, densibus infestum est.* Hæc & plura *Rondoletius.*

Prout

Prout nunc igitur multiplices sunt *Fucorum* differentiæ, è quibus fiunt, ità quoq; diuersis formulis *Cosmetica*, & *fuci* porrò præscribi consueuerunt. Vel enim ex *herbis* & *fructibus* ad id idoneis *aqua* destillantur: vel ex iisdem fiunt *decocta*, & *fomentationes*: vel additâ *Cerâ* & pinguedinibus fiunt *olea*, *linimenta*, atq; *Pomata*, ad illinitionem: vel mediantibus liquoribus ac mucilaginibus parantur *emulsiones*, & *lactes virginales*, vt vocant: vel tritis quibusdam & in pollinem redactis componuntur, *pulueres Cosmetici*, è quibus *Trochisci*, itemq; *Pastilli* in officinis formantur: vt de *Balneis* nihil insuper arguamus, de quibus prolixus est *Rondoletius*.

Eius-modi autem est *Aqua apud Rondoletium*, ad dealbandas faciei maculas, auferendasque cicatrices, familiaris *Paulo Pont. Max.*

℞. Aqua vitæ quater ad minus destillata partes iij. summitatum flor. anthos, partes ij. pone in amphora, benè obturata per diem & noctem cum vase benè cooperto, mox aquam & flores benè destilla.

Aqua hæc per excellentiam sacra dicta est, ad inflammationes, seruans etiam vitam hominum. Oportet omni hebdomada accipere ʒ j. cum aqua & vino facie abluta. Hæc aqua mirum in modum mundificat, faciemq; longissimè conseruat.

Similis est *aqua rosata moschata* apud *Forestum*, quæ conficitur solo adiecto *Moscho* in vitreo vase stricti orificii benè obturato: & aliæ eius-modi infinitæ propè.

Decocta ferè parantur ad modum *Balneorum*, quale vide apud *Rondoletium*. Ex iis tamen vsitatiora sunt *decoctum fabarum, ciceris, oryzæ, lupinorum*, & similium abstergentiũ.

Ex oleis sunt *oleum tartari, de myrrha, de gumm. arabico, oleum ex vitellis ouorum, amygdalar. dulcium*, & id genus alia.

Tale *Oleum è Tartaro* Veneris meretriculis *ad fucum* familiare est:

℞. Tartari benè combusti per reuerberationem, lib. ß. pulueriza, & resicca, vt fit de sale. Tunc accipe sal illud & pone intrà albumina ouorum decocta.

Ex *Vnguentis* sequens habet *Rondoletius, ad cutim reddendam pulcerrimam expertum:*

℞. Olei tartari. ℥ iv. sem. psyl. ʒ j. infund. in mucilagine, misc. cerussæ in ol. ros. dissol. ℥ j. boracis, sal. gemmæ. an. ʒ j. f. Linimentum. Videat plura, qui velit, de linimentis eiusmodi *Cosmeticis* apud *Rondoletium*, *P. Forestum*, *Fel. Platerum*, &, inter alios, *Ioan. Bapt. Besardum Vesontinum, in antro Philosoph. pag. CXLIII. IV. V. & seqq.*

Vt autem ex singulis velut formulis, quibus *fuci* administrantur, vnum exemplum afferamus: *Pomatum* sequentem commendat *P. Forestus*, qua is in vxore sua, ad faciei nitorem, fissurasque labiorum, commodè vsus est:

℞. Mala acetosa, redolentia, per frusta incisa, numero IV. decoqu. in aq. ros. lib. i ß *ad* lib. ß. *Colentur deindè, colaturæ adde axungiæ porcin. rec. ℥ iiij. axung. arietis. ℥ vj & bulliant lento igne ad consumptionem aquæ: deindè adde Ceræ alb. ℥ ij. liquefactâ cera coletur, & in mortario cum pistillo mundo ducatur: in quo antè subtilissimè fuerit puluerisata alumin. vsti albiss. ℥ ß. moschi. gr. vj. cum ol. tartar. ℥ ß. f. Pomata.*

Ex *Mucilaginosis infusio Tragacanthi* diluta, inunctaque, splendorem faciei addit, sicut & *albumen oui* conquassatum, prout autor *Platerus*.

Idem *liquores ex Melonibus* præscribit, itemque è *cochleis terrestribus seu* limacibus, itemque è *Peponibus*, vt differit *libr. III. pract. de discolorationibus*, quibus facies elegantiam accipit.

Lac Virginale sic præscribit *Rondoletius*:

℞. *Libargyr. auri.* ℥ ij. *ceruss. sal. commun. an.* ℥ ß. *aceti, aqu. plantag. rosar. an.* ℥ ij. *camphor.* ʒ ß. *f. Collyrium,* & parsetur per manicam.

In *forma Pulueris* sequens *fucus* apud *P. Forestum* (qui hac in parte plurima habet ex *Rondoletio*) optimus habetur.

℞. *Sublimat.* ʒ j. *argent. viu. extinct. in saliua viri, vel feminæ.* ʒ ij. *margaritarum porcellanarum, vel internarum partium ostreorum,* ʒ j. *camphor.* ʒ i ß. *incorporentur simul in mortario marmoreo cum pistillo ligneo per tres horas. Ducantur, & fricentur, reducanturq́; in tenuissimum puluerem. Deinde hic puluis abluatur aqua myrti, florum, & foliorum myrti, & desiccatus seruetur in vsum. Adde folior. auri & argenti numero x.*

Modus autem vtendi *pulueribus fucatis* talis est: Vsus tempore pone in vola manus tantillum *olei lentiscini*, aut *amygdalar. dulcium*, in quo dissoluatur modicum pulueris prædicti, & hanc volam volâ alterâ manus frica, donec mixtio perfecta sit. Posteà faciem, & alias partes, si vis, illine vesperi, cum iturus es cubitum. Sed facies lauanda prius vino albo, & aqua.

Hûc refer cautelam superiorem cum *oleo amygdalar. dulc.* in ore detinendo, quando *Fucis* vti cupimus.

Similes pulueres plurimi ad *Fucos*, imò etiam *Dentifricia* vsitati, apud autores prostant, quos omnes isthûc referre, esset nihil aliud, quàm de industria pagellarum numerum augere.

Ex pulueribus deniq; *Formulæ* parantur hoc pacto ad eandem intentionem:

℞. *Gummi arabic. dissolut. in aqu. rof. corall. rubr. an.* ʒ i j. *lapid. spong.* ℥ ß. *nuc. mosch. numero. ij. f. formulæ ad modum digiti, & desiccentur in vmbra: & siccatis fricentur dentes quotidie manè, & paulo post lauentur vino albo, in quo infusi sint flores rosmarini,* &c.

Et hûc-vsque breuiter de *fucorum* cum *differentiis*, tum *formulis* ipsis, quibus præscribi, atque in vsum duci solent. Qui plura desiderat, is, inter alios, *Aetium*, *Rondeletium, Forestum, Platerum*, &c. euoluat.

Ex præmissis hactenus facilè itaque colligere est, *Acaciam* & *Cretam* (prout apud *Petron.* est) inter *fucos* admodum detergentes, imò maximè astringentes, referendas esse. Cuius-modi præsertim deformib. & rugosis meretriculis adhiberi debere censet *Rondoletius*, potius, quàm formosis. Id quod hîc quoq; in textu *Petron.* è rugis malarum facilè innotescit, feminam eam fuisse deformem, rugosam, & dubio procul vetulam, cui quidem *fuco*, fors per sudorem, vel balnei calorem, madescente, dissoluto atq; discusso, malæ prominuerint rugis impendio deturpatæ, atq; hiantes. Huc oppidò quadrare videntur, quæ *Horatius, Epod.* XII. de *Anu libidinosa*, quæ *fucis* ex *Creta, & crocodili* stercore paratis, vtebatur, lasciue alioquin, atque obscœne satis affert:

Quis sudor victis, & quàm malus vndiq; membris
Crescit odor, cum pene soluto.
Indomitam properat rabiem sedare: neq; illi
Iam manet humida Creta, colorq;
Stercore fucatus Crocodili ——

Rectè, atque eleganter *Ouidius* deformibus saltem *fucos* præscribit, formosis contrà iisdem minus opus esse arguit, *libr. 3. d. art. amand.*

Formosæ minus artis opem, præcept. iq; quærunt:
Est illis sua dos forma sine arte potens.

Et ibidem versiculo præcedenti;

Turba

Turba docenda venit, turpes, pulcraq; puellæ:
Pluraq; sunt semper deteriora bonis.

Quod deindè ad *fuci* istius apud PETRONIVM in specie formulam attinet, equidem colligo, fucum ex *Acacia* & *Creta*, prout proponitur, conflatum, in *pulueris*, vel pollinis forma vsurpatum fuisse. Quo quidem facit *Cretæ* atque *Acaciæ* substantia, & soliditas, quæ facilè in pollinem redigitur. Præcipuè verò succus *Acaciæ* colligi, collectus postmodum exsiccari, exsiccatusque in *Pastillos* redigi solet, autore *Dioscoride*. Hinc sunt riui illi sudantis *Acaciæ* & *Cretæ*, & quidem tanti, vt inter rugas malarum detectum parietem putares nimbo laborare; vt habet PETRONIVS.

Vsurpantur enim pulueres eius-modi, oleis madefacti, & sic faciei inducuntur. Qui facilè postmodum calore stuphæ, aut balnei, aut sudore corporis spontaneo, aut ex motu aliquo, soluuntur, in riuos dehiscunt, adeoque puluerem ac materiam referunt, ex qua primitus constant.

Propriissimè autem hunc locum illustrant, quæ *Martialis* habet in *Maximinam lib.* II. *Epigr.* XXXIII. vbi de *fuco* ex *Creta* parato, instarque *nimbi* diffluente ità:

—— *Tu puella non es:*
Nam tres sunt tibi, Maximina, dentes,
Sed planè picei, buxeiq;,
Quare, si speculo, mihiq; credis,
Debes non aliter tenere risum,
Quàm ventum Spanius, manumq; Crispus,
Quàm cretata tenet Fabulla nimbum,
Cerussata timet Sabella solem.

Idem alibi de eadem *Fabulla*:
Crassior in facie vetulæ stat Creta Fabullæ.

Festiuè non minus quàm eleganter simile *fuci* genus, quod *puluere* constat, taxat *Ioan. Owenus, Epigrammatographus Anglus, Epigr. lib.* I. XC.

Quæ pictas geritis facies, vos iure potestis
Dicere cum Flacco: PVLVIS ET VMBRA SVMVS.

Eruditè quoque *Petronius Afranius*, in *Epigrammate de Cretatâ facie*:
Dum sumit Cretam in faciem Sertoria, Cretam
Perdidit illa, simul perdidit & faciem.

Quanquam verò *Acaciæ* & *Cretæ* vsum ad *Fucos* à modernis *Medicis* adhibitum fuisse non legamus facilè, nihilo-minus ex *Dioscoridis* descriptione patebit, ex *Acaciæ* succo exsiccato puluerisatoque, similiter & *Creta* (quam *Cimoliam Terram* is appellat) *Fucos* parari posse, argumento ab effectis *Acaciæ* & *Cretæ* deducto. Ità autem de *Acacia* habet *libr.* I. *cap.* CXXXIII. *Acacia (inquit) in Ægypto nascitur, spina ad arboris magnitudinem accedens, fruticosa in rectum minimè assurgens, florem habens candidum, fructum verò lupini in modum, siliquis inclusum. Ex eo succus exprimitur, qui in vmbra siccatur, niger quidem ex maturo fructu, subflauus autem ex immaturo.* Et paulò post: *Vim habet astrictoriam, & refrigerantem. Conuenit porrò succus (addit) ad oculorum affectus, erysipelata, herpetas, perniones, pterygia, & oris vlcera. Quin & procidentes oculos in integrum restituit, fluxum muliebrem sistit*, &c. Et deinceps: *Lauatur & ad oculorum medicamenta cum aqua tritus, effuso identidem, quod in summo concreuerit, donec pura superstet aqua, atq; ità in pastillos cogitur.* Hæc de *Acacia Dioscorides*.

Ex quibus clarum fit, eum *Fucum*, cuius *Petronius* meminit, in forma *pulueris* extitisse. Imò etiam, quia *Acacia* erysipelatibus, herpetibus, pernionibus, oculorum affectibus, orisque vlceribus mederi dicitur *Dioscoridi*, ob id amplius euincitur, *Acaciam* ad cosmetica pertinere, quòd enumerata vitia, quibus subuenit, maximè cutim infestent, ac deturpent.

De *Creta* quoque, quam *terram Cimoliam* vocat, idem sequentibus differit *lib. v. cap. clxxvi. Cimolia* (inquit) *quædam est candida, altera ad purpureum inclinans: quæ innatam quandam habet pinguedinem, & tactu frigida sentitur: & hæc quidem optima existimatur. Vtraq; aceto diluta, parotidas & alia tubercula discutit, ambusta igni confestim inuncta partes affectas à pustularum eruptione vindicat; testium duritias, ac totius corporis inflammationes cohibet, insuperq; aduersatur erysipelatis, &c.*

Creta autem, prout alii edisserunt, est terra tenax, *Græcis* κιμωλία γῆ dicta. Nomé habet vel à *Creta Insula*, in qua optimi valoris nascitur; vel à crescendo, quia proprium id habet, vt macerando crescat, quod inprimis *Cretæ Vmbricæ* accidere dicunt, quæ *saxũ* vocatur, & non nisi poliendis vestibus, iisq; solum candidis, adhibetur. Sunt & *Cimoliæ Cretæ* genera duo, alterum candidum, alterum purpureum, vtrumque vestibus poliẽdis aptum. Laudatur etiam *Creta Thessalica*; similiter, quæ *Argentaria* dicitur, eo quòd argenti nitorem æmuletur. Vilissima autem erat illa *Creta*, quâ pedes mancipiorum venalium trans mare aduectorum notare moris erat. Hinc *Cretati pedes* dicebantur, qui *Cretâ* erant dealbati: quales solebant esse seruorum pedes, qui trans mare aduehebantur. Vnde *Iuuenalis*:

Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis.

Porrò *Creta Asiatica Ciceroni* pro *Flacco* commendatur itâ: *Hæc* (inquit) *quæ est à vobis prolata laudatio, obsignata erat Cretâ illâ Asiaticâ, quæ est ferè omnibus nota nobis. Medici* quoque *Cretâ* hodie vtuntur insuper ad varios morbos. Ea enim extra corpori, instar *pentaculi*, intra digitos retenta *Narium hæmorrhagiam* sistit, quod non vno experimento, vel à me ipso comprobatum. Eadem *aceto* diluta aurium vlcera, & tubercula alia, curat. Ambustis quoq; locis illita, vel affricta, cauet, ne bullæ oriantur, sedatque incendium.

Fertur tumorem cutis quemcunque discutere. Imò etiam ab obstetricibus propinari solet infantibus contra lumbricos. *P. Bayrus* atque alii, contra odontalgiam *Allium* cum *Creta* miscent, & carpo manus imponunt lateris eius, cuius maxilla dolet. Pueri nostri *Muscas* qui mortuas *Cretæ* puluere asperso rediuiuas faciunt.

Apud *Erasmum in Adagiis Chil. 1. Centur. v.* duo sermones prouerbiales leguntur de *Creta, & Fuco. Cretâ* autem *notare* prouerbialiter dicitur pro eo, quod est approbare. Contrarium huic est *carbone notare*, pro damnare. Sed *Fucum* facere dicuntur, qui imposturam faciunt. Hinc *Terent. in Eunucho: Per alienas tegulas venisse clanculum, fucum factũ mulieri.* Hîc *Erasmus* factum pro faciendum legit. *Quintus Frater ad Ciceronem: Si eum, qui tibi promiserit, fucum, vt dicitur, facere velle senseris, vt te id audisse & scire dissimules. Plautus fucum* pro medicamento intelligit, quo mulieres vitia formæ celant. *Vitia* (inquit) *corporis fuco occulunt.*

Variis interim nominibus olim antiqui *fucos* descripserunt. *Græcis*, inter alia, πηνικίζειν, *penicissare*, perinde est, ac si dicas, fucũ facere. Idem significat φενακίζειν. Πηνίκη enim *Græcis* comam, non genuinam quidem, sed appostitiam, significat, quam quidam *galericulum* vocant. Hinc φενακισμοὶ vocant imposturam eiusmodi, itemq; φένακα, fuci magistrũ. Nonnullis *Personati*, nec immeritò dicuntur, qui præ se ferunt, quod non sunt. *Vt* enim

fucus

fucus est color arte additus, ità persona facies est nõ vera, sed apposititia, testante *Erasmo Rot.* Hinc *Seneca: Vt personã* (inquit) *malit, quàm faciẽ*: i.e. malit videri, quã esse. Itemq; *Lucret. lib.* III.

Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Eliciuntur, & eripitur persona, manet res.

Sunt, qui *offutias* appellant, scil. inania quædam rerum simulacra, quæ oculis hominũ, velut incantamentis aut præstigiis quibusdam illudunt.

Accipitur etiam *fucus* pro *colore*, itemq; *color* pro *fuco*, quod apud *Rhetoras* non inusitatum. *Rhetores* enim colorem explicant pro ratione ad persuadendum verisimili. Vnde *Iuuenalis* istud:

Dic aliquem nobis. dic, Quintiliane, colorem.

Festus Pompeius autor est, *Poëtas* verbo *Manticulari* vti pro *fucum facere*, ac subdolè agere. *Hinc Pacuuius: Ad manticulandum astu aggreditur.* Tractum autem hoc nominis autumant à manticulis, quos fures attrectare solent, nimirum quo furentur.

Quidam arbitrantur inde sumptam metaphoram, quòd ii, qui in conuiuio dissimulant, mantilibus tegunt faciem, velut extergentes. Similiter *Horatius in Sermonibus* ferè:

—— mappa compescere risum.

Plautus in Captiu. pro pallio latebraq; posuit, qua dolus tegi possit. *Nec mendaciis* (inquit) *subdolis mihi vsquam mantellum est meus: Nec sycophantiis, nec fucis vllum mantellum obuiam est.* *Tertullianus libro contrà Valentinianos*, eâdem vtitur formula: *Sed mappâ, quod aiunt, missâ.*

Cùm igitur *fuco* vti, *fucumq;* facere, nihil aliud sit, quàm fraudulenter subdoleque agere, faciem inprimis, pro vero, falso atq; ementito colore imbuere, tum præsertim in Naturam ipsam, quæ cuique suam faciem genuinam concessit, inprimis Conditorem, Deum Opt. Max. impiè atq; nefastè insurgere, meritò huc vsq; apud omnium gentiũ ab omni ætate scriptores *fucos*, atq; id genus ementitos colores grauiter ac palàm proscriptos fuisse comperimus, tanquam res omninò detestabiles, & Christiano homini summè fugiendas. Atq; vt è sacris literis testimonium petamus, *In Actu D. Paulus Apostolus, Ananiam* sacerdotem fictum fucatumque, parietem dealbatum appellitat: quòd scil. longè alius esset intus & in visceribus, quàm quidem in cultu habituque exteriorĩ esse videretur. Similiter D.N. CHRISTVS apud *Euangelistas*, hypocritas, sicut erant id temporis *Scribæ & Pharisæi*, *sepulcra* nominat *dealbata*: quæ quidem foris apparent pulcra, intus verò repleta sunt ossibus cadauerum, situ ac squalore. Natum hinc *Adagium* in fucatos, hypocritas, & subdolos: Τοῖχος κεκονιαμένος: id est, *Paries dealbatus, vel incrustatus.* *Lucianus Myronis & Praxitelis colossos* foris asserit multo nitere ebore, multo auro fulgere, præterea *Iouis* aut *Neptuni* imaginem repræsentare, fulmen aut tridentem dextrâ tenentis, intus verò nihil apparere, præter picem, clauos, araneos, tem, mures, atq; sordes id genus alias, nequicquam ad externum istud numen, aut imaginẽ respondentes. Idem *Principum* vitam eiusmodi esse scribit, vt, quoad strepitum ac pompam exteriorem, nihil illis felicius, nihil Deorum vitæ similius: si verò interius inspicias, curas scil. suspiciones, odia, æmulationes, & eius generis contempleris, quibus intus discruciantur, nihil illis calamitosius. Haud planè dissimiliter *Seneca Philosophos*, qui cùm honesta docerent, turpiter verò viuerent, comparauit quorundam *Medicorum pyxidiculis*, quarum tituli remedium pollicerentur, cùm intus venenum occultarent.

D. Hieronymus Epist. XCIIX. piè admodum & cordatè quapropter in fucatos, fucatasque sic inuehitur: *Caue* (inquit) *ne aures eius perfores, ne cerussâ aut purpurisso cõsecrata CHRISTO ora depingas, nec collum auro, & margaritis premas, nec caput gemmis oneres.* Iisdem verbis

verbis D. *Augustinus de Sermone* DOMINI idem inculcat: *Quanta* (ait) *amentia est effigiem mutare naturæ, picturam quærere? Tolerabiliora propemodum in adulterio crimina sunt. Ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur.* His apprimè subscribit D. *Ambrosius in Hexam. Deles* (refert) *picturam Dei mulier, si vultum tuum materiali candore oblinisti.* Inprimis verò grauissimè comminatur iis, qui *faciem fuco* adulterant D. *Cyprianus de habitu Virgin. Manus Deo* (asserit) *inferunt mulieres, quando, quod Deus formauit, ipsæ reformare contendunt. DEVM videre non poteris, quando oculi, vel facies, aut crines, tibi non sunt, quos Deus fecit, sed Diabolus infecit, an quid desideramus amplius?* Itemque alibi: *Non metuis* (inquit) *oro, quæ talis es, ne, cùm resurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoscat, & ad sua prænuncia & promissa venientem remoueat, & excludat? increpans vigore censoris & iudicis dicat, opus hoc meum non est: nec imago hæc nostra est. Cutem falso medicamine polluisti, crinem adultero colore mutâsti, expugnata est mendacio facies. figura corrupta est, vultus alienus est. DEVM videre non poteris, quãdo oculi tibi non sunt, quos DEVS fecit, sed quos Diabolus infecit.* His accedit exclamatio D. Bernhardi: *Quid* (inquit) *fuisti? sperma fœtidum. Quid es? Vas stercorum. Quid eris? Esca vermium.*

Præter allegatos autem sanctissimos illos Ecclesiæ Dei doctores, gentiles insuper, adeoque obscœnos alioquin Scriptores, *fucos* id genus *muliebres*, licet olim, sicut etiam nunc hodie apud *Italos, Gallos*, atque *Iberos*, vsitatissimos, conceptis verbis reprehendisse, damnasseque, tanquam subdolum quid, falsarium, atque à Natura ipsa alienum, paucis comprobabimus denique, si prius præmiserimus ea, quæ *eruditissimus Phil. Camerarius*, autor verè Christianus, & doctus, *Meditat. Historicar. part.* II. *cap.* XXXIIX. habet, vt iustè is quoque *fucatas* mulieres *hypocritis* assimilat, *fucumq́;* velut *hypocrisin* quandam esse coarguit: *Quemadmodum* (inquit) *mulieres, quæ fuco faciem illinunt, quum ad Solem accesserunt, earum deformitas fit ità conspicua, vt cogantur se occultare: Sic hypocritæ propter suas simulationes magnâ sunt apud homines in existimatione, & admiratione, ab omniq́; vitio & culpa alieni esse videntur. DEVS igitur illos ad tempus sinit lucere coram hominibus, sed tandem illorum hypocrisin deridet: ità vt omni illa specie & formâ, ac veluti larua externâ nudentur, & illorum garrulitas, & inanis loquentia, ambitio, splendor, & simulatio planè deficiat.* Idem *Histor. Meditat. Cent.* III. *cap.* LXXVII. de *Mulierib. fucatis*, quæ cum aliena facie cubitum eunt, eleganter: *Perdunt mulieres veram pulcritudinem, dum externam induunt. Non insciitè itaq́; quæritur, quodnam id hominum genus sit, quod cum sua facie non it dormitum? Ad hoc respondetur: Fucatæ sunt mulieres, quæ aliam sibi faciem tectoriis inducunt, quàm, quo spectatur, fuco sese illinentes, seu lenocinio, quæ certè non aliud, quàm personatæ esse videntur, quando laruis insitam obuelant deformitatem, aut grassantem senectutem erugatâ cute differre annituntur.* Hactenus eleganter & scitè *Camerarius*: cuius argutæ facundiæ non valdè contradicunt, qualia apud gentiles, adeoque autores omni spurcitie contaminatos leguntur, de fucis abominandis. Quos inter ferè cum eruditione, tum lasciuia insigni chorum ducit *Petronius* noster, qui ipse *fucos* quoque non potuit non perstringere: *Pag.* is 32. *Color* (inquit) *arte compositus inquinat corpus, non mutat.* Et *pag.* 53. *Quò enim spectant flexæ pectine comæ? quò facies medicamine attrita, & oculorum quoquò mobilis petulantia?* Idem in *Cynthia* sua reprehendit *Propertius lib.* I. *Eleg.* II.

Quid iuuat ornato procedere vita capillo,
Et tenues Coâ veste mouere sinus?
Aut quid Orontheâ crines perfundere myrrhâ,
Teq́; peregrinis vendere muneribus?

Naturæq́;

Naturaq; decus mercato prodere cultu,
Nec finere in propriis membra nitere bonis?
Crede mihi, non vlla tuæ medicina figuræ est,
Nudus amor formæ non amat artificem.

Propertio succinit *Tibullus libr.* I. *Eleg.* IX.

Admonui quoties, auro ne pollue formam,
Sæpe solent auro multa subesse mala.

Idem detestatur in puellis, Amorum præceptor, *Ouidius, libr.* III. *de Arte amand.*

Non tamen expositas mensâ deprêndat amator
Pixidas: ars faciem dißimulata iuuet.
Quem non offendat toto fex illita vultu,
Cùm fuit in tepidos pondere lapsa sinûs?

Neque abludit *Plautus in Mostellaria:*

Mulier rectè olet, vbi nihil olet.
Nam isthæc veteres, quæ se vnguentis vnctitant interpoles,
Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt:
Vbi se sudor cum vnguentis consociauit: illicò
Itidem olent, quasi cùm vnà multa iura confundit coquus.

Idem ibidem:

Purpurâ ætas occultanda est: aurum turpe mulieri.
Pulchra mulier nuda erit, quàm purpurata, pulchrior,
Posteà nequicquam exornata est benè, si ornata est malè.

Id ipsum exprobrat *Iul. Cæsar in Hypponact.*

Venale donis pectus improbæ mœchæ,
Mœchos vel vltrò prodigis emens donis,
Quæcunq; fuco, lacteóve lomento
Mutat colorem, se se & ipsa mentitur,
Annosq; curuos, speculumq; derugat,
Inertiam auget, exprobratq; naturæ, &c.

Inter alios *Franciscus Patricius* etiam *De instit. Republ.libr.* IV. *cap.* V. damna, atque incommoda, qualia à *fucis* proueniunt, ità apprimè perstringit: *Quid enim* (inquit) *est aliud pœnitere sui ipsius, & seipsam odio habere, quam aliam faciem inducere? & visco, cerusâ, fuco, aliisq; pigmentis naturam violare? Quid, quòd paulò post ablutis adulterinis coloribus, ad formam pristinam redit non sine irrisione omnium familiarium, & cum damno etiam natiuæ venustatis? Ex illis namq; venenis rugæ antè tempus faciem arant, oculi caligant, dentes obscuriores fiunt, animaq; vxoris peßimè olet. His commentitiis coloribus fœditatem aspectûs & contemptum sibi comparant, odiumq; viri.* Quod ipsum fallor? an apud *Italos* maximè vsuvenit, vbi anûs & vetulæ adeo deformes, deturpatæ, rugosæque apparent, vt facilimè liqueat, illam deformitatem rugositatemque inde ortam auctamque esse, quòd in iuuentute fucis abusæ sint, faciemque *Cosmeticis* eo vsque dehonestârint. Sed hoc loco *de fucis* fors prolixè plus satis.

Caput XI.

B*alnei* etymologia, quid sit, & vnde? *Balneator* vnde adagio dicatur in curiosum? *Balnea* à *Thermis* quid differant? *Balnea Æstiua, & Hyemales*: *Muliebres & Virilea*. *Balneandi* consuetudo vetustissima, vsitatissimaque: itemque *lotio, edum*. Cur olim *Balneatio* instituta? Vbi porrò *Balnearum* facultates, vtilitatesque ex *Medicorum* decretis recensentur in genere: itemque *Balneorum* partes explicantur *Vnctio & Frictio* quid faciant? *Laconici* vsus quis? *Balnea* inprimis, *quibus, quando, & quousque* conducant? Quibus eadem vice versâ sint noxia? *Quando, & quo* tempore *Balnei* vsus ineundus? Quid *antè cœnam* præsertim *Balnea* prosint? *Vnctio* post *Balneum* quid? Tria in summa confert *Balneum*.

PAG. II. PETRONIVS: *Intrauimus* (inquit) *Balneum, & sudore calefacti momento temporis ad frigidam eximus*. Quæritur:

Cur veteres balneari antè cœnam fuerint soliti? Et quid Balnea conducant cœnaturis, vel conuinaturis?

Resp. *Balneum* initiò, quoad dictionis etymologiam, veteribus dictum est, quasi *Balineum*, ἀπὸ τῶν βαλάνων, hoc est, à *glandibus*, quales antiquitus in *Balneis* succendebantur. *Suidas* enim autor est. *glandes* hominibus apud antiquissimos, *cortices* verò igni alimenta præbuisse. *Guil. Philander, Vitruuii Scholiastes*, βαλανεῖον *aliqui* (inquit) *existimant dictum* παρὰ τὸ ἀποβάλλειν τὰς ἀνίας, *quia anxietatem pellat ex animo, quod memorat D. Augustinus lib. IX. Confessionum, cap. XII. cui sententiæ refragatur orthographia. Aliis placet* παρὰ τὸ τὰς βαλάνους αὔειν, *quòd veteres glandibus vesci moris fuerit, cortices verò succendere. Epaphroditus enim* αὔειν *exurere interpretatur*. Communis autem sententia est, *Balneum* ἀπὸ τοῦ βαλάνου, *à glande* descendere. Veteres enim, teste quoque *Zenodoro, glandes* in ignem coniectas coquebant. Hinc βαλανεὺς, *balnearius caupo*, vel *balneator*. De quo iisdem verbis *Adagium* natum: βαλανεὺς, id est, *Balneator*, siue, caupo balnei. Dicebatur autem vulgato nominis olim conuicio in hominem aliarum rerum plus satis curiosum. In *Balneis* enim homines, qui in ocio viuebant, soliti erant aliena plerumque curiosius tractare. Idem ferè accidit *Tonstrinis*, ac *Tonsoribus*. Hinc vulgatum illud *Satyrici Horatii*:

——— opinor

Omnibus & lippis notum & tonsoribus esse.

Curiositas verò & garrulitas vitia vt plurimum solent esse coniuncta. Quod idē *Flaccus* coarguit:

Percontatorem fugito, nam garrulus ille est.

Huc facit, quod eandem in sententiam *prouerbiali parœmiâ* legitur apud *Desid. Erasmum, Chil. I. Centur. X.* Ἐμαυτῷ βαλανεύσω: *Mihi ipsi Balneum subministrabo*. Quanquam *Roterodamus* illud paulò secus interpretetur, scil. si quis suum agere intendat negotium, suisque rebus ac commodis inseruiat. Vide eundem *Chil. I. Centur. VI. Grammatici* dixerunt *Balneum*, & in plurali *Balnea, balnearum*. Illud autem ferè obseruatur à scriptoribus, monente *Calepino*, vt *Balnea* in plurali de publicis tantum *Balneis* dicantur: *Balneum* verò in singulari habeatur locus is domesticus, vbi priuatim lauamur. In *Balneis* porrò tria velut *Cœnacula* olim habebantur, vel regiones, quarum summa plena erat aëris calidi: cuius-modi hodierno tempore sunt *hypocausta* apud *Germanos*. Hæc *Balneorum* pars *Laconicum* dicebatur. In Media regione, vel Cœnaculo, erant aquæ calidæ, in inferiori frigidæ, de quibus infrà fusiùs. E quibus *Balnearum* ac *Thermarum* differentiam quidam

hanc

hanc constituunt: vt *Balnea* tantùm dicantur loca, in quibus lauamur: *Thermæ* verò quæcunq; loca sint calida, siue illa sicca, siue calidis lotionibus accommoda sint. *Valla* verò rectius videtur hoc modo distinxisse. *Thermas* enim is dixit, quæ naturâ suâ calidæ sunt. *Balnea* verò, quæ igni & arte calefiunt. *Symmachus lib. VII. Epist. XIIX.* meminit *Balnei* nouiter suo tempore excogitati, cui tottis vnicus ad iusti caloris pabulum satisfaciat. Memorabiles autem *Balneas*, siue *Thermas*, prout *Romæ* olim fuerunt, & hâc adhûc ætate earundem rudera conspiciuntur, sic recenset *Philander, Vitruuii Scholiastes*, super *libr. V. Vitruu. de architect. cap. X. de Balnearum dispositionib. & partibus*: *Memorabiles* (inquit) *Balneæ, siue Thermæ, in vrbe fuerunt, Palatinæ, in dorso Palatini, Neronis, in eius domo, Agrippinæ, à Neronis matre in colle Viminali Quirinalem versus, Æmylii Pauli, in cliuo Quirinali, nunc Bagnapoli, Olympiadis, in Viminali, propè S. Laurentium in Panisperna, Nouati, in eodem, vbi nunc S. Pudentianæ templum, Polycleti, propè ludum Æmylii Lepidi gladiatoris, de quibus Porphyrio & Helenius in Horatium, Stephani in valle collis hortulorum, Titi in Esquiliis, Domitiani inter portas Flumentanam & Pincianam, Traiani in Auentino, Commodi ad radices Viminalis, Antonini in latere Auentini via Ardeatina, Decii in Auentino, Diocletiani in Viminali, Constantini, in Quirinali descensu, Gordiani in Esquilino via Prænestinâ, Philippi, in eodem post Titi, Seueri trans Tyberim, Aureliani sub Ianiculo. Nominantur & à Martiale* (addit) *Claudii Hetrusci, Tuccæ, Grylli, Lupi, Fortunati, Pontici, Seueri, Fausti, Poëti, Titi, Tigillini, quarum locus ignoratur. Sunt & Lampridio Alexandri & Varii. Nam & Sextus Rufus suprà octingentas agnouit. In Nymphæà autem, vt id addam, gratia, & voluptatis causa aqua deducebatur, inde Nymphæam Marci, Ammiano. Alexandri Rufo, Gordiani Capitolino. Zonaras tamen in Leonis primi vita, putat esse palatia publica, in quibus, qui augustius habitarent, nuptias celebrarent, à Nympharum statuis dicta.* Hæc ibi *Philander*.

Quod ad varias *Balnearum, Thermarumq;* differentias ac virtutes mirandas attinet, de iis cùm prolixius euagari hîc instituti ratio non admittat compendii gratiâ, legendũ esse iubemus *Plinium, Histor. natur. lib. XXXI. cap. II.* toto contextu. Interim apud veteres *Balneas* quoque ratione tempestatis, atque anni, variâsse, minimè prætereundum est. Fueruntitaque *Balneæ* tàm *Æstiuæ*, quàm *Hyemales*. In *Æstiuis* erant *cellæ piscinales*, in quibus *Neronem* lauâsse ferunt. Vtriusque differentiæ meminit, inter cæteros, *Palladius, de re rust. lib. I. cap. XL. Piscinales* (inquit) *cellæ in æstiuis balneis à Septentrione lumen accipiant, in hyemalibus à meridie. Si fieri potest, ità constituantur balneæ, vt omnis earum per hortos decurrat eluuies.* Et ad finem: *Possumus etiam, si compendio studemus, hyberna ædificia balneis imponere: hinc & habitationi teporem submittimus, & fundamenta lucramur. Vopiscus* quoque tradit *Aurelianum Imp. Thermas* fecisse in transtyberina regione *hyemales*, autore *Philandro*.

Ratione sexûs præsertim, *Balneas* diuersas fuisse apud antiquos, nõ vnum apud scriptorem legimus. Quanquã easdem antiquitus promiscuas fuisse, quas primùm sustulerit, interdixeritq; *D. Hadrianus*, & post eum *Alex. Seuerus. Impp* autor est *Hieron. Mercurialis*, eruditissimo opere, *de arte Gymnastica lib. I. cap. X. de Balneis veterum. Clemens* enim *Alexandrinus* qui sub *Antonino* & *Seuero Impp.* floruit, in eo commentario, quẽ Pædagogum inscripsit, autor est, tantum non *Mulieres* communes cum *Maribus Balneas*, easq; publicas, frequentâsse, imò omni pudore deposito externis quibusque, libidinis gratiâ nudas se se illis spectandas exhibuisse. Quam quidem morum pessimam corruptelã detestatus est posteà *Cæcil. Cyprianus*, in *libello de habitu virginum*. Eam igitur feminarum petulantiam *D. Hadrianus*, & *Marcus Aurel. Antoninus*, Principes, segregâtunt, sustulerunt-que-narrante [illegible]

nouâsset, ea tamen denuo ab *Alex. Seuero* prohibita fuit, vt scribunt *Capitolinus* & *Lampridius*. Hac occasione etiam *Censoria lex* lata fuit, ne *mulieres* cum *viris* promiscuis *balneis* vterentur, sub repudii, & dotis amissionis pœna. Qua de causa postmodum, in gratiam *mulierum*, *Balnea* quædam particulares exstructæ fuerunt, sicut erant *Agrippinæ Augustæ*, *Neronis* matris, nec non *Olympiadis* in *Saburra*, & quas *Ampelidem*, ac *Priscillam* trans *Tyberim*, ad euitandum fortè hominum cõspectum, habuisse ferunt: De quibus omnibus, quæ ad *Gymnasticam*, atque ipsa *Balnea* pertinent, vide *Vitruuium*, inprimis doctissimum *Mercurialem*, *lib.* I. *cap.* X. Eandem, quoad sexum, *Balnearum* sequestrationem ipse quoque *Vitruuius* affirmat *de Architect. lib.* V. *cap.* X. *Et idem* (inquit) *est animaduertendum, vti caldaria muliebria viriliaq; coniuncta, & in iisdem regionibus sint collocata. Sic enim efficietur, vt in vasaria ex hypocausto communis fit vsus eorum vtriusq;.* M. *Varro libr.* II. *de Analogia* annotauit, in *Balneis* coniuncta fuisse ædificia bina: vnum, vbi *viri*, alterum, vbi *mulieres* lauarentur. C. *Gracchus* Orator, in *Oratione de legib. promulgatis*, prout est apud *Gelliũ Noct. Attic. lib.* X. *cap.* III. dum dicit esse *Balneas viriles*, videtur etiam *mulieres* intellexisse, vt sentit rectè *Philander*. Sic enim apud *Gellium*: *Nuper Teanum Sidicinum consul venit. Vxor eius dixit, se in Balneis virilibus lauari velle*, &c. *Balnearum* itaq; vsus antiquior videtur, quàm *Thermarum*, quòd *Mulieres* etiam olim loco in separato lauarentur. Quo allusit *Plinius libr.* XXXI. *cap.* VI. *Homerum* (inquit) *calidorum fontium mentionem non fecisse demiror, cùm alioquin lauari calidâ frequenter induceret: videlicet, quia medicina tunc non erat hæc, quæ nunc aquarum perfugio vtitur.*

Tàm vetusta autem est *balneis* vtendi consuetudo, vt facile autorem eius rei nullibi liceat comminisci. *Pisandrus* tradit, *Mineruam* fesso *Herculi* calidum *Balneum* suppeditâsse. Alii *Ibyco* autori asscribunt, *Vulcanum* muneris vice, *Herculi* feruida *balnea* submisisse. Hinc adagio dicuntur: Ἡράκλεια λουτρά, id est, *Herculana balnea.* Dicebantur autem de *balneis* impendiò feruentibus, qualès fuisse leguntur *Thermæ Neronianæ*. Hinc *Aristophanes in Nebulis*:

> Ποῦ ψυχρὰ δῆτα πώποτ' εἶδες Ἡράκλεια λουτρά;
> *Vbinam frigida vnquam vidisti Herculana balnea?*

Quod ad sensum parœmiæ facit, *Verisimile fit, prouerbium rectè dici posse, quoties ætate aut labore quopiam fatigatis ministerium paulò diligentiùs ad refocillandas vires adhibetur:* vt explicat *Desider. Erasmus Chil.* II. *Centur.* III. LXV. *Pindarus* in *Olympiis Ode* XII. earundem *Balnearum* meminit: Θερμὰ Νυμφᾶν λουτρὰ βαστάζεις: Id est: *Calida Nympharum Balnea extollis*: Siue, quòd ipse more *Herculis* post multa certamina exhausta iam refocillaretur *calidis Balneis*, quas *Nymphæ Herculi* laboribus fatigato submisisse feruntur: siue quòd in ea ciuitate locus esset, cui nomen *calida Balnea*, vt autor idem *Erasmus*. Eiusce lauandi in *Balneis* antiquæ consuetudinis commeminit pluribus in locis *Homerus*, inprimis *Odyss.* θ. vbi inter delicias velut voluptuarias refert:

> Αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη κίθαρίς τε χοροί τε,
> Εἵματά τ' ἐξημοιβὰ, λοετρά τε θερμὰ καὶ εὐναί.

Id est:

> *Semper autem vobis conuiuiumq; gratum, citharaq;, choriq;,*
> *Vestesq; ad permutandum alternatim, lauacraq; calida, & cubilia.*

Et *Odyss. lib.* ω. *Vlysses* post multos labores, erroresque exhaustos lauatur ab ancilla, & vngitur:

> Τόφρα δὲ Λαέρτην μεγαλήτορα ᾧ ἐνὶ οἴκῳ

Ἀμφίπολος

Ἀμφίπολος Σικελὴ λοῦσεν, καὶ χρῖσεν ἐλαίῳ
Ἀμφὶ δ' ἄρα χλαῖναν καλὴν βάλεν.

Id eſt:

Interim verò Laerten magnanimum ſua in domo
Famula Sicula lauit & vnxit oleo:
Circum autem veſtem pulcram iecit.

Pindarus in Nemeis, Oda IV. corpus hominis canit *Balneis calidis* refocillari:

Οὐδὲ θερμὸν ὕδωρ τόσον·
Γε μαλθακὰ τεύχει
Γυῖα, τόσσον εὐλογία
Φορμίγγι συνάορος:
Neq; calida aqua tantum mollia
Efficit membra, quantum laus
Cithara comes.

prout habet interpres *Aem. Portus. Eraſmus Rot.* verò ità vertit: *Ne calida quidem* (inquit) *aqua equè mollit, ac refocillat membra, quantum laudatio cithara apta.*

Idem arguit *Alcæus Poëta in carminibus*; vbi *Meretricem* cum *Balneatore* eleganter comparat:

Πόρνη καὶ βαλανεὺς ταὐτὸν ἔχουσ' ἐπιτήδιον ἔθος,
Ἐν ταὐτῷ πυέλῳ τὸν ἀγαθὸν τόν τε κακὸν λούει.
Meretrix & balneator eundem habent perpetuò morem,
In eodem ſolio & probum & improbum lauat.

Neque *Anacreon* delicias balneares, vnctioneſque quibus delicatuli vtuntur, ignorauit, qui ſic ad *Amicam* ſuam:

ὕδωρ θέλω γενέσθαι,
Ὅπως σε χρῶτα λούσω.
Μύρον γύναι γενοίμην,
Ὅπως ἐγώ σ' ἀλείφω.
Liquor eſſe purus optem,
Lauem tuos vt artus.
Vnguentum & eſſe molle,
Artus tuos vt vngam.

Plato libr. VI. *de Legibus, Senilia balnea* calida nuncupat, eaque ſenibus tantum exhiberi vult: γεροντικὰ λουτρά. Veteres enim frigidâ lauabant, *calida balnea* valetudinariis duntaxat relinquentes. *At his temporibus* (inquit *Deſ. Eraſmus*) *aurigæ quoq; & nautæ lauant in Thermis. At Germani maximam partem in hypocauſtis tranſigunt, Pyrauſtarum inſtar.* Siquidem vero ad delicias & luxuriam antiquitus *Balnea* vt plurimum adhiberentur, hinc non abſurdè in prouerbialem abiit ſermonem: Ἁπαλοὶ θερμολουσίαις: *Teneri balneis calidis.* Id quod dicebatur in homines molles, effeminatos, & luxu diffluentes. Hinc *Philippus Rex Macedonum*, in exercitu ſuo quendam magnæ alioquin exiſtimationis *Tarentinum* militem, quòd *calidis Balneis* fuiſſet vſus, imperatorio munere ac dignitate priuauit, inquiens: Ἀγνοεῖν μοι δοκεῖς τὰ Μακεδόνων πρὸς οἷς οὐδ' ἡ γυνὴ τεκοῦσα θερμῷ λούεται. *Neſcire mihi videris Macedonum conſuetudinem ac mores, apud quos ne mulierem quidem puerperam aqua calida lauari videas:* vt autor eſt *Polyænus ſtratagem. libr.* IV. *de Philippo.* Similiter *Scipio*, dux inſigniter frugalis cum meretrices omnes è caſtris eiiceret, atque in vrbem conuiuiis deditam abire iuberet, vetuit militibus vti *Balneis*, ne in exercitu luxu-

ria ac mollities nasceretur: referente eodem *Polyano libr. stratag.* VIII. Veteres cadauera quoque sepulturæ iam tradenda lauabant, deponebantque. Nec non moris erat defunctis insuper ad sepulcrum *Balnea* quædam inferre. Vndè illud *Ennii:*

Tarquinii corpus bona femina lauit, & vnxit.

Quâ occasione nata *paræmia: Terrestria, sine inferorum, balnea:* nimirum, vbi serius in aliquem confertur beneficium. De quibus vide *Des. Erasmum Chil.* II. *Cent.* IX. IV. Non longe ab hoc discrepat aliud *prouerbium*, quod citat idem *Erasmus Chil.* I. *Cent.* IV. *Τί κυνὶ καὶ βαλανείῳ? Quid Cani cum Balneo? Canum* enim vulgò in *Balneis* vsus nullus. Dicebatur igitur olim in eos, qui ad rem quandam præstandam prorsus erant inutiles. Ex quibus omnibus *Balnearum* vsum veteribus vsitatissimum fuisse euidens est.

Apud *Hebræos, Abrahami & Lothi, Patriarcharum*, temporibus, *lotiones pedum* fiebant, antè mensam. *Abrahamus* enim *Genes. cap.* XIIX. *versic.* IV. tribus hospitibus, vel Angelis sibi cuius non tantum hospitium, sed & calidam pro pedibus lauandis offert, intereà dum ipse mensam instruat. Eadem consuetudo à *Lotho* repetitur *Genes. cap.* XIX. itemque à *Labano, Genes. cap.* XXIV. *vers.* XXXII. Similiter ab œconomo *Iosephi, Genes. cap.* XLIII. *vers.* XXIV. & pluribus in locis aliis. Idem mos durauit quoque in *Nouo Testamento*, temporibus D. N. *Seruatoris.* Apud *Euangelistam Ioannem* siquidem legimus, *cap.* XIII. *vers.* V. *Seruatorem Apostolis* antè cœnam pedes lauasse. Quanquam tamen eâ tempestate *Pharisæis* magis in vsu fuerit, antè mensam manûs lauare, vt elicitur ex *Euangel. Marco, ca.* VII. *vers.* XXXV. quasi tum *pedum lotio* in quantum euiluisset.

Præterea verò, quæ paulò suprà aspersimus, *Balneas*, voluptatis, & mollitiei causâ, olim vsurpatas fuisse, de vera earum origine, atque inuentionis caussa, luculenter sequentibus edisserit *Hieron. Mercurialis, libr.* I. *de art. Gymnast. cap.* X. *Decima* (inquit) *Gymnasiorum pars fuit Balneum, quam ob delicias, atque sanitatem omnium maximè æstimatam fuisse certum est.* Et ibidem: *Finis, cuius gratiâ lauabantur, non vnus existit. De sanis loquor, & gymnasiorum studiosis: nam de ægrotantium, & valetudinariorum lauationibus sermonem haberi non postulat locus. Primam balneorum institutionem semper fuisse existimaui, vt quotidianas sordes eluerent, possentque mundo corpore cænare, qui singulis diebus lauabantur. Antiquitus enim cum nondum lineorum pannorum, qui corpora à sorditie tuentur, vsus inuentus, aut saltem infrequens esset, magnaque ex parte corpora nuda ferrent, à puluere, & omni alia illuuie conspurcabantur, atque ideo, vel saltem ter, quaterue in mense, vel, si semper mundi cænare gaudebant, singulo quoque die lauari cogebantur: quod posteriores, qui in Gymnasiis antè exercitationes vngebantur, & puluere ac sudoribus conspurcabantur, ad eluendas sordes factitasse semper, & ob id in ipsis Gymnasiis Balnearum vsum innectum rationi consentaneum est. Sicut namque primi illi locum, vbi iuuentus Romana exercebatur, Tyberi propinquum constituerunt, ne longius ad deponendas inter exercendum contractas sordes ire cogerentur, quemadmodum scribit Vegetius: ità, postquam Gymnasia ob exercitationes instituta fuerunt, æquum erat, & balnea ibi ad mundanda corpora construere. Ab hoc autem vsu etiam semel tantum in die cænandi, & in stratis, dum cænarent, accumbendi, consuetudo introducta fuit. Posteriori tempore maiorem hominum partem Balneis ob delicias, atque mollitiem vsum esse clarè constat, & præsertim Tepidis, quibus exsiccatas, hac ab exercitationibus, vel Sole, vel frigore ardentes corporis partes attemperabant.* Et paulò post: *Summatim* (addit) *ob quatuor caussas Balnea in vsu ex-* [illegible] *ponit Clemens Alexandrinus* [illegible]

Fac

siue ob corpora mundanda, tepefaciendaque, siue ob sanitatem, siue ob voluptatem. Calidis Balneis vtebantur maiores, ad leuandas lassitudines, nec non ad corpora emollienda, quæ [illegible] *vocarunt: Calidis & Tepidis ad conciliandum somnum; Frigidâ lauabantur & ob voluptatem; & vt robustiores redderentur, calorque naturalis intrò repulsus maior euaderet. Ideoque ferè post calidas balineas ea adhibebatur.* Hæc, & plura loco allegato doctissimus *Mercurialis.* Eandem caussam affert *lotionis pedum Ioan. Piscator, Theologus* super *Genesin*, & loca, quæ superius allegauimus, nimir. id officii inquiens hospitibus peregrè aduenientibus præstitum esse in regionibus illis Orientalibus, ob cœli feruorem atque æstum, terrasque exustas & pulueruIentas, vndè procliue est homines, præsertim, vt ea ferebat ætas, bonam partem nudos, puluere & sordibus conspurcari.

Interea, quod ad vires facultatesque, quibus *Balnea* præstant, attinet, *Hippocrates lib.* II. *de vict. rat. sect.* IV. ità edisserit: *Aqua potabilis* (inquit) *humectat, & refrigerat, cum corpori humiditatem exhibeat. Salsum vero balneum calefacit & siccat. Naturâ enim calidum humiditatem è corpore trahit. At balnea calida ieiunum quidem extenuant, & refrigerant. Caliditate enim humidum è corpore tollunt, eoque è carne vacuato corpus refrigeratur. Post cibum autem calefaciunt, & humectant, cum ea quæ in corpore supersunt, in maiorem molem diffundunt. Frigida vero balnea contrà.*

Vacuo quidem corpori frigidum calorem quendam impertit, at post cibum humiditatem præsertim tollit, & sua frigiditate, siccum, quod adest, auget. Balnei abstinentia, consumpta humiditate siccat, eodem sanè modo neglecta vnctio. At verò vnctio calefacit, humectat, & emollit. Hactenus *Hippocrates. Galenus,* pluribus in locis, inprimis *lib.* I. *de vsu part.* de *Balnearum* facultatibus ità ennuntiat: *Nihil itaque inuenias, quod valido æstu occupatos præsentius refrigerare, aut magna frigiditate affectos promptius calefacere, quàm Balneum, possit. Cum enim natura humidum sit, & moderatè calidum, humiditate quidem natam ex caliditate siccitatem irrigat, caliditate verò ortam ex gelu frigiditatem persanat.* Idem *lib.* I. *de temperam.* ità habet: *Admonent autem hoc loco nos de his, qui sub æstiuo Sole diutius sunt versati, atque ità, vt credibile est, arefacti, ac totum corpus siccum solidumque habent, intolerabiliterque sitiunt.*

Quippe remedium his expeditum & facilimum dicunt, non modo si biberint solum, sed etiam, si calida & dulcis aqua balneo vtantur, tanquam humiditate, siue ea cum frigore sit, siue cum calore, suum munus obire valente, quippe humectare ea, quæ contingit.

Ex recentioribus Medicis, *Leonhardus Fuchsius lib.* II. *Instit. cap.* XXIX. *sect.* V. tradit, apud veteres *Balnearum* vsum summum extitisse: Eos enim quotidie sese lauasse, quo vel puluerem (prout superius diximus) sordesque abluerent, vel sudorem prouocarent, valetudinis, voluptatisue causâ. *Balnearum* autem partes quinque veteribus fuisse adiungit: *Prima Græcè ἀποδυτήριον, ἀπὸ τοῦ ἀποδύειν, quod est exuere, dicebatur. In ea enim balneaturi se exuebant, atque nudabant. Latinè Tepidarium vocabatur. Tepebat enim hac in parte aër, vel ex calidis ac siccis vaporibus ab igne delatis: vel calidis ac humidis, ab herbis & stirpibus decoctis transmissis: vel ab aqua in ignitos lapides, aut candentes laminas infusa excitatis.*

Altera balnei pars Græcis πυριατήριον, & ὑπόκαυστον, Romanis calidarium, Senecæ sudatorium, aliis Laconicum, à Laconibus & Spartanis, quibus in vsu frequens fuit, appellabatur. Et paulò

paulò post: *Galenus hanc partem multis in locis ξηρὰν θόλον, hoc est, siccam testudinem nominat. Siquidem fornicem habuit concameratum, seu locum in se recuruum, in quo succensus ignis calidos atq; siccos vapores emittebat, ad sudorem eliciendum.* Et paucis interiectis: *Eandem certè partem libr. III. de tuend. sanit. idem Galenus βαλανεῖον vocauit. Hodie facientes medicinam aërium nominant balneum, quod eo vtentes in aëre degant calefacto.*

Tertia pars erat solium calidum. Solium autem nihil aliud fuit, nisi cisterna, aut piscina, aut vas, aut cupa, in qua homines considentes abluebantur. Vnde Latinis & Labrum, & Lauacrum, vulgò etiam Tina vocatur. Galenus ab inscensu & descensu ἔμβασιν, κολυμβήθραν, καὶ δεξαμενὴν nuncupare solet. Posterior appellatio Homero quoq; familiaris fuit.

Quarta pars frigidum solium erat, in quo corpus prioribus Balnei partibus exhaustum, nimisq; laxatum, & calefactum, refrigerabatur, densabatur, ac firmabatur. Veteribus Græcis λουτρὸν simpliciter vocabatur.

Quinta ac nouissima pars, detergendo corpori dedicata fuit. Nam postquam cuncta iam ritè peracta essent, post frigidi solii vsum iterum sudabant, vt omnia excrementa citrà refrigerationis noxam vacuarentur. Proindè vt tandem sudorem iterùm detergerent, opus fuit, quod quidem in postrema hac parte factum est.

Hæc de partibus Balnei *Fuchsius.*

De hodiernis autem *Balneis*, ad veterum comparationem, sequentia ibidem affert: *Nostra quidem* (inquit) *Balnea aliqua ex parte antiquorum referrent, si prima & vltima partes distincta, & aliis continua essent. Tepidarii enim vicem supplet ea pars, modò continua sit alteri, in qua nos nudamus, & vestes exuimus. Calidarium, in quo sudamus, veterum propemodum per omnia refert. Non desunt nobis solia, calida maximè. Frigidis enim hodie vti desierunt. Æstiuo tamen tempore Germani nostri non tantum se in frigida mergunt, sed multas horas fluuiis innatantes consumunt. Pars vltima, itidem desideratur, cui tamen, vbi continuum est, Tepidarium, in quo denuo vestimur, aliquo modo respondet.*

Quod facultates tàm *Balnei*, quàm singularum eiusdem partium, hæc mox subiungit: *Prima* (inquit) *quasi quadam est ad alteram præparatio. Neq; enim satis tutum est, à frigido aëre statim in calidum admodum se transferre. Secunda materias per totum corpus tum calefacit, tum fundit liquatue, & quæ inæqualia sunt, æquat, & cutem laxat, & sub eadem tenta euacuat. Quare nobis non rarò exercitii neglecti vices supplet. Tertia, qua in aquam calidam descenditur: si media temperie sit, calefacit, & humectat: sin tepida fuerit, humectat, & refrigerat,* &c. *Quarta Balnei pars, qua in frigidam immerguntur, vniuersum corpus firmat, ac robustum reddit, cutem densat,* &c. prout pluribus loco allegato disputat *Fuchsius*, autor antiquitatis, sicut apparet, alioquin studiosissimus.

D. *Forestus* Medicus practicus exercitatissimus, ex *Galeno, x. meth. cap. x. Balnei partes* duntaxat quatuor ità recenset: *Erant autem* (inquit) *Balnei partes quatuor. Prima erat Aër balnei: secunda, solium calidæ aquæ; tertia solium frigidæ: quarta, in qua sudores detergeuntur.*

Primò, quoad aërē balnei, per eum calidum aërem intelligimus, qui etiam vsq; eò calidus esse debet, vt sudor euocetur. Per solium calidum tribus modis intelligimus, primò, vt aqua sit insigniter calida: Secundò, vt sit tepida: tertio, vt mediocrem caliditatem consequatur, mediam inter intensam & tepidam, seu remissam. Et post: *Tertia pars balnei est solium frigidum. Galenus a. m. de tuend. sanit. Frigidam, ait, aquam tribus modis intelligi posse. Vel enim est aqua frigidior, velut est aqua glacialis: vel est aqua, in qua minimum est frigoris, veluti est aqua illa, quæ exponitur soli;*

soli, vt teporem aliquem acquirat: vel est aqua frigida medio quodam modo. Quoad quartam partem Balnei, est illa, in qua detergitur sudor, & corpus secundum exteriorem partem inundum redditur, & in qua fiunt inunctiones ad claudendos poros. Hæc ille *libr.* 1. *de curat. hectic. cap.* XII.

Dan. Sennertus, Medicus hodie in *Saxonia* celeberrimus, *Instit. libr.* IV. *part.* II. *cap.* IV. ità breuiter vires *Balneorum* perstringit: (ait) *ad sanitatem tuendam non leuis est vtilitas. Aqua enim dulcis calida Balneum tollit lassitudinem, pectoris & dorsi dolores mulcet, articulos emollit, capitis grauitatem ex biliosis humoribus profectam amouet, melancholicos iuuat, plenitudinem imminuit, flatus discutit, corpus calefacit, & humectat, siccitatemque illam fatalem remoratur.*

Duncan. Liddelius libr. 1. *de curat. Hectic. cap.* XII. *Balneum* (ait) *externas partes humectat aut irrigat, & vim caloris exsiccantis humidum solidarum partium obtundit, ac proinde corpus refrigerat, & humectat, partesque externas relaxat, vt promptius alimentum attrahant.*

Eruditissimus, præter alios, *Ioan. Fernelius, libr. meth. med.* II. *cap.* X. *de Balnei* vtilitate ista inprimis habet: *Balneum* (inquit) *dulcis aquæ longè quàm exercitatio potentius spiracula laxat, remittitque, humores calfacit, extenuat, fluxosque colliquat. Ex his fuliginosos non modò dissipat è summis, verum etiam ex intimis corporis regionibus tenues & fluxos foras euocat, prolicitque sudores. Crassiores vero, quos non discusserit, colliquat, & tantâ vi concitat, vt in alias plerumque partes iactati confluant.* Et deindè: *Tantò autem manifestius atque validius hæc efficit Balneum, quantò vel natura, vel arte calidius obtigerit, siue sulphureum, siue nitrosum, siue medicamentorum calidorum permistione comparatum sit. Solium vero aqua calida, in quod resupinus æger à genibus ad vmbilicum demergitur, non mouendis sudoribus destinatum est, sed aut molliendo reserandoque vtero, aut leuiendo dolori, qui ventris imas partes excruciat. Laconicum,* (addit) *in quo sicco calore sudor efficitur, humores è corpore aliquanto valentius, quàm Balneum resoluit. Morbis accommodatur frigidis atque diuturnis quorum materia aut in articulis, aut in summo hæret corpore,* &c. *His vacuandi generibus humoris atque spiritus non exiguum ex vniuerso corpore dissoluitur in sudores, qui tamen per febres, acutosque morbos, si res expostulet, leuioribus mouebuntur auxiliis.*

De *Vnctione,* atque *Frictione,* quæ ad *Balneum* pertinent, idem subiicit: *Iam verò* (inquit) *Vnctio atque Frictio summa duntaxat corporis eximinuunt, neque humores intus, ac penitus abstrusos, neque corpus ipsum insigniter conturbant. Mollis siquidem longaque Frictio corporis summa excalfacit, cutis spiracula laxat, dilatatque, quibus ex causis humores in extrema corporis effusi incalescunt, extenuantur, & liquefiunt, qui demum sponte sua dissipantur, & euaporant. Vnctio calida eadem, sed aliquanto validius confert. Altius siquidem penetrans non modo cutem emollit, verum etiam corporis interiora & humores contagione calfacit, extenuat, disperditque. Leuior tamen est Vnctio, & tolerabilior Frictione longa.* Hactenis *Fernelius* de *Balnearum,* adeoque *Vnctionis* etiam *Frictionisque* effectis.

Veteres *strigilibus* in *Balneis* vtebantur ad *Frictionem.* Hinc *Petron, pag.* 24. *video* (inquit) *Gytona cum linteis & strigilibus parieti applicitum, tristem confusumque: scires non libenter seruire.* Et *Persius Satyr.* V:

I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer. Erant autem *Strigiles,* vel ex ferro, vel auro, vel argento, vel cornu, vel ebore, vel ære compositi, quibus stigmenta, & sordes exercitatorum corporibus distringebantur, radebanturque. Vide *Hieron. Mercurial. libr.* I. *art. Gymnast. cap.* IIX. & superius *commentaria nostra ad Petron.* Quibus porro, quando,

 & quo-

& *quousq́;* *Balnea* conueniant, aut non, ex iisdem autoribus videbimus. Prohibent autem vsum *Balnei* (maximè in ægris) I. *Febris putrida* associata: quod obstructiones adsint, quæ ab humoribus fusis calore *Balnei* augentur, II. *visceris inflammatio*: Nam ex *Balnei* calore humores liquati ad ipsum magis confluerent. III. *visceris debilitas*: ob quam promptius recipit humores fluentes. VII. *plenitudo ad vasa, vel vires.* Quod scilicet humores fusi in plenitudine quoad vires, magis grauant, quoad vasa verò, venæ ruptionem minantur. V. Grauis *Catarrhus*, aut *Alui fluxus*: quia *Balnea* humectando fluxiones augent. VI. *Nimia alui constipatio*, aut *cruditas* in primis viis. Hæc enim *Balnei* calore in venas facilè attrahitur. VII. Tandem prohibet quoque *Inedia*, aut *Indigentia* magna vtilis alimenti in venis: itemque magna vitium debilitas, vt in *Marasmo* perfecto. Periculum enim est ex *Balneo*, ne ob spirituum exhalationem in synopen fiat lapsus: prout disputat *Ducan. Liddelius libr. I. d. Febrib. d. cur. at. Hectic. cap. XII.* Quibus astipulatur *Fernelius libr. m. m. II. cap. XX.* *Quocircà Balneum* (ait) *iis aduersissimum est, I. qui morbo graui tenentur, atque iis II. qui citrà morbum impuro plethoricoue sunt corpore, & III. quibus nobilioris cuiusdam visceris imbecillitas inest, aut præcordiorum durus, renitensque tumor. Quippe liquatus humor præter naturam in partem languidam decumbens in phlegmones discrimen adducit.*

Idem de *Laconici* qualitatibus, quibus prosit, aut noceat, ità differit: *At quoniam in eo vapor feruidus non solum corpori extrinsecus occursat, verum etiam respiratione intrò sese insinuans, ac in omnia diffusus corpus haud mediocriter incendit, exsiccat, nec calidis, nec acutis affectibus, nec impensè bilioso, nec extenuato corpori decernendum. Quum verò humores conturbet, corpusque vehementer lacessat, iisdem ac balneum obseruationibus vsurpetur.* Ibidem paucis de *Vnctione*: *Illa quidem* (breuior inquit) *in Acutis morbis, longa verò neq́; in Acutis, neq́; in Crescentibus ex vsu est.*

Quibus verò vsus *Balnei* vtilis ac commodus sit, partim ex superioribus, partim ex sequentibus quæ idem lectissimus habet *Fernelius*, patet. *Vtile verò* (inquit) *& accommodatum iis deprehenditur, qui squalidi, extenuatique sunt, & quibus iam magna partium solidarum inest ariditas: atque iis etiam, qui ex Febris ardore quasi retorridi euaserunt: melancholicis quoque & crasso terrenoque humore oppressis. Sed & in iis cautio adhibenda, ne vlla subsit in venis primis copia crudi humoris, quæ in omne corpus rapi possit: neue inter administrandum horror vllus incidat, qui febrem prænunciare solet.* Et de *Laconico* subiungit: *Morbis accommodatur frigidis atque diuturnis, quorum materia aut in artubus, aut in summo hæret corpore.*

Quando deniq́ue, *quo tempore & quousq́;* ineundus sit vsus *Balneorum* eleganter docet *Sennertus Instit. libr. IV. part. II. cap. IV.* *Neq́; etiam* (inquit) *sunt ineunda Balnea, antequam cibus in ventriculo sit concoctus: ne crudi humores in vniuersum corpus rapiantur. In Balneò verò ab omni cibo & potu abstinendum. Antè fatigationem quoq́; egrediendum, & caput, ac totum corpus siccandum, atq́; à frigore defendendum, nec prius cibus capiendus, aut bibendum, quam caliditas illa Balnei exspirârit.*

Idem antiquitus obseruatum fuisse, vt post celebratam concoctionem, & varias corporis exercitationes præmissas, *Balneum* iniretur, & quidem antè mensam, nescio an multò luculentius describit *Hieron. Mercurialis lib. I. art. Gymnast. cap. 10. de Balneis* ità inquiens: *Tempus lauandi penes veteres, quemadmodum narrat Seneca, fuit, quod quotidie brachia & crura abluebant: toti nundinis solum lauabantur. Cæterùm, post M. Pompeii ætatem cœperunt singu-*

ſingulis diebus toto corpore lauari. Hora verò, vſq; à temporibus Homeri ferè à pluribus obſeruata fuit, paulò antequàm cibus ſumeretur. Non deerant tamen Galeni tempeſtate, qui etiam à cibo nulla valetudinis habita ratione, lauarentur. Ob quod ipſe rigorem ſine febre viſum tempore ſuo narrat, quem ætate antiquiorum Medicorum, cum rari poſt cibum lauarentur, non eſſe viſum ſcribit. Vt plurimum autem maior pars liberorum hominum prius exercebatur, deinde balnea ingrediebantur, non-nulli ſine exercitationibus lauabantur.

Idem *Mercurialis*, ſub finem allegati *cap. x.* iuxtà *Thermas popinas* olim fuiſſe atteſtatur his verbis: *iuxta publicas* (inquit) *Thermas inuenio exſtructas fuiſſe Popinas, quas Iſidorus libr. etymolog. xv. cap. 11. tradit, huic inſeruiſſe, vt, qui ob exercitationes, aut lauacra eſſent admodum exinaniti, diſſoluti ve, haberent, vbi ſtatim refici poſſent. Atq; has forſan Plinius intellexit Epiſtol. 111. lib. 1. quando poſt balneum & triclinia, Popinarum meminit.*

Hùc facere videtur illa *Inſcriptio peruetuſta Romæ* ad *D. Petrum* effoſſa, quæ balneatii illi veterum gymnaſticæ non paruam lucem affert. Eam autem *Marc. Welſerus libr. de rebus Auguſtanis pag. cciv.* ita deſcribit: *Corollarii* (ait) *vicem ſermoni, qui à thermis cœpit, non negabo verſus aliquot concinnos, feſtiuos, ſcitos totos, inſcriptos marmori, antè annum vnum atq; alterum Romæ ad D. Petri effoſſo, qui inprimis lucem inferent balneari exercitationi, a paucis ſcriptorum memoratæ, à nullo lectorum antehac intellectæ. Indultum Ab. Ortelio debeo.*

VRSVS TOGATVS VITREA QVI PRIMVS PILA
LVSI DECENTER CVM MEIS LVSORIBVS
LAVDANTE POPVLO MAXIMIS CLAMORIBVS
THERMIS TRAIANI THERMIS AGRIPPÆ AC TITI
MVLTVM ET NERONIS SI TAMEN MIHI CREDITIS
EGO SVM OVANTES CONVENITE PILICREPI
STATVMQVE AMICI FLORIBVS VIOLIS ROSIS
FOLIOQVE MVLTO ATQVE VNGVENTO MARCIDO
ONERATE AMANTES ET MERVM PROFVNDITE
NIGRVM FALERNVM AVT SETINVM AVT CÆCVBVM
VIVO AC VOLENTI DE APOTHECA DOMINICA
VRSVMQVE CANITE VOCE CONCORDI SENEM
HILAREM IOCOSVM PILICREPVM SCHOLASTICVM
QVI VICIT OMNES ANTECESSORES SVOS
SENSV DECORE ATQVE ARTE SVBTILISSIMA
NVNC VERA VERSV VERBA DICAMVS SENES
SVM VICTVS IPSE FATEOR A TERCONSVLE
VERO PATRONO NEC SEMEL SED SÆPIVS
CVIVS NVNC LIBENTER DICOR EXORDIARIVS.

In qua quidem inſcriptione aliquoties mentio peragitur *Pilicrepi*, inter alia, ſuper quo nomine diligentius ſuprà egimus in *Commentariis* noſtris ad *textum Petronianum*.

Quantum verò ad ipſam totius balneationem facit, rectè eam quoq; moderatam temperatamq; eſſe debere, *Medicorum* conſenſus, & ipſa experientia, arguunt. Secus enim facta balneatio facilè incommodare poterit. De qua quidem ità *Clariſs. Dn. Sennertus*: *Rectè tamen* (ait) *Balneorum ratio inſtituenda eſt. Nam ſæpè grauiſſimi Balneorum vſu errores committi ſolent. Si enim Balnea vel nimis calida ſint, vel diutina, calorem diſſipant, & latentem in corpore cacochymiam commouendi vim habent.*

Quod ſupereſt: ad *Quæſtiones* propoſitas ſuprà, propius accedendo, Reſpondeo

Ll 2 primum

primum, *Balneum* in genere, quatenus sanis adhibitum, pollere vi humectandi corpus hominis, calefaciendique, in quibus vita hominis, in calido scil. humidoque maximè fundatur. Ea ratione ad propellendam longius fatalem siccitatem confert, vt complures eius-modi commoditates succedaneæ aliæ hîc de industria non repetantur, de quibus superius egimus. Huic vtilitati, salubritatique comes iungitur voluptas, quod ad corporis illecebras & lasciuiam apprimè faciat *Balneum*, vtpote cutê irrigando, detergendo, mollemq; & effeminatam reddendo. Hinc multa olim, & nunc in *Balneis* libidinosa exercentur, vt ritè dicatur in effeminatos & luxu diffluentes: *Teneri Balneis calidis*: id est, luxu & mollitie diffluere. *Sozomenus hist. Eccles. libr. 1. cap. XIII. de S. Antonio: Oleo* (inquit) *vngi, balneis & similibus rebus vti recusauit, quippe corporis firmitudinem eius-modi rebus humidis in mollitiem mutari solere censuit.* Idem intellexit *Palladius*, qui *libr. 1. de re rust. cap. XL. Balnea* (tradit) *& voluptati plurimum conferunt & saluti.* Rectè itaq; *Philippus*, rex *Macedonum, Tarentinum* quendam gente, præfectum rei militaris, omni dignitate exautorauit, quod is *calidis Balneis*, tanquam re effeminata, & milite inprimis indignâ, vsus esset. *Philippus Camerarius meditat. histor. part. 1. cap. XXXIII.* probare nititur, Ethnicos in *Balneis* olim maiorem verecundiæ rationem habuisse, quàm hodierno tempore ipsos *Christianos. Sæpius* (scribit) *miratus fui in non-nullis locis publica Balnea, & lauacra promiscua, nostro tempore adhùc conspexi, nulla habitâ aut sexus, aut ætatis consideratione, cum tamen hæc res veteribus Ethnicis, apud quos vel species honestatis & pietatis reliqua mansit, exosa fuerit.* Idem ex *Plutarcho in vita Romuli* affert, *Romulum*, primum *Romanorum Regem, in muliebris sexus honorem legem tulisse: Qui se nudum à femina videri passus fuerit, criminis capitalis reus habetur.* A quo parum videtur discrepare *Ioan. Bapt. Syluaticus*, apud quem in *Controuersiis Medicis* muliercula ista, siue ancilla grauida facta, causata fuerat, se in *Balneis* semen virile, fortè emissum, attraxisse, vt castam se esse eo modo palliaret. Sed contrà rectè excipit *Syluaticus*: *Aut sciuit* (inquit) *semen ibi esse, aut non. Si sciuit, cur attraxit? cur non euitauit? Si non sciuit, quomodo ergò dicit, semen ibi fuisse.* Quam eandem mulierculæ huius excusationem narrat quoque & discurit *Wierus in tractat. de Præstigiis Dæmon. &c.*

Secundò: *Balnea* admodum præstant ratione sudorifica, qua pollent, dum nimir. spiracula cutis laxant, humores calfaciunt, extenuant, colliquantque: ex hisque fuliginosos non modò dissipant è summis, sed etiam ex intimis corporis regionibus tenues & fluxos euocant, proliciuntq; inprimis sudores. Sudorem autem esse euacuationem admodum vniuersalem vtilissimamq;, ecquis facilè inficiabitur, cùm tertia ferè omnium morborum pars, qui corpus humanum infestant (si quidem *Osvvald. Crollio* credimus) per sudores curari possit.

Tertiò, accedit *Balnei* vis detersoria, quâ ii qui (vt habet *Galenus*) sub æstiuo sole diutius sunt versati, atq; ità penè atefacti, ac totum insuper corpus siccum solidumque nacti sunt, adeòque intolerabiliter sitiunt, nullo remedio facilius recreantur, quàm si calidæ aquæ *Balneum* vsurpent. Id igitur moris ac consuetudinis veterib. fuisse præsertim liquet, qui in regionibus Orientalibus illis, sub cœlo maximè feruido habitabant: prout *Roma* quoq; äër est, quamuis *sub Occidente*, minimè hybernus, sed æstiuus admodum, vt cùm à meridie solibus forent exusti, æstuq; penè exhausti, aliquot horis antè cœnam ingredi *Balnea* soliti fuerint, præsertim ii, qui aut exercitiis aut regymnasticâ fatigati erant, aut peregrè alioquin aduenientes lassi, squalidique euaserant, *Balneis*, apud gentiles, lege hospitalitatis, initiabantur, tanquam pro insigni recreatione, ac totius qu. corporis delassati refocillatione.

Hinc

Hinc totum non solum corpus ad omnes actiones, ex noxiorum halituum, humorumque per sudorem transpiratione redditur agilius, sed etiam stomachus cibum auidius appetit, appetitumque rectiùs apprehendit concoquitque, sitis immensa ex humectatione retunditur, & denique somnus, quo quidem coctiones optimè perfici suprà demonstrauimus *Cap.* III. felicius obitur, perficiturque. Viatores siquidem, baiuli, ac tabelliones in vsu habent, vt post diutnos labores exantlatos, itinetibus præsertim æstiuo tempore factis, vbi domum appulerint, vespeti, aut interdiu etiam, illicò sibi *Balneum*, si fieri eius possit, (quod illis maximè consuetum, qui ad *Thermas* habitãt) vel ad minimum, sicubi vicinis *Balneu* destituantur, *pedum lotionem calidam* instituant, vt eo modo lassitudinem ex pedibus, qui ex itinere, & gressu corporis, ob molem eiusdem sustinendam, protrudendamque, apprimè dolent, afficiunturque, extrahant scil. atque profligent. Hinc illos mox tanquam rediuiuos, atque ad cibum, somnum, aliaque consueta munia illicò videre est expeditiores, lenioresque. *Medici* nostri ad hoc institutum, pedum scil. lassitudinem, ex itinere caussatam commendant, interalia, *decoctum Artemisiæ*, quòd ea herba velut peculiaris eo in casu sit, vt arbitratur *Adam. Lonicerus in Herbario.* Quidam tamen in vocabuli huius etymologia vernacula (*Germanis* enim dicitur Beyfuß) ludunt, dicentes caballum aut equum intelligi rectiùs, qualis verius Beyfuß effetretur, cùm vectura, vel equitatio pedum lassitudinem, ne eueniat, optimè medeatur, ab eademque antidoto quouis melius, præseruet. Interim nihilominus prædictam *pedum lotionem*, antè cœnam præsertim, *Hebræis* olim receptissimam fuisse, notissimum ex historia creationis, vbi *cap.* XIIX. *Genes. Abrahamus Patriarcha*, hospites Angelos obnixè petit, secum vt diuertant, atque calidam pro pedibus lauandis accipiant, paululumque sub vmbraculo quiescant, donec ipse interim cœnam paret. Habitabat autem in *Oriente*, quæ terra à cœli æstu erat perquàm exusta atque puluerulenta, adeoque viatoribus grauis. Sic *Lothus Genes. cap.* XIX. duos *Angelos* circà vesperam aduentantes *Sodomam* rogat, suo vt dignentur vti hospitio per noctem, & calidam pro lauandis pedibus accipiant. Idem repetitur à *Labano Genes. cap.* XXIV. qui *Abrahami* legato, *Isaciq;* proco, postquàm camelis eius pabulum subministrâsset, calidam ad lauandos pedes tum ipsi, tum sociis eiusdem offert. Idem habetur *Genes. cap.* XLIII. vbi *Iosephi* Oeconomus, confirmatis domini illius sui fratribus, apponit calidam pro lotione pedum, & pabulum pro iumentis eorum, eosdemque deinde ad mensam adducit.

Balnea igitur, imò quoque *pedum lotionem*, rectissimè ante cœnam iniri, præter, quod suprà probauimus, ità ex antiquitate denuò atq; ipsis *Medicis* astruimus, quòd eo tempore coctiones sint celebratæ, vbi exercitatio balneatis maximè prodest, tùm etiam lassitudo ac defatigatio totius optimè calidâ soluatur, imò etiam cutis à puluere & sordibus detergatur, imò totius habitus humectetur, refocilleturque rectissime. Quæ quidem stato tempore balneandi ratio non solum *Hebræis*, vt è *lotione pedum* euidens fit, sed & gentilibus tàm *Græcis*, quàm *Romanis* vsitatissima semper extitit. Rationes autem, cur maximè veteres *ante cœnam Balneis* vsi sint, in compendio omnes velut elegãtissime complexus nobis esse videtur eruditissimus *Mercurialis*, qui etiam, cur *cœnandi* tempus in vesperam vsque protractum fuerit, *lib.* I. *d. art. Gymnast. cap.* XI. ad finem disertissimis verbis ità indicat: *Quòd porrò* (tradit) *vespertinam horam cœnæ dedicârint, in caussa fuisse præcipuè vitæ commoditatem existimo. Siquidem difficile fuisset post exercitationes, balnea, & cibum, agendis rebus operam nauare. Præterea cùm accumbentes cœnarent, alii statim somno capiebantur, alii modico temporis spatio vigilantes dormitum ibant: ex quo adhæc omnia nulla opportu-*

nior hora, quàm vespertina, inueniebatur, quanquam etiam non-nullos, & præsertim Medicos in hoc valetudinis quoque rationem spectâsse opinor, quando in nocte melius, quam interdiu, cibi conficiuntur, tuncq́; perspicuum est plus edendum, quando plus coquitur. Hæc *Mercurialis:* qui toto eo capite, quo de accubitu veterum, & cænandi ritu agit, videri potest.

Adeò autem vetustus ille mos veterum *antè cœnam*, & post labores *Balneis* vtendi extitit, vt *Homeri*, & longè antè eum, *Belli* quoque *Troiani* temporibus consuetissimum fuerit. *Iliad.* enim χ. Ε῎κτορι θερμὰ λοετρὰ μάχης ἐκνοστήσαντι: *Hectori è prœlio redeunti calidum Balneum paratur.* Et elegans est locus *Iliad.* κ. ad finem, vbi *Archiui*, vnàque *Vlysses*, defatigati, primum Mare, vel *frigidam*, dein *Balnea* ingrediuntur, deinde vnguntur, ac denique ientaculum accipiunt:

Αὐτοὶ δ' ἱδρῶ πολλὸν ἀπενίζοντο θαλάσσῃ
Ἐσβάντες, κνήμας τε, ἰδὲ λόφον, ἀμφί τε μηρούς.
Αὐτὰρ ἐπεί σφιν κῦμα θαλάσσης ἱδρῶ πολλὸν
Νίψεν ἀπὸ χρωτὸς, καὶ ἀνέψυχθεν φίλον ἦτορ,
Ἔς ῥ' ἀσαμίνθους βάντες ἐϋξέστας λούσαντο.
Τὼ δὲ λοεσσαμένω καὶ ἀλειψαμένω λίπ' ἐλαίῳ,
Δείπνῳ ἐφιζανέτην ἀπὸ δὲ κρητῆρος Ἀθήνῃ
Πλείου ἀφυσσόμενοι, λεῖβον μελιηδέα οἶνον.

Id est:

Ipsi verò sudorem multum abluerunt, mare
Ingressi, tibiasq́;, & collum, circaq́; femora.
Sed postquàm ipsis vnda maris sudorem multum
Abluit à corpore, & refrigerati sunt dilecto corde,
In labra ingressi benè polita loti sunt.
Hiq́; loti & vncti pingui oleo,
Ientaculo assederunt: exq́; cratere Mineruæ
Pleno haurientes, libârunt dulce vinum.

Eiusdem *antè cænam*, vel mensam, balneandi consuetudinis commeminit quoque *Apuleius*, in *Satyrico*, vel *Metamorphos. libr.* IV. *In fine* (inquit) *sermonis huius, statim se se deuestiunt: nudatiq́;, & flammæ largißimæ vapore recreati, calidaq́; perfusi, & oleo peruncti, mensas dapibus largiter instructas accumbunt.* Apud eundem eodem libro idem liquet, repetiturq́;, *Balneum* ab anicula domestica latronibus paratum fuisse, postquam isti venissent, latrociniis & grassationibus hinc-inde confectis, lassati, spoliisq́; onusti, per viarū lustra, atq; accessus inaccessos se se domū recipientes. Ità autem latrones aduenientes ad Anum: *Etiamne* (inquiunt) *tu busti cadauer extremum, & vitæ dedecus primum, & orci fastidium solum, sic nobis otiosa domi residens lusitabis? nec nostris tàm magnis, tamq́; periculosis laboribus solatium de tàm sera refectione tribues? quæ diebus ac noctibus nil quidquam rei, quàm merum sæuienti ventri tuo soles auiditer ingurgitare.* Tremens ad hæc, & *stridenti voculâ pallida sic Anus: At vobis, fortißimi fidelißimiq́; mei sospitatores iuuenes, affatim cuncta suaui sapore percocta pulmenta præstò sunt: panis numerosus, vinum probè calicibus effricatis affluenter immissum, & ex more, calida tumultuario lauacro vestro præparata. In fine* (addit) *sermonis huius statim se se deuestiunt, nudatiq́;, & flammæ largißimæ vapore recreati, calidâq́; perfusi, & oleo peruncti, mensas dapibus largiter instructas accumbunt.*

Quod autem PETRONIVS ait, *Balneo* egredientes in *frigidam* exiisse; sic enim habet *pag.* 11. in *Themate* suprà proposito: *Intrauimus Balneum, & sudore calefacti momento temporis ad frigidam eximus:* ea verba nos arbitramur de *Balnei*, secundùm *Fuchsium*, quartâ, secundùm

eundùm verò *Forestum*, *tertiá parte*, nimirum de *solio frigido* accipiẽdum esse, in quo quidem corpus prioribus *Balnei* partibus exhaustum, nimisque laxatum, calefactumque, refrigerabatur, densabatur, firmabaturque. *Græci* λουτρὸν vocabant, prout suprà de *Balnei* partibus vidimus. Hinc *Celsus libr.* I. *cap.* IV. *Veteres* (inquit) *post caldariam, in frigidariam cellam descendere solebant, vt corpus solidarent.* Et *Plinius lib.* V. *Epist.* VI. *In proximo* (ait) *puteus, ex quo posset rursus astringi, si pœniteat teporis.* Itemque *Seneca Epist.* LXXXIV. *Ab hac* (habet) *fatigatione in frigidam descendi.* Idem *Natur. quæst. lib.* IV. *Animo relictis frigidâ spargimus.* Rectiùs *Sidon. Apollinaris Carm.* IX. morem *frigidâ* lauandi vnà cum caussa & ratione allegat:

Intrate algentes post balnea torrida fluctus.
Vt solidet calidam frigore lympha cutem.

Ioan. Wouweremus in Animaduers. ad Petronium: Tres ædes (inquit) *seu cellæ in balneis: Prima est caldaria,* τὸ λακωνικὸν, *Vitruu. lib.* V. *cap.* X. *Dioni lib.* LIII. πυριατήριον. *Senec. sudatorium. Nam sicco calore in eo sudorem eliciebant. Secunda est media, quæ & Tepidaria. Tertia est frigida. Numergò Petronius à sudatoriis statim ad frigidam exiit, an potiùs prouocato tantum sudore frigidâ perfusus?*

Ex *Balneis* itaque olim prodeuntes *frigidâ*, vel *solio frigido*, id est, *tertiâ*, vel *quartâ parte Balnei* vtuntur, vt vniuersum corpus firment, ac robustius reddant, imò cutim densent, viresque ac habitum totius confortent. Quo similiter facit *Vnctio*, quæ administrabatur in vltima *Balnei* parte, post *frigidæ vsum*, sudoris sordiumque detersionem, quâ quidem pori cutis solidius occluduntur, corpus firmatur. Facit hæc optimè ad totius robur, calorem natiuum, humidumque radicale intùs conseruandum arctiùs. Quâ ratione *Medici* nostri eandem *balneandi, vngendiq;* methodum ægrotis præscribunt, præsertim *Tabescentibus, Hecticis, Phthisicisq;*, quo corpus humectetur, & calidũ humidumque radicale corroboretur, neq; magis colliquetur, aut diffluat, omnino conseruetur.

In summa itaque *Balnea* conducunt, cibo maximè priore digesto, *ante cœnam* iuxtà veterum consuetudinem quatuor modis potissimùm: I. *ratione humectationis.* II. *vi sudorificâ.* III. *ope detersoriâ.* IV. denique *efficaciâ corpus reficiendi, confortandiq;*.

Caput XII.

N*iuium & glaciei* vsus apud antiquos pro vinis refrigerandis. Hodie *Teutones* nostri familiari adhùc sermone *vinum gelidum* commendant, Kühlen Wein vocantes. *Neronis* inuento *Niues* decoquebantur ad eandem intentionem. Eodem spectabant *Niuaria colatoria*, per quæ vinum transfiniebatur; itemque *Saccus niuarius* & *Lagena niuaria*. *Massilienses* fumis siue *fumariis* vinum adulterabant. Hodie *Itali* vinum in æstate potant glacie refrigeratum familiariter. Quem morem in *Mediolanensibus* suis reprehendit *Io. Bapt. Syluaticus* Medicus, sicut *Galenus* olim in *Romanis*. Morbetum enim facilè sylua indè fugit. Interim à non-nullis frigidæ eiusmodi potus admittitur sub certis conditionibus. *Manuum lotio* antè mensam olim, sicut nunc, recepta. Modus lauandi manus diuersus apud veteres. *Pedes* quoque tàm apud *gentiles* quàm *Hebræos* antè cœnam lauabantur. Vtebantur autem *aquâ niuatâ* ad manuum lotionem, & cur? Dantur animalia, quæ ex *niue* generantur, in eademque viuunt. Vt niuata ista lotio eò minus impugnanda veniat.

IAG. 13. legimus: *Tandem discubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manûs niuatam infundentibus.*

Quæritur: *In quem vsum veteres Aquâ Niuatâ manus lauârint?*

Resp.

Resp. Post *Balnea*, tanquam lotionem totius corporis vniuersalem, iam ad *Manuum lotionem*, tanquam particularem, commodè deuoluimur. *Balneis* autem tantùm non calidis, sed frigidis quoque veteres vsos fuisse, suprà prodidimus. Vt iam de manuum lotione frigidâ, & quidem *niuatâ*, controuerti eò minus possit. Quandoquidem *nimium* vsum vinorum inprimis *Niue*, *Glacieq;* refrigeratorum, apud priscos *Romanos* tritissimum fuisse in confesso est, idque factum opinor ob regionis illius æstum, ac feruorem, vnde potus facilimè intepescit, adeoque faucibus, ità redditus, ingratior existit, vel *Germanorum* etiam hac ætate testimonio perquàm familiari, qui (absit verbis inuidia!) Vini alioquin studiosissimi, nunquam nisi vini gelidi refrigeratique potum commendant, vulgò fühlen Wein/ appellantes, optantesque, quod vel in vinariis cauis, vel appositâ aquâ fontanâ gelidissimâ cum lagenis inditum, eo pacto refrigeratum, gelidumque factum sit, cùm eo modo, præsertim æstatis temporibus, maiori cum gratia appetentiaque abligurriatur. Apprimè eiusce moris conscius fuit, si quis alius, *Martialis, lib.* XIV. *Epigram.* qui, præter alia, non pauca de vinis & potibus niue refrigeratis habet:

Non potare niuem, sed aquam potare rigentem
De niue, commenta est ingeniosa sitis.

Solebant autem veteres aquâ niuatâ, vel è niuibus expressâ vina generosissima diluere, ad sitis ingenium, gulæque delicias: vel aquâ decoctâ & vitris in niues demissâ ad refrigerandum vti, id quod *Neronis* Principis inuentum fuisse perhibent *Io. Bapt. Syluaticus, in enarratione histor. Galeni medicinal. histor.* XI. & *Farnabius in Martial. lib.* V. *Epigr.* LXV. vbi Poëta ad ministros suos ità:

Sextantes, Caliste, duos infunde Falerni:
Tu super æstiuas, Alcime, funde niues.

Huius-modi inuentum *Neronis* fuisse, præter autores recentiores, diserte arguit *Plinius Natur. histor. libr.* XXXI. *cap.* III. *Neronis* (inquit) *Principis inuentum est, decoquere aquam, vitroq; demissam in niues refrigerare. Ità voluptas frigoris contingit sine vitiis niuis. Omnem itaque* (addit) *decoctam vtiliorem esse conuenit: item calefactam magis refrigerari, subtilissimo inuento.* Vt igitur aqua eo pacto, refrigerata licet, salubrior esset, à *Nerone* decoqui cœpit. Vnde adagium natum: COCTA NERONIS. Eundem morem inculcat *Plinius lib.* XIX. *cap.* IV. *Decoquunt* (inquit) *alias* (niues) *quas mox & illas hiemant.* Idem affirmat *Seneca: Multâ* (ait) *niue inclusam, vt frigore refrigeraretur alieno*: vel ex niue coctam. Quanquam *Athenaeus lib.* III. *Dipnosophist.* autor est, multis antè *Neronem* seculis, de sententia *Græcorum* veterum, potum niue refrigeratum fuisse.

Non solùm autem decoquebat luxuries veterum niues, sed eas etiam percolabat. Vndè *colum niuarium Pomponio in L. in argent.* Apud *Martialem* eius-modi *niuariorum colatoriorum* non vnica mentio excitatur, per quæ niuibus distenta transmittebantur vina optima, ad calorem mitigandum; vt est apud eundem *lib.* XIV. *Epigram.* CIII.

Setinos moneo nostra niue frange trientes:
Pauperiore mero tingere lina potes.

Id est: Optima & generosissima vina transmitte per *colum niuarium*, pauperiora verò & viliora attenua *sacco linteo*, quem *niuarium saccum* vocabant. De quo idem *Martial. libr. eod. Epigr.* CIV.

Attenuare niues norunt & lintea nostra:
Frigidior colo non salit vnda tuo.

Idem

Idem fermè habet de *Lagena niuaria*, vbi aquæ niuibus decoctæ (quod *Neronis* fuisse inuentum diximus) quoque meminit, *lib.* XIV. *Epigram.* CXVI.

Spoletina bibis, vel Marsis condita cellis;
Quò tibi decoctæ nobile frigus aquæ?

Pretiosior itaque erat hæc aqua è niuibus decocta, quam nobilem vocat, vt vilioribus vinis eam miscere non esset consultum, cùm carior ea propemodum ipso vino veniret. Quod nescio an verbis paulò luculentioribus expressit *Poëta ibid. Epigram.* CXIIX. sequentibus:

Massiliæ fumos miscere niualibus vndis
Parce puer, constet ne tibi pluris aqua.

Pro *Massiliæ* autem *fumis* intelligebant vinum fumo adulteratum. Erant siquidem priscis *fumaria* ad vinum adulterandum. Necnon vina apothecis condita superponebantur fumariis, vt præcocem maturitatem à fumi tepore traherent, vt autor est *Farnabius* in præfatum *Martialem*. Eum autem morem vina adulterandi *Massiliensibus* vsitatissimũ fuisse, ex sequenti quoque *Epigram.* XXXVI. *libr.* X. liquidò patet:

Improba Massiliæ quicquid fumaria cogunt,
Accipit ætatem quisquis ab igne cadus.

Massilienses olim vsque adeo deliciis effeminati fuerunt, vt *prouerbio* dici consueuerit: πλεύσειας εἰς τὴν Μασσαλίαν: id est: *Nauiges in Massiliam.* Tametsi alii dentur autores, qui potiùs *Adagium* in sensum contrarium detorqueant, atque id ipsum de seueritate potiùs *Massiliensium* interpretentur; sicut videre est apud *Desider. Erasmum Adagior. Chil.* II. *Cent.* III. XCVIII.

Cæterùm, ne longius extra institutum euagemur, *niuata* dicuntur, quæ sunt niuibus refrigerata. Hodiernâ adhûc tempestate *Italis* familiare est, vt vini potibus glacie ex Alpibus, aut aliunde aduectâ, in calicesque immissa refrigerium, ac faucibus gratam inundationem concilient. Quem morem *Mediolanensibus*, inter cæteros, admodum familiarem esse, præterquam quòd cuiuis illâc eunti adhûc-dum experiri licet, testatur eruditissimus Medicus, *Io. Bapt. Syluaticus, in enarratione historiarum Galeni medicinalium, historiâ* XI. *sequentibus: Irrepsit (ait) proximis annis in vrbe nostra, vini, æstatis tempore, niue refrigerandi, consuetudo ferè vniuersalis: pauci cùm sint, qui æris calore, eius-modi potùs refrigeratione non vtantur, existimantes, non sine maximo damno, posse illos ab ea abstinere. Ad id imò deuentum est intemperantiæ, vt frigidioribus etiam anni temporibus idem obseruent & diuites, & plebei multi.* Quam eandem noxiam consuetudinem *Galeni* itidem temporibus *Romæ* inprimis, vbi tum homines luxu diffluebant, inualuisse, testis est historia *Galeni* ipsius *in libr. d. section. venæ contra Erisistratum, cap.* III. vbi mulieres, inter alia, *Romanas*, aquam niue refrigeratam potantes in sanguinis menstrui suppressionem incidisse meminit; cuius aliàs suppressionis elegans remedium venæ sectionem esse docet, reprehendens *Erasistratum*, quod *Chiensi* puellæ menstruorum suppressione laboranti, atque exin febricitanti, sanguinemque spuenti, tàm auxiliare remedium, venæ sectionem scil. non adhibuisset. Ex morbis autem ex potu niue refrigerato frequentissimè in *Mulieribus* accidere narrat *Mensium obstructiones*, atque ex his *sanguinis sputa, pleuritides, peripneumonias, synanches, mortem imò repentinam*, extinctionemque subitaneam: Cuius subitæ, violentæque extinctionis ex potu maximè refrigerato complura exempla recenset prædictus *Syluaticus* ex *Paulo Iouio, Iulio Cæs. Scaligero contrà Cardanum, Amato Lu-*

sitano, &c. *in enarratione histor.* XI. *medicinal. Galeni*, prout ibidem caussas quoque huius rei disertissimas inuenire est *pag. mihi* XXXV. XXXVI.

Marcellus Donatus quoque, Medicus Italus celeberrimus, *histor. Medic. mirabil. libr.* IV. *cap.* VI. postquam recensuit, complures potu frigidæ extinctos esse, *Nicol. Monardem* refutat, qui *Hispanico idiomate* libellum edidit, quò poculis niue aut glacie refrigeratis vtendum suadet. Quanquam idem *Marcellus* nihil minus concedat, isthoc, *Hispanis* præsertim, sicut *Scythis*, familiare esse, qui, ob assuetudinem, frigida, glacieque ac niue refrigerata pocula bibant innoxiè. Sic autem præfatus *Marcellus* paulò antè in potiones glacie refrigeratas inuehitur: *Quare* (inquit) *non possum me ipsum temperare, quin in illos maximè inuehar, qui æstiuo tempore, quando magis æstuant corpora, frigidissimas potiones glacie & niue paratas summis laudibus indistinctè extollunt, proficuasq; hominibus prædicant. Audiant, quæso, isti Galenum scribentem lib. de vena sect. aduers. Erasistrateos cap.* III. *Romæ suâ tempestate contigisse, cùm vulgò mulieres aquam frigidissimam ex niue potarent, vt aut nullo pacto, aut diminutè purgarentur, quæ venæ sectione à Medicis seruatæ fuerunt, quò minus neq; sanguinem spuerent, neque laterali inflammatione aut pulmonis, aut synanche caperentur.*

Rectissimè autem in eo sanitati prospexit *Nero Imp.* dum potum, non quidem niue aut glacie ipsâ, quæ frigidissima, ideoque etiam humanis corporibus noxia est, sed aqua niuatâ prius decoctâ, refrigerauit, vt valetudini eo minus incommodaret, sanè inuento, vt *Plinius* perhibet, subtilissimo. Eius-modi artificiosæ refrigerationis, atque refrigeratæ arte potionis commeminit, inter cæteros, quoque ex *Galeno* atque *Athenæo*, *Anton. Mizaldus*, *memorabil. Centur.* IV. *Aphor.* LXXXIX. *Ne vlla* (refert) *potandi illecebra antiquis deesset, aquam hàc industriâ infrigidabant. Testaceis vasis sub aprico Solis æstu interdiu illam calefaciebant, aut igni excoquebant, noctu verò in altioribus ædium fenestris frigori ætheris exponebant, & manè antè Solis exortum subductâ fæce, puriorem eius partem, vt salubriorem, in fictilibus hydriis, prius aquâ frigidâ immersis, & pampineis foliis, vel lactuca coopertis, ad vsum sub paleis reponebant.* Hæc ille.

Interim nihilo-minus ipse *Syluaticus*, loco suprà allegato, frigidæ potum, sed moderatè sumptum, ex *Galeni* mente penitus haud damnat, quin imò vtilem potius esse pronunciat, certis tamen sub conditionibus:

I. Vt fiat id ipsum in regione, & tempore calidis.

II. Vt ineatur ab his, qui quidem vel naturâ, vel ex motu corporis calidissimi esse solent.

III. Vt vsus eius sit moderatus.

IV. Vt homo frigidæ sit appetens.

V. Vt denique ventriculo sit præditus firmiori.

P. Bellonius obseruat. admirabil. lib. III. *cap.* XXII. in *Mysia, Paphlagia*, inprimis *Turcia*, niuem ac glaciem diligenter hyeme asseruari, tradit, quam æstate venalem exponant, ad potiones refrigerandas. Frequentissimum autem *niuis* conseruandæ modum *Turcis*, quo familiarissimè vtantur, ità depingit ibidem: *Cæterùm* (inquit) *Asiatici ab omni antiquitate niuem conseruarunt, quâ æstate vterentur: similemq; vsum apud Romanos etiam fuisse receptum, multis Galeni locis probari potest: præsertim in præfatione libri, quem Methodum medendi inscripsit: ex ea enim liquet niuis vsum fuisse ipsius tempore Romæ tam frequentem, quàm nunc sit apud Turcas. Carol. Clusius* addit, *Hispanos* quoque *niuibus* & *glacie* vsitatissimè vti, nō modò per summos æstatis ardores, sed etiam mediâ hyeme. Idem apud *Vngaros glaciei* vsum

æstate

æstate adeo frequentem esse asserit, vt etiam vilissimi rustici in pagis eam asseruent. *Bohemos* verò, ait, *glaciem* in cellas cereuisiarias hyeme prouoluere, vt æstate cereuisiam ne acescat, diutius conseruent. Quid? quòd compertum habeam à Magnifico & literatissimo viro, quotannis in Aula Cæsarea Imperatoris Romani tantos fieri sumptus in niuem atque glaciem, vt vix auri rhonna, vt dicunt, sufficiat illis.

Hæc obiter de potu niue refrigerato, atque glacie, tàm veteribus, quàm modernis perquàm vsitato. E quibus facilè euincitur, in regionibus calidis niuis atque glaciei vsum in multis rebus celebrem nec minus familiarem existere: vt *aquam niuatam* manibus ante mensam quoque administratam fuisse minus dubium aut intricatum videri debeat. Erat siquidem priscis in vsu ante mensam lauatio, sicut cap. praecedenti de *Balneis* subintulimus. Veteres (nisi in *balneo* prius fuissent) lauabant in ipso conuiuio quoque pedes. Hodie manus tantum-modo lauamus. *Pharisæi* manus suas ad cubitum vsque lauabant: prout quidam super *Euangel. Marc. cap.* VII. exponunt. Neque tantum ante anticænium, & promulsidem, sed etiam per singulos missus, vt vocant, manus abluebant. De modo autem præbendi aquam conuiuis ità sentit *Flaccus Satyr.* IV.

E quibus vnus auet quauis aspergere cunctos,
Præter eum, qui præbet aquam, post hunc quoque potus,
Condita cum verax aperit præcordia Liber.

Quo ex loco colligunt interpretes, ipsum hospitem, aut conuiuatorem aquas præbuisse conuiuaturis. Penes *Hebræos* enim satis euidens est, hospitis officium fuisse, vt is præberet aquam pro pedibus eorum lauandis, quos hospitio tectoque excepisset. Sic *Abrahamus* & *Lothus* (vt superiùs de *Balneis* disputauimus) hospitibus ad lauandos pedes aquam ministrârunt. Sic SERVATOR humani generis Dominus noster CHRISTVS, Apostolis, tanquam dilectis hospitibus ac conuiuis, tantùm non aquam ad pedes lauandos præbuit, sed ipse manu sua lauauit. Quid? quòd ea consuetudo apud Iudæos in tantum recepta atque vsitata fuerit, vt ipsemet etiam SERVATOR *Simoni* obiecerit, quòd intermissis videlicet officiis hospitalibus, aquam pedibus suis non dedisset.

P. Nannius tàm religiosos olim gentiles in excipiendis hospitibus fuisse arguit, vt etiam Regum filiabus honestum fuerit hospites in balneis lauare. Sic autem in *Miscellan. libr.* IV *.cap.* II. *Certè olim* (inquit) *insignem fuisse apud gentiles pietatem in hospitibus excipiendis vel inde patet, quòd honestum fit habitum, si filiæ Regum hospites in balneis lauarent, vt non vno loco apud Homerum inuenias.* PETRONIVS noster *pueros Alexandrinos* aquam manibus infudisse astruit. Hodie quoque pueri in familiis benè constitutis aquam ministrant, & in aulis Principum nobiles iuuenes id muneris personis illustribus lauandis exsequuntur.

Quantum verò ad modum lauandi manus attinet, is etiam non simplex atque vnicus fuisse perhibetur. *Münsterus Annotat. in Deuter. cap.* VIII. *ex Hebræo centum Benedictionum libro: Tradunt* (inquit) *manus primum abluendas & tergendas, alioquin panis, qui comeditur, immundus iudicatur.* Et deinceps de modo aquam fundendi subnectit: *Fundenda est aqua tribus vicibus super manus: in prima fusione sunt digiti sursum leuandi, in posterioribus demittendi sunt, manus simul lauandæ, non vna post alteram. Denique opus est, vt in ablutione manuum.*

nuum, sinistra tanquam famula, subseruiat dextra. Et sic modus quoque manûs lauandi traditur.

Pedes insuper conuiuaturis apud gentiles lauatos fuisse, indicant sequentia apud PETRONIVM nostrum in eodem contextu: *Tandem ergò* (inquit) *discubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus niuatam infundentibus, aliiq; insequentibus ad pedes, ac paronychia cum ingenti subtilitate tollentibus.*

Cùm igitur veteres illi *Romani*, *Neronis* maximè temporibus, luxu, luxutiâque multiplici abundarent, varia voluptatum non tàm in potus, atque esculentorum, quàm Veneris deliciis genera commenti sunt, vt animos libidinibus æstuantes variis blandimentis demulcerent, tum corpora quoque ipsa extrinsecus aëris cœlique calore exhausta variis ingeniosè excogitatis refrigeriis delenirent, refocillarentque. Sic *Neronem Imp.* quoque, æstatis tempore, piscinis niuatis membra fouisse, lauasseque, ex *Suetonio* liquet, qui sic in *Neronem*: *Refotus* (tradit) *sæpius calidis piscinis, ac tempore æstiuo niuatis.* Apud *Martialem* quoque legimus, de *Sabello* natalem celebrante, in more positum tum fuisse, vt præter conuiuium, vinis niue refrigeratis, mensisque curiosè oneratis, discumbentes nudis pedibus pauimentum marmoreum calcârint totâ (vt canit) cœnâ. Sed ipsa verba rem faciunt clariorem:

Natali pallere suo ne calda Sabello
Desit, & vt liquidum potet Alauda merum.
Turbida sollicito transmittere Cæcuba sacco,
Atque inter mensas ire redire suas.
Excipere hos illos, & totâ surgere cœnâ
Marmora calcantem frigidiora gelu.

Quòd igitur veteres *Aquâ niuatâ* manus ante Cœnam lauarint, nihil mirum fuerit, cum etiam ad arcendos, demulcendosque calores æstiuos, vino, aquâque niuata in potu vsi sint familiariter, imò etiam in *piscinis niuatis* æstiuo tempore corpora immerserint tota, atque lauarint, prout *Suetonius de Nerone* commemorat. Nos hodie quoque gelidâ vtimur pro lauandis manibus, præsertim cœlo feruidiori, (Hyeme enim calida quidam vti norunt) ad demulcendum æstum, detergendas sordes, sudoresque, membra denique æstu ac squalore diffluentia roboranda, porosque cutis confirmandos, ne sudoribus pateant nimis.

Quid? quòd in ipsa niue *calorem* quoque aliquem esse rectissimè arguit doctissimus Medicus, *Marsilius Cagnatus Variar. obseruat. lib. 1. cap.* XXIII. vbi, secundum mentem *Aristotelis*, disputat tàm in *Niue*, quàm in *Igne* animalia certa generari, ac viuere. Cùm enim iuxta *Aristotelem libr. V. de generat. animal.* nullum humidum sit absq; calore, & *lib. 1. Meteor.* idem asserat, niuem esse nubem congelatam, in nube autē multum inest calidi, & *lib. V. de gener. animal.* albedo, qualē nix præsertim habet, dicatur ex aëre esse, aër verò est calidus & humidus, imò, secundùm *Auerrhoem* denique *lib. IV. Meteor.* nulla res, quæ quidem ex elementis concreta est, calore careat, sequitur niuem calore suo minimè destitui, nec ab eo longè abesse. Id quod generatio animaliū luculentius demonstrat, qualia ex niue proueniunt. Nascuntur autem in niue vetusta, & rubra *vermiculi* rubri atque hirsuti: in niue tepida magni, atque candidi. Sic in igne viuit *Salamandra*, in Cypriis fornacibus gignitur *pyrausta*. Vt autem veriora appareant, quæ de vermiculorum

ex niue

ex niue generatione diximus, ipsos fontes adeamus. *Aristoteles* præcipuè *lib.* v. *de histor. animal.* disertè, in iis etiam, quæ putredini minimè sunt obnoxia, sicut in *igne*, & *niue*, nasci animalia prodidit sequentibus: *Etenim* (inquit) *in his, quæ videntur maximè posse non putrefieri, animalia nascuntur: quemadmodum niue in vetusta vermes. Fit autem vetusta rubens, propterea & vermes huiuscemodi, atq; hirsuti. Qui verò fiunt ex niue, quæ in tepore inuenitur, magni sunt, & albi: cuncti verò difficulter mouentur. At in Cypro, vbi Chalcites lapis comburitur, cum diebus multis iniiciunt, ibi nascuntur feræ in igne paulo muscis grandioribus maiores, pennatæ, quæ per ignem ambulant, ac saliunt. Moriuntur autem & vermes, & hæ separatæ, hæ quidem ab igne, illi verò à niue.* Idem affirmat *Plinius libr. natur. histor.* XI. *cap.* XXXV. *Rursus* (inquit) *alia genera culicum acescens natura gignit, quippe cum & in niue candidi reperiantur, & vetustiore vermiculi: in media quidem altitudine retuli (nam & ipsa nix vetustate rubescit) hirti pilis, grandiores, torpentesq;.* Et in Capite sequenti: *Gignit aliqua, & contrarium naturæ elementum, siquidem in Cypri ærariis fornacibus ex medio igni maioris muscæ magnitudine volat pennatum quadrupes; appellatur pyralis, à quibusdam pyrausta: quamdiu est, in igne viuit, cum euasit longiore paulò volatu emoritur.*

Non dissimilia sentit à præcedentibus *Strabo libr.* XI. *Geograph.* in his verbis: *In niue autem* (inquit) *glebas congelascere aiunt concauas optimam continentes aquam, tanquam in tunica, & animalia in ipsa niue generari (vocat autem Apollonides vermes, Theophanes verò oripas) & his optimam contineri aquam, ruptis autem tunicis ebibi. Huius-modi verò animalium generationem assimilare culicum ortui, qui ex metallorum flamma, bracteaq; nascuntur.* Qui plura hanc in sententiam desiderat, adeat *Marsil. Cagnatum variar. obseru. libr.* I. *cap.* XXIII.

Quod si ergò tantus sit *niuium* vsus non tantum in vinis & potibus, æstiuo tempore, refrigerandis, verum etiam ab *Aristotele, Plinio,* & *Strabone,* autoribus grauissimis, *niues* eo nomine insuper commendentur, vt viua animalia, vermiculos scilicet, producere & generare aptæ sint, eò quod non omni prorsus calore, (sine cuius beneficio generatio alioquin nulla fieri sustinet) destituantur; ecquis vlterius tantoperè dubitabit, *aquam niuatam* manibus affusam, atque à veteribus, non absque ratione, adhibitam fuisse, cum æstiuo tempore feruorem æstumque maximè emendet, squalorem cutis tollat, & vniuersum penè habitum, abundè refrigeret? Vt nihil de eo dicamus, è *niuibus* quoque destillatione aquam elici, quæ ad non paucos corporis humani affectus præsertim acutos, atque igneos, vsurpari consueuit.

Caput XIII.

OLiuas nigras dari, præter flauas, autor non vnus astruit: quanquam ea species minoris censeatur. Oliuarum, secundum *Columellam*, genera decem. *Oliuæ*, vel *Oleæ* genera secundum neotericos. *Amurca* olei fex Eius facultates. *Oleæ* & *Quercus* inimicitia. *Oleæ* & *Myrti* amicitia. *Olearum* optimæ quænam? *Capræ* morsus *Oleam* sterilem efficit. *Oliuæ* inuentio à *Poëtis* Mineruæ ascribitur, itemque *Aristæo*. *Oliuam ne comedas, adagio* quid notet? *Oliua* olim symbolum pacis erat. Vbi de explicatione *Des. Erasmi* dubitatur.

PAg. 13. ità textus *Petronianus* loquitur: *Habebat Oliuas in altera parte Albas, in altera Nigras.*

Quæritur; *An Oliuæ etiam dentur Nigræ apud Medicos?*

℞. Præter *flauas*, aut *albas*, *oliuas* quoque *Nigras* dari, quanquam eæ ratio-

res forsan, minusque sint præstantes, testantur *Medici*, atque rei rusticæ scriptores graues & vetusti. Inprimis *M. Varro libr. I. de re rust. cap. LXVI. Oleas albas* (inquit) *quas condire vis, nouas, sic celeriter condito, vt promas. nisi condieris, propter amaritudinem illas respuit palatum. Item Nigras, nisi prius eas sale maceraris, non libenter in os recipientur.* Hæc *Varro. Palladius* similiter, rei rusticæ scriptor vetustus, *libro XII.* quem *Nouembrem* inscribit, *oliuarum Nigrarum* huscе meminit, *cap. XXII. de condiendis oliuis: Legis* (ait) *oliuas ex arbore Nigras, & compositas muria diluis: tunc ollæ adiicis mellis partes duas, vini vnam, defruti dimidiam: & vbi simul deferbuerint, deponis ac promoues, & acetum misces: cum refrixerit, super oliuas origani surculos sternis, & supra ius omne diffundes.* Apud *Columellam* quoque integrum *caput XLVIII. libr. XII. de re rust.* inuenio de *Nigra oliua* conditura.: *Prius itaque* (tradit) *de conditura oliuarum præcipiemus, ac statim conficiendi olei rationem subiiciemus. Pausiæ baccæ, vel orbitæ nonnullis regionibus etiam nauia conuiuiorum epulis præparantur. Has igitur, cum iam ingruerint, nec adhuc tamen permaturæ fuerint, sereno cælo distinguere manu conuenit, lectaque cribrare, & secernere, quæcunque maculosæ, seu vitiosæ, minorisue incrementi videbuntur* &c. & quæ toto illo capite sequuntur. Quibus astipulatur *Dioscorides*, *Botanologorum* princeps *libr. I. de mater. med. cap. CXXXIX. de oliuis Colymbadibus: Est porrò* (refert) *oliua subfulua ac recens, aluo incommoda, sed stomacho vtilis. Nigra verò & matura corruptioni opportuna, stomachoq; aduersa est, ac tum oculis minime conuenit, tum capitis etiam dolores inducit. Torrefacta autem ac illita, nomas sistit, & carbunculos emarginat.*

Cæterum *Columella, de re rust. libr. V. cap. VII. decem genera Oliuarum* præcipuè commemorat: *Olearum*, (scribit) *sicut vitium, plura genera esse arbitror, sed in meam notitiam decem modo peruenerunt: Pausia, Algiana, Liciniana, Sergia, Neuia, Culminia, Orchis, Regia, Circites, Murtea. E quibus bacca iucundissima est Pausiæ, speciosissima est Regiæ, quæ potius escæ, quam oleo est idonea. Pausia tamen oleum, saporis egregii, dum viride est, vetustate corrumpitur. Orchis quoque & radius melius ad escam, quàm in liquorem stringitur. Oleum optimum Licinia dat, plurimum Sergia: omnisque olea, & maior ferè ad escam, & minor oleo est aptior. Plinius histor. natur. libr. XV. cap. III.* tres *oliuarum* differentias ponit, aitque, dum *oleum* in *amurcum* transit, tum nigrescere, vbi *nigrities* falsò existimetur initium maturitatis, cum vitii sit indicium. *Augetur* (inquit) *oleum ab Arcturi exortu XVI. Calendas Octobris: postcà nuclei increscunt, & caro. Cum sitienti imbres copiosi accessere, vitiatur oleum in amurcam. Huius color oliuam cogit nigrescere. Ideoque incipiente nigritia minimum amurcæ, ante eam nihil. Et error hominum falsus, existimantium maturitatis initium, quod est vitii proximum.*

Idem *Plinius* paulò post circa finem *oliuarum purpurearum* insuper mentionem aspergit: *Purpureæ* (inquit) *sunt & in iis, vt vuis in nigrum colorem transeuntibus pausiæ.* Et denique: *Nec tàm numerosa differentia: tribus vt plurimum bonitatibus distat. Odor in tenui argutior, & is tamen etiam in optimo breuis.*

Dioscorides libr. I. cap. CXXXVII. VIII. & IX. in summa meminit *oleastri*, siue *oleæ syluestris*, quam non-nulli *oleam Æthiopicam* vocant, & *olea satiua*, itemque *oliuarum colymbadum.*

Matthiolus in herbario *capit. LVII.* duo genera *olearum* asserit, quorum alterum *satiuum*, alterum *syluestre*. *Satiuum* rursus in tres differentias distingui autor est. Eo loci *oleam Bohemicam*, quam *Eleaagnum Theophrasti* appellat, depictam describit, vt videre est prolixè loco allegato.

Quod

Quod ad *Amurcam* spectat, in quam facilè *oleum* degenerat, eam oliuæ expressæ veluti fecem ac crassamentum esse perhibet *Dioscorides lib. 1. cap.* CXXXIV. Prędicat autem ad *dentium dolores*, & *vulnera*, cum *aceto*, *vino*, aut *mulso* illitam. Eandem *ophthalmicis* remediis addit, itemque in *sedis*, *genitalium*, & *vuluæ exulceratione* vtiliter infundit. Insuper eadem *Dentes corruptos* extrahit, *scabiemq; iumentorum* sanat. Imò etiam crudam ac recentem *podagricis* atque *arthriticis* per fotum cum commodo applicat. Deniquè etiam velleri inductam, *hydropicisq;* impositam, tumoris molem reprimere tradit: vt videre est penes eundem *Dioscor.*

Prætereà *Columella libr. 1. d. arboribus, cap.* XVII. sequentia de *oliuarum optimis* aspergit: *Optima est* (inquit) *olea Liciniana; Pausia secunda oleo, escæ Orchis. Sunt & Regiæ, & Radii, quæ neque specie, neque oleo sunt tàm gratæ, quam quas suprà diximus.*

Idem de *olea* & *Quercus antipathia* hæc adiicit: *Si oleam posueris eo loco, vndè quercus effossa est, morietur: ideo quod vermes quidam sunt, qui in radice quercus nascuntur, & educantur, iiq; maximè feminæ oleæ consumunt: si in olea vnus ramus aliquando cæteris lætior est, nisi eum recideris, arbor tota fiet retorrida.*

Quo facit illud *Matthioli* dicentis: *Inter Oleam & Quercum tanta est tamq; singularis antipathia, ità, vt si vnà consistant, alterutra oppido intereat.*

Contrarium de *Oleæ* & *Myrti* amicitia, vel sympathia, affert *Anton. Mizaldus memorabil. Centur. 1. aph.* XLVII. *Indiuisibilis* (tradit) *est familiaritas inter Oleam & Myrtum. Nam, vt refert Androcius, Myrti brachia, virgultaque iucundè per oleam repunt, ac ambarum radices mutuo amplexu amicè sociantur. Nec alia planta, præter Myrtum, iuxtà oleam perbellè surgit.*

Palladius libr. XIV. *de insitionibus*, *oliuæ* his versiculis meminit:

Robora Palladii decorat syluestria rami;
Nobilitat partus bacca superba feros.
Fœcundat sterilis pingues Oleaster oliuas,
Et quæ non nouit munera ferre, docet.

Apud autores alioquin *Oliua* tantum non pro *fructu*, sed pro ipsa etiam *arbore* accipitur. Sic, *maximus Poëtarum, Maro, lib.* V. *Æneid.*

——— Tres præmia primi
Accipient, flauaq; caput nectentur oliuâ.

Vbi quidem *oliua*, alias fructus, pro ipsa arbore, id est, *olea* sumitur.

Capræ morsus fertur *oleam* sterilem efficere. De quo *Plinius natur. histor. libr.* XV. *cap.* LXXXII. *Oleam* (inquit) *si lambendo capra lingua contigerit, depaueritque, primo germinatu sterilescere autor est M. Varro. Poëtæ oleæ*, vel *oliuæ*, inuentionem tribuunt *Mineruæ*. Vndè *Virgilius libr. 1. Georg.*

Adsis ô Tegeæ fauens, oleæq; Minerua
— Inuentrix!

Ciceroni quoque *libr.* II. *de nat. Deor. Aristæus* inuentor *oliuæ* habetur: *Quid* (inquit) *Aristæus, qui inuentor oliuæ dicitur, Apollinis filius,* &c.

Non de nihilo videtur esse adagium, quod penes *Erasmum Roter.* legitur *Chil.* IV. *Cent.* VII. XXIX. *Oliuam ne comedas. Chrysippus* enim apud *Athenæum libr.* X. in opere περὶ τῶν καλῶν, autor est: μήποτ' ἐλαίαν ἔσθιε ἀκαλήφην ἔχων χειμῶνος ὥρᾳ: Id est: *Ne quando comederis oleam, cum habeas vrticam hyberno tempore.*

Quodl

Quod quidem ſic interpretatur *Deſ. Eraſmus: Vrtica* (inquit) *calida eſt, ſed minoris conſtat, quam oleum. Subindicat autem æſtiuis menſibus nec oleo, nec vrtica opus eſſe. Nec vſum adagii video, niſi ſi quando ſignificabimus extremam victus parſimoniam, vt nec vrtica quicquam adhibeatur condimenti.* Quæ quidem nobis, quoad *Athenæi* illud, facilè eo ſenſu accipi poſſe videntur, quo *Eraſmus* colligit, interim per adagium ipſum aliud quidpiam intelligi debere ex ſtimantes. Cum enim apud veteres interdictum fuerit, ne quis *Oleam* aut ſtringeret, aut verberaret, dubio procul, certæ cuiuſdam religionis cauſsâ, quâ *Olea*, tanquàm *Mineruæ* dicata, ac pacis ſymbolum habita, ſacra putabatur, enunciatum quoque illud putamus, ne quis *oliuam*, tanquam rem tàm ſanctam comederet. Res ſiquidem ſacris vſibus deſtinatas ſi quis comedere auſus ſit, facilimè infamat. Suggerit nobis hanc ſuſpicionem *Plinius libr. hiſtor. natur.* XV. *cap.* III. *Quippe* (inquit) *oliuantibus lex antiquiſsima fuit: Oleam ne ſtringito, neue verberato. Qui cautiſsimè agunt, harundine leui ictu, nec aduerſos percutiunt ramos. Sic quoq; alternare fructus cogitur decurſis germinibus.* Et profectò, ne quis tantoperè dubitet, *Olea* apud antiquiſſimos maximè ſacra extitit, cuius ramus & folia pro pacis ſymbolo venerunt. In ſacris enim *Geneſ. cap.* VIII. legimus, poſt diluuium, columbam à *Noa* ex arca emiſſam ramulum *oliuæ* in ore attuliſſe, tanquam pacis ſuper terram inter DEVM & homines futuræ atq; indictæ ſymbolum. Sic apud gentiles in *Olympia* victores olim *corona ex olea* coronabantur, poſtquam ſuper hoſtibus deuictis triumphantes pacem reſtaurarent. Idem confirmat *Plinius cap.* IV. *libr.* XV. *Olea* (inquit) *honorem Romana maieſtas magnum præbuit, turmas equitum Idibus Iuliis ex ea coronando: item minoribus triumphis ouantes. Athenæ quoq; victores olea coronant, Græci verò oleaſtro Olympiæ.* Idem ſcribit *Alexander ab Alexandro, lib.* III. *cap.* III. *Athenienſium* duces ad bellum profecturos fronde ex *olea* ſacra ſumpta coronari ſolitos. Et *Quintus Fabius Rutilianus* Equites Romanos equis inſidentes, & *olea* coronatos, *Idibus Quintilibus ab æde Honoris* in *Capitolium* tranſire, ac tranſuehi ſtatuebat, ordinis eius recognoſcendi & probandi gratiâ: vt inter alios, autor eſt *Iacob. Dalechampius, Plinii Scholiaſtes*, vt de iis, quæ ſuper illius *Adagii* expoſitione aſperſimus, dubitari tantopere non debeat, ſcil. interdictum fuiſſe, ne quis *Oliuam*, tanquam rem ſactam, comederet, paciſque (quæ meritò res ſacetrima) ſymbolam eſu infamaret, ſicut ex *Plinio* allegauimus; vetitum ſimul fuiſſe, *oliuam*, ne quis inter colligendum, aut vindemiam, ſtringeret, verberaretque.

Caput XIV.

GLires adeò in deliciis veteribus fuerunt, vt in cenſoriis legibus eorum vſus, tanquam voluptuarius, fuerit interdictus. Dicuntur autem à *gliſcendo*, id eſt, pingueſcendo. Hinc *gliſceræ menſæ* accipiuntur pro epulis pinguibus atque lautis. *Glirium* pietas in parentes ſenectute confectos. Saginantur potiſſimum glandibus, itemque caſtaneis. Hinc *Gliraria* olim, ſeu caueæ, *Gliribus* ſaginandis in vſu. Eorundem deſcriptio è *Varrone*. Iidem *Glires & Sorices* ædificiorum ruinas inſtantes præſagiunt: vndè animalia vaticinandi perita *Æliano* dicuntur.

IBidem *pag.* 13. extat: *Glires Melle ac Papauere ſparſos.*

Quæritur: *Num Glires in edulio & deliciis?*

Reſp. Etſi quidem ſuperius *cap.* II. huius libri ex inſtituto & prolixiuſculè hanc eandem materiam, ſuper *Glirium* vſu, eſuque tractauerimus, quò amicum Lectorem, amandamus; nihilo-ſecius tamen, cum pauca, quæ-

dam

dam insuper occurrant, quæ huncce locum non obiter illustrare satagant, nihil aut parum nocuerit, succinctam velut quandam antedictorum instituere recapitulationem. *Glires* autem olim priscos penes *Romanos* vsque eò in deliciis, ac voluptuariis cibis fuisse, vt peregrinis, sumptuosissimisque ciborum generibus annumerarentur, præferrenturque: vel tantum illud indicat, quod à *M. Scauro Principe, Consule Rom.* eorum vsus, velut delicatius, interdictus, atque in legibus sumptuariis, vel censoriis, prout vocant, in epulis prohibitus legatur. Id quod mehercle aliâs nimimè gentium factum fuisset, si ex vulgaribus eduliorum generibus constitisset. Qua de re *Plinius libr.* VIII. *histor. natur. cap.* LVII. *Sorices* (inquit) *& ipsos hyeme condi, autor est Nigidius, sicut Glires, quos Censoriæ leges, princepsque M. Scaurus in Consulatu non alio modo cœnis ademere, quàm conchilia, aut ex alio orbe conuectas aues.* Ex quibus *Glires* vsque eò in pretio fuisse euidens fit, vt etiam conchiliis atque auibus peregrinis non cesserint. De eorundem autem naturâ, atque ergà parentes pietate, ([illegible] vocant) porrò sequentia adiicit: *Semiferum & ipsum animal, cui viuaria in doliis idem qui aprus instituit. Qua in re notatum, non congregari, nisi populares eiusdem syluæ: & si misceantur alienigenæ, amne vel monte discreti, interire dimicando. Genitores suos fessos senecta, alunt insigni pietate. Senium finitur hyberna quiete. Conditi enim & hi cubant, rursus Aestate iuuenescunt, simili & nitelis* (id est, nitedulis, vel paruis muribus subterraneis) quiete.

Dicuntur verò *Glires* à *gliscendo*. *Gliscere* autem nihil aliud est, quàm augeri, crescere, inprimis pinguescere. Pinguescere igitur velut proprium est *Gliribus*; saginari enim olim *Glires* solebant, vt eò citius rectiusque pingues redderentur. *Columella* quoque vocabulo *pergliscere*, illius composito, vtitur. Sic enim *libr.* IIX. *Quæ prima* (inquit) *Luna saginari cœpit, vigesima pergliscit. Pergliscere*, vt interpretantur, est crescendi pinguescendique finem facere, vel accipere. Huc pertinent *Gliscera mensæ*, ità dictæ, quod pingues, lautæ, opiparæ, atque crescentibus epularum ferculis refertæ sint: quæ itidem à *Gliscendo* nomen mutuant. *Adr. Turnebus in aduersar.* particulam quandam suis *Glis*ces vocatam esse asserit, quæ erat in eduliis non contemnendis. Hinc *Næuius*: *Præcisum* (ait) *ne masum, pernam, callum, gliscem, glandia.*

Veteres porrò *Glires* fagina glande, iuglandibus, atque castaneis saginabant: teste *Plinio lib.* XVI. *cap.* VI. *Fagi* (inquit) *glans muribus gratissima est, & ideò animalis eius vnà prouentus Glires quoque saginat. M. Varro* inprimis autor est, *Glires* de industria glandibus, iuglandibus, ac castaneis fuisse saginatos, eamque in rem olim *Gliraria* certa veteribus, seu domunculas, ac caueas, in quibus *Glires* asseruati pinguiores euaderent, fabrefactas. Sic autem *libr.* III. *de re rust. cap.* XV. *Gliraria*, siue caueas, in quibus *Glires* saginantur, describit: *Glirarium* (inquit) *autem dissimili ratione habetur, quod non aqua, sed maceria locus sepitur. Tota leui lapide, aut tectorio intrinsecus incrustatur, ne ex ea erepere possit. In eo arbusculas esse oportet, quæ ferant glandem: quæ cum fructum non ferunt, intrà maceriam iacere oportet glandem, & castaneam, vndè saturi fiant. Facere his caueas oportet laxiores, vbi pullos parere possint. Aquam oportet esse tenuem, quod ea non vtuntur multum, & aridum locum quærunt. Hi saginantur in doliis, quæ etiam in villis habent multi, quæ figuli faciunt multò aliter, atque alia, quod in lateribus eorum semitas faciunt, & cauum, vbi cibum constituant. In hoc dolium addunt glandem, aut nuces iuglandes, aut castaneam. Quibus in tenebris cum cumulatim positum est in doliis, fiunt pingues.*

Sunt, qui hoc loco pro *Gliribus Mures Alpinos* Murmelthier/ intelligant; sed frustrà.

strà. De quibus *Alpinis*, inquam, itemque *Ponticis* Meerschweinlein / nec non *Ægyptiacis*, obiter isthæc aspergit *Plinius lib.* VIII. *cap.* XXXVII. *Conduntur* (tradit) *hyeme & Pontici mures, hi duntaxat alibi: quorum palatum in gustu sagacissimum, autores quonam modo intellexerint, miror. Conduntur & Alpini, quibus magnitudo melium est: sed hi pabulo antè in specus conuecto, cum quidam narrent, alternos marem & feminam suprà se complexo fasce herbæ supinos, cauda mordicus apprehensa, inuicem detrahi ad specum: ideoque illo tempore detrito esse dorso. Sunt his pares & in Ægypto, similiterque residunt in clunes, & binis pedibus gradiuntur, prioribusque, vt manibus, vtuntur.*

Cæteroquin, cum suprà *cap.* II. de *Glirium* esu apud antiquos recepto plura hanc in rem probabiliter attulerimus, compendii gratiâ amicum lectorem eò remittimus.

Pro colophone, ad *Glirium* existimationem pertinere arbitramur, obseruatum esse à non nemine, *Sorices* atque *Glires* ædes ruinosas deserere, trimestri etiam spatio, antequam sint collapsuræ. Præsentiunt enim naturæ instinctu contignationem, atque ædium compagem sensim dissolui, illasque breui pessum ituras: sicut autores sunt *Plinius*, & *Leu. Lemnius*. De quibus eadem sentit *Ælianus libr.* I. *variar. histor. cap.* II. qui Animalia vaticinandi perita vocat, cuius verba sunt isthæc: *Sunt vero* (inquit) *etiam Mures inter animalia vaticinandi maximè perita censendi: Nam quum domus aliqua consenuit, & ruinam iam minatur, primi sentiunt, & relictis suis foraminibus & pristinis habitationibus, quantum contendere pedibus valent, fugiunt, aliudque domicilium quærunt.* Hactenus de *Gliribus*.

Caput XV.

MEdicina artium difficilima, atque amplissima. Variis disciplinis itemque linguis *Medicus* instructus esse debet. *Astronomia* quoque, *Cabalistica*, & *Magia Naturalis* cognitio *Medico* vtilis. *Cabala* idem quod *Philosophia Characteristica*. *Paracelsus* per characteras curat, aliquando etiam remedia à *Diabolo* petens. Eius æmulus *Henr. Corn. Agrippa*. *Annulos Magicos* faciendi modus ex *Agrippa*. Eorundem efficacia. *Annulorum* & curationis characteristicæ assertio ex *Rod. Goclenio Iun. Annulorum*, characterumque impugnatio ex Medicis Classicis. *Characterum* enim absque *Diaboli* ope, nulla vis, atque potestas. Differentia inter remedia *Magica* & *Superstitiosa*. Non omnia illicò quæ in Natura abscondita sunt, diabolica dicenda. Homo conditoris sui velut character. *Characteres, carmina*, ac *verba*, præsertim à digniori lingua prolata energiâ naturali non omninò destituuntur. Vana tamen & prodigiosa *Carminum* vis, secundum *Poëtas veteres*. Eius modi est *Q. Seren. Sammonici Abracadabra*, & alia id genus abominanda. Eius modi *Gygis annulus*: Cuius naturalis ratio aspergitur. Eius-modi *Neronis annulus* insuper fuisse censendus est, cuius PETRON. meminit. Adagium: *Per medium annulum trahendus es*. Ordo curationum & remediorum triplex: *Naturalis*, *Supernaturalis*, & *Prodigiosus*. *Amuleta* distinguuntur in naturalia & magica. *Annulorum* origo & gestatio taxatur *Plinio*. *Annuli aurei*, apud *Romanos*, patritios à plebeis discriminabant. Cur hodie *Annuli aurei* gestentur in digito penultimo manus sinistræ? Eius se *digiti, annularis* iccircò dicti, dignitas. Peculiaris Arteriæ à Corde ductus huic digito implantatus. Veteres *Medici* eodem digito potiones miscebant. Is digitus *arthritice doloris* non infestatur. Sed iisdem facilè viribus pollere *digitum quartum manus dextræ* suspicatur. Remedium contra *Narium hæmorrhagiam* facile & præsens, &c.

Pag. 13.

PAG. 13. in Satyrico PETRON. sequitur de *Nerone*: *Habebat etiam in minimo digito sinistræ manus annulum grandem subauratum, extremo verò articulo digiti sequentis minorem, vt mihi videbatur, totum aureum, sed plane ferreis velut stellis ferruminatum.*

¶ Quæritur: *Quid Medico sentiendum de signaturis, & sculpturis Planetarum, signorum Zodiaci, & aliarum stellarum?*

Resp. *Ars Medicinæ* tàm difficilis, magna, atque ampla existit, vt, si eiusce cognitio exquisita, & vero eruditoque *Medico* condigna fieri debeat, omnium reliquarum artium scientiarumque ad hanc meritò perceptio & doctrina requirantur. Eius etiam difficultatem atque magnitudinem ipse diuinus *Hippocrates*, *Medicorum princeps* omni seculo admirandus obstupuisse videtur, vt scriptum reliquerit *lib. 1. Aph. 1. Artem longam esse, vitam breuem: occasionem medendi momentaneam, & magni nihilo-minus momenti, experimentum periculosum, & iudicium denique difficile.* Quæ omnia arguunt insignem artis tum difficultatem, tum vastitatem, ad quam ritè percipiendam vnius hominis vita, etsi is Centenarium superare sustineat, nequicquam sufficit. Hinc *Auerrhoes* dicebat *VI. colliget. vnum fuisse tantum modo Medicum, scil. Auenzoarem, qui suo iudicio perfectissimè Medicinam calluit; qui vix à lacte remotus circà VII. ætatis suæ annum cum patre circà artis vsum vsque ad annum XL. versari cæpit. Nam XL. ætatis Auenzoaris pater eius è vita discessit. Auenzoar autem ad CXXXV. annos peruenit, qui ob longam suam vitam artis habitum, cum vsu applicauit*: vt iisdem verbis recenset *Io. Bapt. Montanus, comment. in aph. 1. lib. 1. Hipp.* Rectè igitur doctissimus *Heurnius*: *Longa* (inquit) *hæc ars est, ob difficultatem, & rerum discendarum copiam.* Quo respectu ipse *Hippocrates* ad *Democritum* professus erat, se ad *Medicinæ* finem, licet tum senex foret, nondum peruenisse.

Quamuis autem summas illas difficultates, quas *Hippocrates aphorismo* allegato primo statim in libelli frontispicio proponit, isthîc (quod præter institutum futurum sit) non assumamus discutiendas; quis interim negabit, *Medicinam* artium amplissimam, dignissimamque esse, cum ea reliquas omnes ferè artes, atque scientias sub se comprehendere videatur? Præter enim linguæ *Latinæ*, *Græcæ*, *Arabicæ*, atque aliarum, quibus tradita est, cognitionem, inprimis virum *Medicum* maximè omnium *Physicum* esse necessarium fit, id est, tantum ac talem, cui totius mundi scientia, *cœli, terræ, marium*, imò triplicis hierarchiæ, *Animalium* scilicet, *Mineralium*, ac *Vegetabilium*, imò *Elementorum, Temperamentorum*, & quæcunque eius-modi plura alia ad scientiam Physicam pertinent, exactè cognita, & perspecta sit.

Quis *Medicum Mathematicum* non requirat, præsertim *Astronomum Astrologumque*? In medendo enim (nisi extrema necessitas vrgeat, quæ moram excludit) non de nihilo est, tenere *cœli faciem*, *syderum positum*, *ortus atque occasus rerum*, itemque *Ecclipses, Solstitia*, *coniunctiones*, *oppositiones*, eorumque omnium vires excutere; quæ singula non tàm faciunt ad prognosticandum, quàm ad remedia præscribenda, & commoderanda. Sic in *Diebus Criticis, Annisque climactericis*, vis magna esse obseruatur, quę plurimā partem astris accepta ferri debet. Sic in *Scarificationib. Venæsectione*, delectus astrorum meritò dispiciendus est, quo susque deque habito multoties ægros in pericula adductos nouimus. Sic in ipsorum remediorum pręscriptione stellarum etiam positus obseruandus est, nisi quæ necessitas contrarium vrgeat. Si quis enim purgans imperet, *Luna* existente in signis fixis, v. gr. *Leone, Tauro, Scorpione*, medicamentum illud etsi fortiusculum sit, nihil, aut parum operabitur.

Nn 2 Atque

Atque isthæc hîc caussa, cur multoties in ægris *purgantia* præscripta debitam efficaciam, speratosque effectus minus edant, in astris, eorundemque positu, inquirenda est. Pariter *Lunâ* currente in signis ruminantibus, v.gr. *Capricorno, Ariete*, ac *Tauro*, *purgantia* per inferiora, alui-ducia medicamenta dicta, minimè conducunt, cum magnâ partem vomitu reiiciantur, atque exspectationem *Medici* fallant. Contrà vero in prædictis signis *vomitiua* atque *Emetica* optime conducunt. Et hîc æque caussa, cur sæpenumero ægri medicamenta assumpta non retineant, sed citius vomitu reiiciant, in cœlo inuenienda est. Quis *Medicum Cosmographum* esse debere ambigat? Is enim, vt cognoscat varias *regionum, locorum*, & *terrarum* facultates, aëris, *ventorum, hominum, stirpium, animalium, mineraliumq; qualitates*, & *temperamenta*, necesse habet, vt facta inde comparatione, ad regionem propriam in qua viuit, cautius tum conterraneis, tum peregrinis mederi queat. Sic *Arithmeticus* quoque sit *Medicus*. Vt scilicet doses medicamentorum eorundemque proportionem computet.

Sic *Dialecticus* sit. Vt scil. certis argumentis, ac rationibus vires medicamentorum, origines, differentiasq; tam morborum, quam symptomatum, examinet atque probet. Sic *Grammaticus* sit idem. Vt citrà barbariem scribat, loquaturque, tum verò veras vocabulorum medicinalium significationes atque etymologias explicet. Sic *Rhetoricus* sit quoque. Vt sermonis dulcedine atque ornatu ægris ad salutem necessaria persuadeat. Sic *Ethicus* sit maximè. Vt ad *Hippocrat.* iusiurandum conformem se ægris præbeat, moribus nimir. probatis, vitæ honestate, virtute inprimis, candore, industria, modestia, integritate, pietate, præcipue etiam sobrietate, sit exculitus. Sic *Theologus* antè omnia sit. Vt vera ac solida pietate, veræque religionis studio ægris suis commendatus existat, iisdemque in mortis agone, aut grauissimis alioquin morbis constitutis petito ex sacris literis solatio, veroque animæ subministrato pharmaco, vice parochi, succurrere, tum vero à DEO Opt. Max. omnem successum, tanquam *Medicinæ* autore, in curationibus suis precari atq; exspectare, tum eosdem effectus non sibi, sed creatori adscribere, satagat. Sic *Historicus* quoq; sit & *Politicus*. Vt prudens, (non velut ille *Hieroclis Scholasticus*) artis autoritatem ac magnificentiam sustinere, errores ægrorum, fallacias astantium deprehendere, ac redarguere, tum animi etiam affectus, exemplo *Galeni* atq; *Erasistrati*, tum *Melancholicos Maniacosq;* interdum pia ac medica fraude, in commodum laborantis excogitata, cognoscere & curare satagat. Quemadmodum illi, qui *ranis* sibi imaginabatur abdomen plenum esse, *Medicus*, pharmaco propinato clam iussit ranam excrementis subiicere: qua visa melancholicus à phantasia ista ad mentem rediit: Et quæ eius generis in libris atq; obseruationibus *Medicis* præcipuè apud *Ioan. Schenckium obseru. medicinal. l. 1. obs. d. melanchol. symptom. pag.* CXL. occurrunt plurima, quæ isthîc ascribere nihil attinet. Tum quoq; *historiarum* cognitione opus habet, vt varias rerum naturalium, morborum item ac remediorum, terrarum, regionum, hominumq; peregrinorum historias optimè calleat, eaque omnia ad vsum suum adhibeat. Quid? quod & *Medicum* hodie *Chymicum*, destillatoremque esse oporteat, qui varia medicamenta arte *Chymica* (qualis hoc æui maximè floret, dignoscere, præparare, atq; præscribere queat. Extrà quorum elegantium remediorum adhibitionem *Medicina* hoc temporis in pluribus *Germaniæ* partibus velut sterilis esse putatur. Quid? quod denique & *Cabalisticæ* scientiæ, & *Magiæ naturalis* minime ignarum *Medicum* esse conueniat, si modo, is de *Signaturis, Periaptis* item, *Amuletis, Pentaculis, Characteribus, verbis* denique (vt aiunt) *herbis*, & *lapidibus*, disputare velit.

Quod

Quod ipsum fallor? an super proposita isthâc quæstione valdè necessarium futurum sit, vbi disquiritur ex PETRONIO, *quidnam de Signaturis, & Annulis ijs. usmodi Magicis, eorumq; stellulis Medico censendum veniat?* Ex quibus omnibus obiter enarratis euidentissimum fit, *Artem Medicam* non *Clinicam*, aut *Veterinariam* esse, sed tam diuinam, tàm magnam, vastam, difficilemque, cui ritè addiscendæ vnius hominis ætas neutiquam sufficiat.

Quantum igitur ad *Signaturas, Sculpturasq́; Planetarum*, aliarumque stellarum, præsertim in *Annulorum* fabricatione, attinet, difficile id *Medico* explicatu est, nisi id ex *Cabalistica Medicina*, atque *Magia naturali*, vel (prout mitius vocant) *Philosophia occulta*, expediatur. *Cabalam* autem esse scientiam rerum naturalium occultam accepimus, quæ, si modo scripta tradebatur, (antiquitus enim prorsus non scribebatur, sed ore successiuè & rarissimis quibuscunque hominibus, proponebatur tantum, nec, nisi eorum opinione sanctis) id ipsum peragi solebat nominibus, figuris, numeris, punctis, lineis, atque aliis eius-modi characteribus & signaturis obscurissimis, quæ omnia *Cabalisticis Philosophis* nota erant. Ea autem signa, & characterismi in se continebant omnia maxima arcana, ac mysteria profundissima, qualia non omnes capere poterant: sicut, inter alios, edisserit *Hippol. Obicius, Medicus Italus, Dialogo 11. libr. de nobilitate Medici*. Hæc *Cabala* interdum *Magia naturalis* rectè appellatur, cùm aliud nihil sit, quàm occulta ac characteristica Philosophia.

Quid verò iam *Medici Hippocratico-Galenici* de *signaturis*, ac *characteribus* sentiant, videbimus, vbi prius, quid *Paracelsus*, eiusdemque complices istis tribuant, obiter adduxerimus.

Paracelsus itaque, ob *Magiam* alioquin, aliasque artes penè non infamis, multũ, imò plurimum, characteribus, sigillis, & pentaculis asscribit, imò etiam edicere non veretur, integrum esse, remedia à *carnificibus, sagis*, atque ab ipso *Diabolo* accipere. Ità autem inter cætera multa, *libr. 1. Philosophiæ sagacis, cap. VI.* habet: *Natura vires suas in verba imponit, sicut in herbas, & radices, ità in Gamathæos.* Et posteà: *Imagines* (ait) *& characteres sunt pixides, in quibus Magus syderum vires asseruat.* Nec-non in *libr. de occult. Philosoph. titul. de characterib.* asserit, morbos eos, qui neque auro potabili, neque quintâ *auri Essentiâ*, neque quintâ *Essentiâ Antimonii* curari possunt, *Characteribus* omnino percurari & hoc quidem licitum esse addit, cùm in hominis sanitatem vergat. Quâ occasione licere quoque censet, ab ipso *Diabolo* ad recuperandam sanitatem remedia accipere.

Paracelso hoc in passu opportunè suffragatur *Henr. Cornel. Agrippa*, autor non minus suspectæ eruditionis, qui *lib. 1. de occulta Philosophia. cap. XLVII.* de *Annulis*, eorundemq; fabricationibus, sequentia enarrat: *Annuli* (inquit) *etiam, quos semper magni fecit antiquitas, quando opportunè fabricantur, simili modo suam in nobis promunt virtutem, quatenus gestantem, eiusque spiritum efficiunt lætum vel tristem, mansuetum, vel terribilem, audacem vel timidum, amabilem vel odiosum, etiam quatenus muniunt nos contrà ægritudines, venena, hostes, cacodæmones, & contrà quæuis alia noxia, vel nos obligant eisdem.*

De modo autem conficiendi eius-modi *Annulos*, ibidem subnectit: *Modus autem construendi Annulos eius-modi talis est: quando videlicet stella aliqua ascendit fortunata, & à Luna feliciter aspecta, vel sibi coniuncta, debemus lapidem herbamq́; huic stellæ subditam accipere, atque Annulum ex metallo huic stellæ conformi fabricare, & in eo lapillum infigere, herbâ vel radice subiectâ. deniquè inscriptiones imaginum, nominum, characterum, præterea suffumigationes non præ-*

termittere. Sic legimus apud Philostratum Iarcham, sapientum Iudæorum principem, septem Annulos hac lege confectos, & septem Planetarum virtutibus ac nominibus insignitos tradidisse Apollonio, quos ille singulis diebus singulos gestauerit, iuxtà dierum nomina distinguens quorum beneficio ipse suprà annum centesimum ac tricesimum vixerit, insuper & iuuentæ nitorem semper retinens. Simili modo Moyses Hebræorum legislator ac princeps, in Ægypto Magiâ imbutus, Annulos amoris ac obliuionis confecisse legitur apud Iosephum. Erat etiam, narrante Aristotele, apud Cyrenaos Annulus Batti, gratitudinis atque honoris habens argumentum. Legimus insuper Eudamum quendam Philosophum Annulos contrà serpentum morsus, fascinationes, atque dæmonia confecisse. Idem de Salomone narrat Iosephus. Quin etiam apud Platonem legimus Gygi Lydorum Regi Annulum fuisse mirandæ virtutis, cuius sigillum cum ille in palmam conuertisset, à nullo videbatur, ipse omnia videns: quâ Annuli opportunitate fretus, Reginæ stuprum intulit, Regem dominum occidit, & quoscunque sibi obstare arbitrabatur, interemit, atque in his eum facinoribus nullus videre poterat, tandem eo Annuli beneficio Rex Lydiæ factus est. Hæc Agrippa de Annulis.

Alexander quoque *Trallianus*, inter cæteros, *Medicus* non incelebris *libr. x. Annulum contrà Colicam* commendat, si lapidi *Herculis* erecti, *Leonemq;* suffocantis imago insculpatur, aureoque annulo includatur. Hunc *annulum*, ceu rem sanctam, nec sanctis nisi hominibus communicandam, contrà *Colicam* miris modis deprædicat.

Idem iubet sumere *Annulum ferreum*, ac circulum illius octangulum efficere, atque in octangulum inscribere: Φεῦγε, φεῦγε, ἰοὺ χολή· ἡ κορυδαλλὸς ἐζήτει: *Fuge, fuge, heu bilis: alauda quærebat.*

Idem *libro x. cap. 1.* contrà *Podagram* prædicat auream laminam, in qua, *Luna* in *Libra*, vel *Leone* consistente, inscriptus sit versus Homeri: Τετρήχει δ' ἀγορή· ὑπὸ δ' ἐστεναχίζετο γαῖα.

Ex Medicis recentioribus, qui characteristicam istam atque Magicam Philosophiam amplectuntur, occurrit Mathematicarum alioquin artium studiosus inuestigator *Rodolphus Goclenius*, magni illius hoc tempore Philosophi filius, antè diem superioribus annis communi literarum bono ereptus, qui *tractatu de Vnguento armario pag. LX.* inter reliqua, de *Sigillis* atque *Annulis* ista, pro demonstratione curæ illius suæ, prout vocat, *Magneticæ* affert: *In experimentis (inquit) non fallacibus est, operationem aliquam esse & virtutem Annulorum confectorum ex Auro, Argento, Aurichalco, aut quouis metallo, stellæ, cuius quis sibi virtutem conciliare cupit, dedicato, defixo in Annuli cauitatem cum subiecta herba stellæ huic sympathetica lapide: his enim animum exhilarari, morbosque profligari graues autores tradunt, Trallianus, Gordonius, Mesue, & alii.*

Idem paulò post ex *Iosepho libr. VIII. Antiquitat. Iudaicar. cap. II.* allegat, *Iosephum* vidisse, præsente *Vespasiano Imperatore*, *Eleazarum* quendam Iudæum, naribus obsessi cuiusdam *Annulum*, cuius signaculo radix à *Salomone* reperta, erat subdita, applicuisse, dæmonemque de naribus odorantis extraxisse, qui cùm repentè in terram concidisset, *Eleazar* coniurationis *Salomonis* cantico dæmonium proscripsit.

Idem ex eodem *Iosepho* prodit, *Salomonem Magiæ* fuisse peritissimum, & *Moysen* Hebræorum Imperatorem in Ægypto Magiæ initiatum *Annulos amoris & obliuionis* fecisse, *Annulumque obliuionis* dedisse *Aethiopissæ*, vt ipsius obliuisceretur, quo etiam facto in *Aegyptum* liberè ipsum remigrâsse, non quidem superstitiosâ dæmonum magiâ, cu-

ius

sus accusabatur ab *Apollonio*, & *Lysimacho*, qui à *Iosepho* refutantur, sed illâ, quæ per nomina Sacrosancta & precationes, Angelorumque bonorum imprecatione perficiebatur.

Idem *Goclenius* pag. LXX. multa atque innumera penè eius-modi *Annulorum*, *Sigillorumque* sculpendorum exempla recenset ex veteribus, præsertim *Arnoldo Villanouano*, quorum vnum atque alterum saltem hîc interseremus. Ibidem igitur enarrat, pro vita salubriter producenda, honoribus ac diuitiis augmentandis, *Iouis sigillum*, atq; imaginem, in lapide albo, vel claro, sculptam, vel etiam argento puro, stannove, prodesse. Quanquam in hoc mysterio obseruandum esse monet, vt *Iupiter*, (vel eius loco quiuis *Planeta* sculpendus alius) exsistat in suo domicilio, videlicet *Sagittario*, vel *Piscibus*, vel etiam exaltatione, vt *Cancro*, libero ab omnibus impedimentis, præcipuè verò à radiis malis *Saturni* & *Martis*: in angulo etiam sit Orientis, vel medio cœli, ascendens in circulo Augis, directus, velox cursu, non à Sole combustus, Orientalis in gradibus lucidis, & fortunam augentibus in *Luna*, vel *Veneris* trigono, aut Sextili, quæ omnia (ait) diligentissimè ab *Astrologia* petito obseruari necesse est. Nam eundem *Iouem* contrarium operari asserit, si retrogradus sit, combustus, afflictus à *Saturno*, vel *Marte*, in malo cœli loco, non in domicilio, vel exaltatione, &c. Idemque iudicium esse tradit de cæteris etiam *Planetis*.

Eundem (addit) *in modum* (intellige, sicut *imago Iouis*) *fabricatur imago Martis, in prima facie Scorpionis orientis, contra timiditatem, & pusillanimitatem.* III. *Ad fauorem Regum & Principum conciliandum, morbosque calidos cordiales curandos* (facit) *imago Solis in auro puro, primâ Leonis facie ascendente: ipse verò Sol in Leone sit fortis & fortunatus.* IV. *Ad lætitiam, venustatem, roburque corporis* (valet) *imago Veneris, poma, floresque tenentis manu, ascendente cum ea prima facie Libræ, Piscium, vel Tauri.* V. *Ad ingenium & memoriam acuendam* (facit) *imago Mercurii orientis cum prima Geminorum facie, vel Virginis: vel contrà morbos, odia, & itinera feliciter conficienda à gradu* XVII. *Virginis vsque ad finem ferè eiusdem signi.* Et quæ innumera penè exempla alia ibidem autor recenset ex *Rhagaële*, *Chaële*, *Hermete*, *Thetele*, & *Salomone*, priscis sapientibus, & quidem integris sectionibus, à *pag.* LXX. ad *pag.* vsque CXXXVI. ordine deprompta, ac sese insequentia: quæ, omnia hîc apponere plus tædii foret quàm operæ pretii.

Eius modi autem *Annulos* (quales PETRONIVS describit in *Nerone*) aureos stellis ferreis ferruminatos in manibus *Abrah. Gorlæi Vltraiecti*, item *Massiliæ* aliquot vidisse se testatur *Illustris Scaliger*, vt autor est Ioan. Wouwerenus *in Animaduers. ad Petronium*.

Id genus Stellis veteres etiam arma habebant insignita. Hinc *Trebell. Poll. in Galieno*: *Aureos* (inquit) *constellatosq; baltheos rapi ss dicitur*.

Stellis signare viam, prouerbialiter vsurpatur apud *Desiderium Erasmum Chil.* III. *Centur.* V. XLII. Ἀστέροις σημειοῦσθαι τὴν ὁδόν: Dicitur autem in eos, qui notulis quibusdam & coniecturis, rem aliàs peruestigatu difficilem, indagantur, vt explicat autor ibidem.

Non admodum dissimile est, quod *Chil.* I. *Cent.* I. citat: *In Annulo DEI imaginem ne circumferas*: Ἐν δακτυλίῳ θεοῦ εἰκόνα μὴ περιφέρειν. Fortassis (inquit) admonet, non passim admiscendam DEI mentionem.

Quantum iam ad caussas istius generis *Annulorum*, & *Sculpturarum* naturales attinet, sequen-

ſequentibus hypotheſibus, inter cæteros, præfatus *Rod. Goclenius iunior,* pro defenſione characteriſticæ illius Philoſophiæ, ſeſe erigit, atque innititur:

I. Ex veterum Sapientum prolatis multiplicibus exemplis patere arbitratur, characteriſticam Philoſophiam, ſeu Medicinam, itemque curam, non omnino vanam & ſtolidam eſſe, cùm eo modo per ſculptas imagines, aut collo appenſas, naturales operationes perficiantur, idque per cœleſtes ſyderum proprietates, mirabili influentia cum noſtris corporibus concordantium. Atque hic planiſſimè ſibi perſuaſum habet, citra vllam ſuperſtitionem, citrà nominis diuini prophanationem, atque vllum ridiculũ, citraque inſuper fidei ac pietatis violationem, iſthanc doctrinam ab antiquiſſimis Naturæ explanatoribus traditam eſſe, quæ hactenus quidem, & poſtremis hiſce temporibus occultata, atque abſcondita, altoque ſilentio ſuppreſſa fuerit, præſertim penes quoſdam, qui illis potiùs abuſi, quàm legitimè vſi ſint.

II. Imaginibus illis atque characteribus per ſe vi[illegible]ium aliquid tribuendum eſſe, minimè admittit, cùm figura, numerus, magnitudo, ſitus, continuique ſolutio, nullius propriè actionis ſciat eſſe [illegible] pia. Al[illegible] igitur agens mouensque accedere affirmat, cuius poteſtate characteres illi ſint efficaces.

III. Non diffitetur, multa ſe quidem eo in tractatu afferre eiuſ-modi, ſpeculandi tamen noſcendique tantùm cauſâ, non ſemper vſurpandi, exercendique igitur. Vt mirari ſubeat vehementiam eruditiſſimorum quorundam virorum, qui tàm acerbè in bonum virum inuehuntur, ac velut is ex profeſſo (quod aiunt) *Magus, Impoſtor,* ac *Dæmonolatra* fuiſſet, cùm tamen is conceptis verbis perhibeat, ſe mathematicâ libertate è veteribus multa afferre, quibus nec ipſe tamen fidem adhibeat, nec adhibendam eſſe vlli autor eſſe velit.

IV. Interim non protinus ad orcum vſque damnanda, inſulſeque deridenda eſſe arguit, quæ à ſenſibus ſunt remotiora, & cauſſas habent abſtruſas: cum & gemmarum miracula ac virtutes, multis modis ſtupendæ, paſſim notiſſimæ extent. Virtutes itaque omnes, quæ vel in cœlo, vel in terris ſunt, à DEO Opt. Max. deſcendere, medicamenta eſſe corpora viſibilia, verba verò corpora inuiſibilia, cenſet. Siue igitur *herba,* ſiue *verbum* ſanet, in cauſſa eſſe DEVM, differit, id eſt, ſpiritum, ceu vocat, *Dei, Naturæ* coadunatum.

V. Iam autem ait *Imaginum,* ſub aſtris certis ſculptarũ effectus naturales eſſe, cauſſam itaque eorundem ſimiliter naturalem eſſe oportere. Quæ licet ſit occulta, & à ſenſibus externis remota, non ideircò ad diabolicam quandam poteſtatem illico confugiendum eſſe, monet, ſed potius attendendum, quibus auxiliis, quibusque cauſſis concurrentibus fiat, aut non fiat effectus. Sicque è mirabilibus cauſſis, effectisque naturalibus iubet mirabilem inprimis Creatoris D. N. potentiam agnoſcere, & prædicare, qui cùm tantas tamque mirabiles virtutes in Naturam, eamque manifeſtam, infuderit, quantus hâc ratione, in occultis ipſe ſuis, quæ omnem rationem ſenſuſque procul fugiunt, fuerit æſtimandus.

VI. Pro colophone veſanum ideircò in ſumma eſſe concludit, diabolicis impoſturis protinus ea adſcribere, quæcunque à noſtris ſenſibus ſunt remotiora, eum eiuſmodi homines non penſi habeant, latentem Naturæ vim (quæ diuinum diuinæ potentiæ eſt inſtrumentum) multum imo plurimùm per ſe poſſe, abſque vlla Diaboli ope aut auxilio.

Huic

Huic *Gocleniana* sententiæ, nescio an tam piè, certè cordatè satis, fauet illud *Marcelli*, quod *in carmine de Medicina* extat:

Gramina seu malis ægro præstare medelam,
Carmine seu potius: Namq; est res certa saluti
Carmen, ab occultu tribuens miracula verbis.

Idem inculcat *Apuleius in Apologia: Veteres* (inquit) *quippe Medici etiam carmina, remedia vulnerum, norant, vt omnis vetustatis certissimus auctor Homerus docet, qui facit Vlyssi de vulnere profluentem sanguinem sisti cantamine. Nihil enim, quod fe endæ salutis gratiâ fit, criminosum est.*

Præter prænominatos autores è veteribus characteristicæ huic magiæ addictissimi fuerunt *Pythagoras*, eiusque sectatores, itemque *Platonici*, vt *Porphyrius*, *Iamblichus*, *Proclus*, *Psellus*, atque è recentioribus *Arnoldus Villanouanus*, qui superioribus seculis integras sectiones de *sigillis*, secundùm positus Astrorum, sculpendis, reliquit; quas denuò nuper publicauit *Petrus Constantius Albinius*, *Villanouensis*, *in Claue sympathiæ VII. Planetarum, & Metallorum.*

Et huc-usque de iis obiter dictum, qui *Annulorum sculpturas*. Philosophiamq; characteristicam partim mirè commendant, partim naturalibus effectis & principiis pollere tradunt.

Iam de iis quoque, qui ista remedia & sigilla, tanquam superstitiosa, magica, vetita, atque diabolica prorsus proscribunt, adeoque causam, originem, motum, actum, effectumque diabolo autori assignant, breuiter dispiciemus: posteaque intermediam quandam opinionem tuebimur.

Præter alios autem autores veteres, eosque tàm religiosos quàm prophanos, ità characterologiam damnat *Seneca*: *Rudis* (inquit) *adhuc antiquitas credebat & attrahi imbres cantibus & repelli, quorum nihil posse fieri tàm palàm est, vt huius rei causâ nullius Philosophi schola intranda sit.* Quam sententiâ non minus eleganter quàm grauiter excipit *Epiphanius*: *Vt Medici* (scribit) *de venenis & deleteriis scribunt libros, non vt iis vti doceant homines, sed vt ab iis potius sibi caueant, sic imagines istæ memorantur, vt eorum vsus euitetur, non suspiciatur, vel defendatur.* Et rectissimè Medicorum antecessor *Galenus* in *Periaptis* fugiendam esse incantationem admonet *lib. VI. & X. de simpl. medicam. facultat.* *Periaptis* (refert) *sic confidere oportet, vt substantia illorum, non incantationis verba iuuare credantur.*

E choro recentioris æui Medicorum inprimis occurrit eruditissimus *Ioan. Fernelius*, qui diuino suo illo opere, *de abditis rerum causis*, de formarum originibus, occultis qualitatibus, dæmoniis *Socratis* ac *Platonis* multa accuratè disputat. Videtur autem insignis *Philosophus*, posteaquàm multa protulit de fascinis, dæmoniis, dæmone obsessis, deque artibus & remediis magicis diabolicisque, discrimen tandem facere inter artes, vel remedia magica, atque superstitiosa.

Magica enim remedia ea esse putat, quæ nec certa, nec tuta, sed fallacia sunt, & quorum captiosa non minus quàm periculosa sanatio: cùm magicis illis artibus Dæmon non res ipsas, quippe quas generare nequit, sed solas rerum species, & spectra quædam exhibeat, quibus hominum mentes quasi præstigiis illudat, atque oculorũ aciem præstringat. Eius-modi esse putat, v. gr. cùm scriptâ chartulâ collo appensâ vnâ nocte vidit vniuersi corporis *Icterum* detergeri. Similiter fit, quando *Febres* verbis, ceremoniisque quadantenus profligantur, quæ mox tamen eædem, aut paulò etiam dete-

Oo riores,

tiores, recurrunt. Hanc fictam ſimulatamque ſanationem indigerat, cuius admiratione peruerſas hominum mentes irretiat Diabolus, ſibique infidelitate ſubiuget, hoc vnum intendens, vt ab his, quos ſeduxerit, diuino honore colatur.

Superſtitioſa vice-verſa vocat mania, atque anilia, quali hominum imbecillitatem nimiâ ſuperſtitione iam-pridem occupent. Ea autem eſſe dicit eiuſ-modi, de quibus nemo dicere poſſit, cur, & vnde creditas habeant vires. Neque enim ſunt à temperamento, neque ab aliis manifeſtis qualitatibus, neque à tota ſubſtantia, neque à diuina vel magica poteſtate. Talia vero profitetur eſſe *ſcripta, ſigna, characteras*, atq; *annulos*, quæ nec DEI, nec ſpirituum opem implorant. Quibus ſi nulla cauſſa ſuperior acceſſerit, ſolam figuram, vel characteras, nihil virium habere ad profligandos morbos, ſtatuit. Nō ſolum autem, addit, in ea, quæ trans Naturam ſunt, verum etiam in naturalia plerumque remedia ſuperſtitiones incidere: vt, dum *herbis, ſtirpibus, lapidibus*, aut *metallis* vires attribuuntur, quæ nec ad manifeſtas qualitates, nec ad totam illarum ſubſtantiam accedunt. Sic *morbus Comitialis* his prolatis, geſtatiſve carminibus finiri ſuperſtitioſe creditur:

Caſpar fert Myrrham, Thus Melchior, Balthaſar aurum,
Hæc tria qui ſecum portabit nomina Regum,
Soluitur a morbo Chriſti pietate caduco.

Pariter *dentium dolorem* miteſcere, recenſet, ſi quis, dum ſacrum fit, dentes contingat, hæc verba efferens: *Os non comminuetis ex eo.* Idem *Fernelius* vidit quendam, qui è quacunque corporis parte profluentem ſanguinem cohiberet, partis contactu quædā verba obmurmurans. Alii, inquit, hæc verba commemorant: *De latere eius exiuit ſanguis & aqua.* *Aëtius* certis preculis *ſtrumas*, aut *Columellam* laxiorem ſanari ſcribit. *Theophraſtus* autor eſt *Iſchiadices* carmine ſanari. *Cato luxatis* membris carmen auxiliari prodidit. *Homerus* edidit, *Vlyſſem* ſanguinis profluuium vulneratò femine carmine inhibuiſſe. Eſt, qui laborantis manu arreptâ dicat: *Æquè facilis tibi febris hæc ſit, atq; Mariæ Virgini Chriſti partus.* Alius antè paroxyſmum manûs cum ægroto lauat recitans ſecreto *Pſalmum* illū ſolennem: *Exaltabo te Deus meus Rex.* Si quis *Aſino* in aurem dicat, percuſſum ſe à *Scorpione*, protinus malum tranſire tradunt. Hæc de *verborum & carminum* efficacia.

Quoad *ſcripta ſuperſtitioſa*: Iubent nonnulli (referente porrò *Fernelio*) chartam lino circumligatam collo ſubnectere, in qua duæ literę Græcæ P. A. inſcriptę ſint, ad arcendam *lippitudinem*. Ad *Dentium dolorem* ridiculum hoc ſcriptū appenſum prodeſſe, aiunt: *Strigiles, falcesq; dentatæ, dentium dolorem perſanate.* Einſdem commatis ſunt: In calua interfecti, atque igne cremati aquam è fonte propinare contra *morbos Comitiales.* Sic ex calua ſuſpenſi pilulas faciunt contra *morſus canis rabidi.* Simili ſuperſtitione laborant: *difficiles partus* oppido ſolui, cùm quis tectum, in quo eſt grauida, tranſmiſerit lapide, vel quodam miſſili, ex his, quæ tria animalia ſingulis ictibus interfecerint, *hominem, aprum, vrſum:* Pariter *comitialis affectus* ſanari cibo e carne feræ occiſæ eodem ferro, quo homo ſit interfectus: Immaturâ morte raptorum manu *ſtrumas, parotidas, guttura,* tactu curari: E tribus puteis pari menſurâ permiſtas aquas proliberi nouo fictili, reliquum dare in *Tertianis* acceſſione Febrium bibendum: In *Quartanis* verò fragmentum claui à cruce, inuolutum lana, collo ſubnectere: Itemque a *Quartana* eum liberari, qui vinum biberit, in quod immerſus fuerit gladius, quo caput ſit abſciſſum: & eum, cuius vnguium reſegmina anguillæ viuæ collo ſubnectantur in linteolo, illâ mox in aquam dimiſſa: *Lienis dolorem* ſedari, ſi *Lien* pecudis illi ſuperrendatur, *dicatq; Medicus Lienis, ye Me-*

...um mari:

dicinam facere. A *Tussi* quemcunque liberari, qui in os *Ranæ rubetæ* inspuerit, eâ mox viuâ dimissâ: Laqueum suspendiosi circumdatum temporibus, *Capitis dolorem* sedare: Fascia mulieris alligato capite *dolores* imminui: Verbum *Abracadabra*, chartæ eâ figurâ inscriptum, quam *Ser. Sammonicus* tradit, ex collo appensam à *Febribus*, maximeque *Hemitritæo*, liberare, &c. Et quæ alia complurima cum apud præfatum nostrum *Fernelium*, tum alios autores non paucos, eiusdē farinæ passim inuenire est, de quibus infrà paulò post paucis.

Inter alios, *Dan. Sennertus*, Medicus hac tempestate in *Saxonia* celeberrimus, eleganti atque erudito illo opere, quod de consensu ac dissensu *Galenicorum* cum *Chymicis* euulgauit, *cap.* XIIX. expressis rotundisq; verbis asserit, curationem illam characteristicam vetitam, illicitamq́, imò planè ex pacto (vt aiunt) & verè diabolicam esse. Sic autē ille: *Duo sunt (inquit) in sigillis, Materia, & Character, quorum neutri illa vis ascribi potest. Materia à natura est, & vires istas non habet, quod ipsi confitentur: & si haberet, sine figura & charactere haberet, quomodo Magnetem ferrum trahere, & alias gemmas suas vires sub quacunq́; figura, & sine characteribus habere constat, vt antea dictum. Characteres ab artifice sunt, & vires istas nec ab artifice, nec à seipsis habere possunt. Characteres enim sunt ab idea in mente artificis, quæ in exteriora nō agit. Ex se vero nihil nisi figuræ sunt. Figurarum autem in agendo nulla est efficacia, vtpote quæ qualitatis, aut quantitates sunt. Omnis enim agendi vis est principaliter à substantia, quæ per suas qualitates est efficax. Atq; actio est inter contraria einsdem generis, qualia non sunt naturalia, & artificialia, inter quæ characteres. Nec artificialia in naturalia agunt, eaq; alterant, & afficiunt, quatenus talia: sed in ea agunt, quatenus naturam naturalem habent: & contrà res naturales non alterant, aut afficiunt res artificiales, quatenus tales, sed quatenus ex materia naturali constant. Et proinde imagines, vel nomina insculptæ materiæ nihil per se præstare possunt, materiaq́; si afficiatur à cælo, æquè afficitur, si nullam imaginem sculptam habeat, ac si habeat: nullamq́; peculiarem vim cælestium corporum influxus recipiendi characteres, figuræ, ac verba materiæ insculpta ei tribuere possunt. Neq; etiam à cælo vires has accipere possunt. Licet enim materia, à qua facta sunt, vires aliquas à cælo accipere posset: tamen illam recipere posset sine characteribus, neq; hactenus vllâ probabili saltem ratione monstratum est, ad influentiam & vires astrorum recipiendas aliquid facere posse tales characteres. Neq; characterum cum cælestibus similitudo aliqua hîc facit, cùm rerum cum rebus, non artificialibus imaginibus, earum consensus sit: & præterea imagines Constellationibus & Asterismis ex hominū arbitrio, & voluntate docendi causâ impositi sunt, qui asterismū, quem Piscem, aut Sagittarium nominãt, alio nomine appellare potuissent. sicut hoc seculo Hollandi signis illis meridionalibus, quæ in suis nauigationib. obseruarunt, liberrimè & pro suo arbitrio nomina imposuerūt.*

Quoniam igitur, vt ibidē subnectit, ex nulla naturali caussa vis aliqua *sigillis* ac *characteribus* ascribi possit, eam statuit idcircò vel imaginationi, cuius alioquin vis magna, vel caussæ alteri supernaturali, & quidem *Dæmonibus*, qui characteribus eiusmodi, ceu pacto, quod olim suis cum cultoribus inierunt, tacitè inuocentur, aduocenturque, asscribendam esse. A gentibus enim superstitioni atq; idololatriæ deditis talia promanasse, dæmonasque id genus characteras ac sigilla pro tesseris militaribus sibi constituisse, perhibet. Ideoque *sigilla* ac *characteras* nihil aliud esse, insuper aspergit, quàm *Noctuas diabolicas*, quibus ad aucupia animarum humanarum vtatur. Et licet prætendant, Patres primæ Ecclesiæ curâ tali characteristicâ vsos esse, non eos tamen tales fuisse arguit, quicunque illi fuerint, de quibus gaudere meritò possit Sacra Scriptura, verùm eos contra sirinæ, qui, secundùm *Asclepium*, errârint contrà DEVM religionemque diuinam, quique fictitios sibi Deos finxerint, imò etiam Dæmonolatriæ operam

 indubiè

indubiè dederint. Neque insuper illud excusare, innuit, dum dicunt, similia fieri absque Dæmonum inuocatione, adoratione que; cùm primitus probare debeant, peculiares virtutes sigillis eius-modi, quas metalla ac gemmæ ex se nō habent, inesse, quod ipsum nisi probent, eos mediis illicitis ac diabolicis niti certò concludit. Neque isthîc obstare quicquam putat, pactum cum diabolo coniurationemque explicitam non accedere: cum implicite adesse possit, agnoscatque Diabolus istas tesseras, cultoribus suis semel propositas. Et quis denique, exclamat, ausit eos characteras ac sigilla, quibus *Paracelsus* in *Archidoxi Magica*, atque alibi, triumphum ducit, superstitione vacare, adeoque Diaboli tesseras non esse, affirmare? Quo pacto enim ex lectione Magicarum coniurationum, in Musæo *Cornel. Agrippæ, studioso* illi *Louaniensi* diabolus superueniens fauces atque spiritum præcluserit, in propatulo est, & multis res non tàm nota, quàm horrenda.

Quæ similis commatis, atque alia complura eam in sententiam videre est apud præfatum *Clariss. D. Sennertum*, loco suprà allegato.

Eandem sententiam *D. Sennerti* hoc in themate recipit *Rodericus à Castro*, historiæ muliebris scriptor nominatissimus, *Medic. Polit. libr.* IV. *cap.* 11. *de Salutatoribus*. Vbi cùm ex professo, vt aiunt, de characteristica Philosophia inquirat, inter alia præsupponit, DEVM Opt. Max. olim non tàm per *Prophetas* quàm *Apostolos* solo contactu, verbis, aut afflatu multos è mortuis suscitâsse, atque ab aliis morbis, alioquin incurabilibus, diuinâ suâ manu ac potentia (vtpote in cuius potestate omnia sunt) liberasse: quam curandi rationem prorsus extraordinariam ac supernaturalem *Diabolus* cum asseclis suis, vtpote operum diuinorum simia atque æmulator peruersissimus, deinceps secutus fuerit, dum nimirum per *Magos*, aut ex pacto, vt nuncupant, mediantibus characteribus, verbis & carminibus, curationes instituit. Sicut *Moysis* miracula *Magi Pharaonis* imitabantur, & exemplo *Pythonissæ* ex sacris apparet, olim quoque penes *Hebræos* non incognitas fuisse artes magicas, imposturas, atque incantationes, testibus vel diuinis legibus, vel gentilium sanctionibus, quibus etiam extrema in eius farinæ impostores statuebantur. Cùm igitur his temporibus DEVS Opt. Max. eius-modi curationibus supernaturalibus morbos sanare penè desueuerit, imò verò per ardeliones improbos, quales *Magi* atque impostores vulgò sunt, miracula diuina non operetur; scriptum enim habetur in Psalmo: *Voluntatem timentium cum faciet*: audacter concludit, superstitiosas istius-modi curationes, quales, inter reliqua, à militibus vel solo afflatu, osculo, aut lintei nudi applicatione, perficiuntur, illicitam, Magicamque planè esse, adeoque pacto dæmoniaco laborare. Ita autem disertè eloquitur: *Tertia conclusio* (inquit) *militarem illam vulnerum curationem niti Dæmoniaco pacto, & ex genere suo malam esse, constantissimè censeo: vel saltem tribuendam fiduciæ ægrotantis, non verbis, aut afflatu militis facinorosi*. Et paucis interiectis: *Non immeritò* (addit) *igitur Christophorus à Vega hos, vt augures & impostores, publicè puniendos censet, & Rabbi Moyses Ægyptios mendaces & stultos esse affirmat, vnde sapientes Hebræorum: eos qui pro sanando vulnere exorcismum cum sputo murmurant, partem non habere censent futuri seculi, eo quod sacra inquinant DEI nomina, nimirum cum dicunt: Omnem languorem, quem posui in Ægypto, non ponam super te, quoniam ego DEVS Tetragrammaton, sanator tuus*. Hæc Rodericus.

Non minoribus machinis suspectas illas curationes, quæ characteribus, verbis, ac carminibus perficiuntur oppugnat integro tractatu **Ioan. Roberti, Societat. Iesu, S. Theolog. D. in ruina Vnguenti Armarii, aduersus Rodolph. Goclenium iunior.** vbi fusiusculè curnam

istam

istam execrandam, ac diabolicam esse omninò contendit. Sic autem, inter cætera, *pag.* LXXI. *sect.* VI. aperte enunciat: *Nam, cum optimi quiq; eos damnent, qui tueatur, præter paucos miserè ab aliis seductos, neminem inuenias, nisi quos constet, aliis quoque in rebus, vel apertè damnatis superstitionibus deditos, vel alioqui morum improbitate insignes. Vt taceam, quod plerique vel Gentiles, & manifesti Idololatræ, vel hæretici fuerunt, aut sunt etiamnum.* Idem *pag.* LXXVII. *Characteres* (ait) *isti Astronomici vim ea agendi, quæ persuadere nobis vult Goclenius, nec à seipsis habent, nec ab Artifice, nec ab Astris, nec ab his omnibus, aut aliquibus coniunctis: Itaque nusquam habent, nullam habent.* Et quæ plurima hanc in sententiam penes eundem legere est.

Inter cæteros, *Bodinus* quoque *de Dæmon. libr.* I. *cap.* VI. *Amuleta*, atque *Characterologiam* omnem damnat, affirmans, satius esse mori, & quidem morte crudelissima, quam per execranda & vetita remedia sanitatem accipere: *Itaque præstaret* (inquit) *vel crudelissima omnium, quæ vnquam cogitari posset, perire morte, quam eo pacto curari.* Et *libr.* 2. *cap.* II. *Chartam* (ait) *aut characteres subnectis collo, quicquid inscribatur, cum Ioan. Chrysostomo & Augustino statuimus meram esse idololatriam, si ignorantes fecerint, sortilegium verò, si istud illi concesserint, qui nouerunt interdictum, nec eo minus fidem superstitionibus adhibent.*

Idem cum Bodino sentit *Philip. Camerarius, historicar. meditat. part.* II. *cap.* LXXVI *de Amuletis*, vbi aliquot exempla producit vulneratorum, quibus sanguis minime fluxit, mirantibus astantibus, quamdiu certa quædam *Amuleta*, ac *Characteres* corpori appensi fuerunt, quibus remotis, sanguis tum copiose profluxit. Addit autem pro istius disquisitionis epilogo, *D. Chrysostomum*, inter alios Ecclesiæ Doctores, plurimum laborasse in hac ipsa abominanda *Amuletorum* superstitione confutanda, hominibusque eripienda. Iisdem autem verbis, quibus *Bodinus* detestatur, ex sententia Patrum sanctorum sic in *Characteres* atque *Amuleta* inuehitur: *Nec dubitant* (refert) *affirmare, quod longè præstabilius sit, mortem oppetere, si Deo sic visum fuerit, quam huius-modi impiis remediis salutem ac vitam sibi comparare.*

Hebræi tradunt, *Salomonis librum* de proprietate animantium, plantarum, lapidum, herbarum, metallorumque omnium, ex mandato *Regis Ezechiæ*, crematum esse, ne ad idololatriam ea ratione homines adducerentur, vt serpentem quoque æneum è deserto allatum, *Ezechias* pariter igni tradendum præcepit, quod eum imperitus populus adoraret.

Strabo libr. Geograph. XV. perhibet, in *India* incantatores tum fuisse, qui medicari crederentur, hancque solam penes eos populos extitisse medicinam.

Olim ab *Imperatoribus* aniles istæ & magicæ curationes etiam sub pœna capitis interdictæ prorsus, & grauiter delinquentes mulctati sunt.

Qua occasione *Ammianus Marcellinus libr.* XIX. *Si qui* (inquit) *remedia Quartanæ, vel alterius doloris, collo gestaret, vt veneficus, reus capitis interibat.* Et *lib.* XXIX. *Anum quandam* (narrat) *simplicem, interuallatis febribus mederi leni carmine consuetam, occidit vt noxiam.*

Quibus nunc ordine enarratis contrapugnantibus maximè grauissimorum autorum sententiis, si quod res esse videtur, nostram quoq; mentem interponere liceat, mediam isthic viam inter duo velut extrema tenentes, prout magicas istas imposturas, Characteras item: Inspectos, sigilla *Paracelsi*, & *Corn. Agrippæ*, tanquam imposturas ac *Noctuas*, vt vocant, *Diabolicas*, omninò serioque improbamus, grauissima detestatione, ità vice versa omnes signaturas, verba, characterasque, prorsus ac penitus Diaboli-

cos esse, imò naturales caussas nullas habere, admirere illicò non possumus.

Principio enim ecquis tantus hac in mundana illuuie videri tibi potest, vt totius Naturæ mysteria, qualia infinita propè ac cognitu difficillima sunt, solus ingenio suopte inuestigare, acrimari, sustineat? Cùm antiquitas, nimir. *Zoroaster Plato*, inprimis *Mercurius Trismegistus* ille, vel solum duntaxat hominem [illegible] dixerint, vt de Cœlistellarumque mirandis virtutibus, totius imò Naturæ arcanis, nihil hîc aspergimus. Quis admirandam *Magnetis* vim magicam iccirò esse dicat, quod ferrum attrahat, eiusque rei caussa explicari nequeat? Quæ etsi occulta nobisque incognita est, nihilo-minus tamen naturalis esse cunctitur, cum eodem modo semper se se habeat, atque à naturalibus caussis aliis impediatur, quod de *Adamante* & *Allio* tradunt, eorum præsentiam facere, vt *Magnes* ferri attrahendi facultate frustretur. Quis *Heliotropii* & *Cichorii* naturam admirandam non veneratur, quæ herbæ *Solisequæ* iccircò vocantur, quod *Solem* identidem sequuntur, atque ad eius positum aspectumque se se conuertunt? Quis rerum naturalium inter se *sympathias* atq; *antipathias* nescit? quis verò explicat? Quis edisserit, quid in *Peste* sit, quod hunc vel illum hominem ad accipiendam luem magis dispositû faxit? Quis *pharmacorum* virtutes, *purgantium* inprimis, explanat, quod *Scammonium* tantum *Bilem* atque electiue, vt vocant, purgat, *Agaricus pituitam*, *polypodium Melancholiam*? Quis *Rhabarbari* vim tantû non egregiè purgantem, sed ast. ingentem quoq; non admiratur? Quis *Dictamnum* spicula & telâ expellere, è caussarum fontibus deducit? Quis *Scorpium* Scorpii ictui mederi, *Canis rabidi* crines eiusdem morsibus auxiliari, *viperas* venenis obstare, *Calculis humanis* assumptis nephriticos sanari ipsosque calculos pelli, *lumbricis* lumbricos fugari, *sanguine* quoque è naribus aut vulnere exstillante hæmorrhagiam, licet grauissimam, sisti, explanat? His accedit, *Prophetas* olim, itemq. *Apostolos*, suprà omnem Naturæ ordinem, diuinâ virtute morbos atrocissimos curasse, imò mortuos suscitasse, dæmonasque in nomine *SS. Trinitatis* eiecisse, verbis potius vtentes quàm herbis. Quid? quod ipse *Seruator* & D. N. CHRISTVS JESVS certis quibusdam ceremoniis, sputo etiam, & intuitu in cœlum, cæco visum restituit?

Præterea, quid de *plantarum signaturis*, earumq; effectis stupendis adiiciemus, quarum figuras ac lineamenta non frustranea esse, præter *Oswald. Crollium*, Chymiatrum celebrem, qui libro integro eas persequitur, eleganter edisserit *D. Sennertus lib. d. consens. & dissens. Galenicor. cum Chym. cap. XIIX. pag.* CCCC CIV.

Quid de *Superiorum* in hæc *Inferiora* influxu, actione atque efficacia proferemus? Quis enim inficiabitur, cœli siderumque positus, aspectus, coniunctiones, oppositiones, Solstitia, Ecclipses, & eius-modi alia, multum in morborum curatione momenti habere? Quis *Carrichterum*, *Nicol. Wincklerum*, *Iohann. Francum*, & *Thurneisserum*, Medicos, arguat, qui certa stellarum sub dispositione herbas colligunt, earumq; hoc pacto vires multo exquisitiores experimentis cognoscunt? Sic *radix Pæoniæ*, quæ contra *Epilepsiam* collo appendenda, colligitur *Sole* existente *in Libra* & *Lunâ in Cancro*. Quæ si crescente *Luná* fuerit euulsa, non solû non liberabit à prędicto malo, sed illud insuper exacerbabit. Sic *radix Personata* quoq; collo suspẽsa *Febres* abigit, vt certo experimento ipse cognoui. Non igitur isthîc semper diabolicum quid, sed naturale subesse credimus, licet rationi non sit obuium, sed occultum. Quis ignorat, *Galliæ* atque *Angliæ Reges*, manuum impositione, vel contactu, *strumas* persanare? Abiit igitur, vt hîc pactû Dęmonis, aut magicum quid eiusmodi interuenire arbitremur. Sed de *Annulis*, *Sigillis*, ac *Characteribus* (inquis) res est maioris suspicionis altiorisque indaginis. Si enim *Plinio* credimus,

mus, multa facinora *Annulis* perpetrantur. Is *lib.* XXXIII. *histor. natur. cap.* II. ità: *Alii sub gemmis* (inquit) *venena claudunt, sicut Demosthenes, summus Oratorum Græciæ; Annulosq; mortis gratia habent. Deniq; vt plurimum opum scelera Annulis fiunt.* Esto! At hoc non illicò de omnibus dici potest. Si enim *Annuli* non-nulli ex parte quiddam naturale habere possunt, quid arguas? Quanquam figura, numerus, character, per se nihil possint, nihil agant, nihil moueant, cum omne actionis principium sit forma intrinseca, quæ est substantia rei, non autem forma accidentalis atq; extrinseca, quæ merum est contingens, & qualitas quanti, cuius nulla efficacia. Cum igitur certum, exploratumque sit, *morbos* complures certis sub astrorum constellationibus, certisque temporibus felicius curari, atque alias: *remedia* etiam, inprimis *herbas* sub certo syderum positu euulsas collectasque, maiori cum emolumento morbis remedio esse; *radicem pæoniæ* sub *Lunæ* positu euulsam contrà *Epilepsiam* valentius operari; *Cancros*, imò *humores* in corporibus hominum, secundum eiusdem *Lunæ* cursum, nunc augeri, nunc imminui: totum imò annum, iuxtà diuersas tempestates, variari: imo consilia, actiones Regum, Principumq;, iuxtà syderum aspectus, coniunctiones, oppositionesq; imo etiam ipsius hominis valetudinem à cœlo pendere: quid impedit, quo minus etiam *Sigilla Annuliq;*, hoc vel illo tempore, hoc vel illo cœli aspectu sculpti de viribus earundem constellationum participent; cum vnà atque eadem facile vtrobiq; sit ratio?

Ex mundo itaque excedat, adeoque cœlum effugiat, necesse est, quicunque cœlo tàm curtam, accisamque potestatem, adeoque perennem in hæc inferiora influxum adimere nititur. Nam in generatione hominis, maris & feminæ commistio, siue semina, nudæ penè sunt instar materiæ, nisi à cœlo actuentur, vt viuum animal atque rationale indè oriatur, *Sol* enim *& homo generant hominem*, vt habet canon Physicorum. Eadem ferè ratione agricola sementem faciens, tantillo seminis vel materiæ in agrum sparsæ momento, suaue opera, minimè gentium tàm magnum frugum cumulum producit, nisi cœlum, eiusque influxus in eo cooperetur, qui à DEO omnipotente primitus: astris, atque naturæ vniuersali largissimè inditus est. Quodsi igitur *signaturæ herbarum*, nec non *mineralium* etiam, vires suas in natura habent admirandas, imo *Homo* inprimis ipsemet à supremo illo totius mundi Architecto, DEO Opt. Max. ad imaginē sui creatus est, qui Characterē gerit Dei & conditoris sui, cur omnes Characteras, sigilla, & signaturas artificiales, atque sub certo syderum positu fabricatas, omnino manes, friuolas, imo magicas vocabimus? Quo respectu non immerito prodiderunt *Platonici*, Inferiora à superioribus ideata esse. Et *Cabalæ* periti asserunt, *literis & syllabis* quoque cum mentibus ac corporibus cœlestibus quandam esse sympathiæ connexionem: insuper *verba* illa, quæ sunt orta à lingua digniori, atque instituta à lingua sanctiori, quæq; res ipsas sanctissimas significant, natura sua esse maioris efficaciæ: *nomina* denique *propria* radios quosdam esse rerum, quas significant, imo in ipsis nominibus vitam quandam latere, quoniam & illa ipsa, quæ *Adamus* creaturis imposuit, à naturis rerum influxum receperunt, vnde scriptum à *Regio Propheta Psalmo* CXLVI. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina dat.*

Non-nullam itaque tempus, horasq; efficaciam habere, suprà demonstrauimus, vt etiam verba atque characteras non ἀσυμβόλους esse, aut virium omnino expertes vel vnico illo exemplo confirmemus, quo *serpentes* in *Heluetia*, & *Suecia* ad auditum & pronunciationem verborum Græcorum, *Osy*, *Osya*, *Osy*, præter alias naturam

atque

atque ingenium suum, è vestigio iacent immoti, morsuque venenato neminem insectantur: cum alioquin ad cuiuscunque facilè hominis aduentum aspectumque in cauernas suas aufugiant. In quonam igitur, dicsodes, Gymnasio serpens ille *Helueticus* didicit Græcè intelligere, vt repentè auditis illis verbis immotus iaceat.

Quanquam fors etiam iis ipsis in verbis magicum quid latere, aut ex pacto, vt vocant, dæmoniaco incantationis efficacia subesse possit, id quod tantoperè non negabimus, præsertim cum etiam literæ sacræ testentur, *Serpentem vocem incantatoris percipientem aures obturare.* Cuius farinæ sunt, quæ à *Tralliano*, *Alberto Magno*, inprimis *Henr. Cornel. Agrippa*, non tàm de verbis simplicibus, quam de oratione composita, earundemque energia, afferuntur, *libr.1. occult. Philosoph. cap.*LXX.LXXI. LXXII. & aliis. Eiusdem commatis sunt, quæ Poëtæ passim de stupenda & magica *Carminum* potestate passim occinunt. Quale est illud *Virgilii:*

Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam,
Carminibus Circe socios mutauit Vlyssis,
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Et illud *Ouidii:*

Carmine læsa Ceres sterilem vanescit in herbam,
Deficiunt læsi carmine fontis aquæ.
Ilicibus glandes, cantataq; vitibus vua
Decidit, & nullo poma mouente fluunt.

Quibus fauet *Tibullus libr.1.Eleg.*11.

Sola tenere malas Medea dicitur herbas,
Sola feros Hecates perdomuisse canes.
Hæc mihi composuit cantus, queîs fallere posses,
Ter cane, ter dictis dispue carminibus.
Ille nihil poterit de nobis credere quicquam,
Non sibi si in molli viderit esse sinu.

Hûc pertinet illud *Q. Seren. Sammonici*, contrà *Hæmitritæum*, *ABRACADABRA*, quod ità depingitur ac figitur, vt imminutâ semper atque absorptâ literâ vocabulum successiue in conum abeat, atque Apum extrà aluearia in æstate lætotino tempore sibi mutuò appendentium examini assimilati non frustrà queat: idque fit hoc modo:

Abracadabra
abracadabr
abracadab
abracada
abracad
abraca
abrac
abra
abr
ab
a.

Sic

Sic autem carmine modum describit huius *Amuleti Ser. Sammonicus libr. de medicina, cap.* LIII. *de Hemitritaeo depellendo.*

Inscribis chartae, quod dicitur Abracadabra,
Saepius & subter repetis, sed detrahe summam,
Et magis atq; magis desint elementa figuris
Singula, quae semper rapies, & caetera figes,
Donec in angustum redigatur littera conum.
His lino nexis collum redimire memento.

Similiter fermè ad *Odontalgiam* à quibusdam ridiculum isthoc appenditur: *Galbes, Galbat, Galde, Galda.* Et ad *Hemorrhagiam* sistendam quidam ista obmurmurant: *Charat, cara, Sarite, confirma, consona, Imabolite. Marcellus* lamella aurea, in qua voces istae sculptae sint, ... , ... , colloq; annexa, *lippientes* sanat. In *haemorrhagia* digito annulari partem tangere, ac vicies septies dicere iubent: *socnon, socnon:* idemq;, si velis, toties repetere, donec sanguis sistatur. Sic in *Paronychia Marcellus* tradit, digito parietem contingendum, rursusque digitum ducendum esse, dicendo ter: *Pu, pu, pu. Nunquam ego te videam per parietem reperi.*

Et quae eius-modi sunt alia plurima, anilia prorsus futiliaque, imò magiam & diabolicas istas tesseras redolentia, quae omnia serio seduloque ex animo detestamur.

Vice versa autem non illico omnia ea, quae quidem à sensibus nostris remota, abstrusa atq; occulta planè sunt, qualiaq; intelligere, atq; ex caussis manifestis deducere nequimus, non idcirco sint dicenda magica, illicita, atque diabolica: imò *Annuli* confieri etiam possint naturales & liciti; quales componuntur, inter reliquos, è *radice paeoniae, visco quercino, vngula Alcis,* & id genus aliis, qui potestate naturali praediti sunt contrà insultus epilepticos, imò eò praestantiores sunt, si *radix paeon.* &c. sub certa constellatione collecta, atq; in annulum indita sit: nihilo-secius tamen, ad quaestionem suprà propositam directè respondendo, omninò statuimus, *Annulum* istum, quem quidem *Nero* Tyrannorum improbissimus in sinistrae manus digito quarto gestauit, prorsus magicum, & diabolicae coniurationis maximè compotem extitisse. Cuius rei vel *Plinium* in testimonium vocamus, qui *libr. histor. natural.* XXX. *cap.* II. *Nemo* (inquit) *vnquam vlli artium validius fauit, quam Nero Magiae. Ad quae non opes ei defuere, nec vires, non discendi ingenium, aliaq; non patiente mundo.* In impurissimo igitur atque improbissimo *Tyranno* quid sancti, quid veri bonique fuisse maximoperè fuerit arbitrandum?

Neronis annulo non immeritò comparandus famosissimus iste *Gygis Annulus,* cuius beneficio is inconspicuus fuit, reginam stuprauit, regem occidit, atque ipse deniq; ex pastore abiectissimo Rex factus est. Hinc, cum *Giges* annuli munere ad tantam felicitatem peruenisset, in *prouerbium* abit: Γύγου δακτύλιον *Gygis annulus.* Quod quidem *Adagium,* teste *Des. Erasmo,* quadrat in homines inconstantibus moribus, vel infortunatos, qui velut virgula diuina, quicquid optant, id suo arbitrio consequuntur. Huius *Adagii* mentio fit apud *Lucianum in votis,* vbi quispiam optat sibi complures eiusmodi annulos, quales habuit *Gyges:* alium, quo ditesceret, alium, quo gratus & amabilis redderetur, alium, per quem liceret volare, quocunque libitum esset. Sic autem historiam *Gygis & Annuli ex Platone lib. de Repabl.* II. recenset *Desid. Erasmus, Adagior. Chiliad.* I. *Cent.* I. *Gyges* (inquit) *quidam Lydi pater, pastor quispiam erat mercenarius, eius regis, qui per id tempo-*

P p ris

ris imperabat Lydorum populo. Cum autem esset aliquando sanissima tempestas coorta, imbrium maxima vis accidit, fulgura deniq;, terra etiam quassatio, ità vt in ea regione, in qua tum Gyges forte pascebat armenta, terra ingenti hiatu se se diduceret. Quod cum ille animaduertisset, solus (nam cæteri pastores territi diffugerant) in hiatum descendit, atq; ibi tum alia quædam dictu mira conspexit, tum equum quendam æneum ingentem ac cauum. Inerat fenestra in equi latere, per eam vidit in eius aluo cadauer hominis, maius humana specie. Huic nihil aderat vestium, aut gestaminum, præter aureum annulum, digito impositum. Eum vbi sustulisset, regressus è specu, paucis post diebus ad pastorum cœtum redijt, in quo legatus de peculiorum rationibus, ad Regem in menses singulos referendis, creandus erat. Hic cum apud alios assedisset, animaduertit, vt si quando fortè gemmam annulo inclusam introrsum verteret, repentè fieret, vt à nemine conspiceretur, ac perindè, quasi non adesset, ità de eo reliqui fabularentur. Quod quidem factum admiratus, rursum annuli palam extrorsum conuertit, moxq; pastoribus conspicuus esse cœpit. Eius rei cum ille diligentius & sæpius fecisset periculum, iamq; sat exploratum haberet, hanc inesse vim annulo, vt versa ad se gemma, inconspicuus esset, versa ad alios, conspicuus, effecit, vt pastorum nomine legatus ad regem mitteretur. Profectus & vxorem regiam stuprauit, & de Rege trucidando cum ea consilium iniit. Deniq; confecto illo, ipse, regina in matrimonium ducta, è pastore repentè factus est Rex, idq; annuli fatalis beneficio.

Huius item admirandæ *Annuli* historiæ commeminit *Plato lib. x. de Republ.* & *Cicero libr. de officiis:* quanquam *Herodotus libr.* I. rem paulò secus recenseat; prout ibidem in principio videre est.

Cæteroquin superstitiosa antiquitas multum solita erat *Annulis*, eorundémque efficaciæ deferre, ita vt incantamentis imprægnati ac valentes variis variè venderentur; alii aduersus calumniam, alii contrà ferarum impetus, alij ad declinanda incommoda, alii ad commoda promouenda in manu gestantibus. Hinc *Aristophanes in Pluto:*

Οὐδὲν προτιμῶ σου, φορῶ γὰρ πριάμενος
Τὸν δακτύλιον τὸν δὶ παρ' Εὐδάμου δραχμῆς.
Non facio te huius, quando gesto hunc annulum,
Pretii drachma, mercatus ipsum ab Eudama.

Hûc non ineptè referri potest *Prouerbium: Per medium Annulum trahendus es: Græcis, Διὰ δακτυλίου δεῖ σε ἑλκυσθῆναι.* Dici autem solebat in eum, qui valdè gracili atque extenuato est corpore, siue id naturâ, vel morbo, vel studio curaue, factum sit: sicut de *Phileta Poëta* referunt, eum vsque eo gracili fuisse corpore, vt opus fuerit, plantis eius plumbum attexere, ne quà ventorum flatu abriperetur. *Plinius* vero magicum quid per allegatum adagium intelligit. Sit enim *libr. x. cap. XVI: Magicum (inquit) erat aliquid per annulum traiicere. Nam cerebrum capræ per annulum aureum traiectum, priusquam lac daretur infantibus, instillabatur contrà comitiales, cæterosq; infantium morbos:* sicut idem testatur *libr. XXIX. cap. x. Des. Erasmus* mitius super hoc adagio sentit *Chil. I. Centur. IX. adagium* sumptum existimans, à lusu, quo *ouum aceto maceratum per Annulum* trahitur.

Quantum igitur pro decisione huius prolixè iam nunc examinatæ quæstionis facit, inter alios, *Philip. Camerarius oper. succisiu. part. III. cap. 30. Amuleta* rectè distinguit: in *Naturalia*, & licita: qualia sunt *radix & semen pæoniæ, viscus quercinus, corallium rubrum, vngula Alcis*, & eius-modi: itemque *superstitiosa atque illicita*, qualia sunt, quæ *verbis, carminibus, herbis, lapidibus, metallis, cereis imaginibus*, & id genus aliis, finguntur,

scri-

scribuntur, appenduntúrque. Quæ omnia alioquin ad morbos profligandos à *Naturæ* nullas sortita sunt vires, neque etiam habent à *Stellis*, sed per ea *Diabolus*, tanquam per sacramenta & tesseras suas, operatur. Sic enim ibidem enunciat: *Quando res naturales, vt herba in certa cœli constitutione collecta*, (quam colligendi rationem nos tamen improbare non possumus) *characteres, verba, sigilla, carmina, Euangelium S. Ioannis, ad euertendos globos bombardæ, collo appenduntur, tum illa Amuleta fiunt sacramenta Diaboli, & si morbi per tales appensiones curentur, aut aliæ actiones perficiantur, non viribus earum rerum fiunt, sed diabolus ipse ex pacto, vel tacito, vel manifesto, per illas curat & agit.*

Triplex igitur omninò est remediorum, vel curationum, ordo, *Naturalis*, vbi scilicet remedia sunt naturalia, quæ per contraria fiunt, & tamen in eodem genere posita, partim similia, partim dissimilia esse debent. Alius est ordo *Supernaturalis*, vel *Miraculosus*, vt cum homines sanctissimi, *Prophetæ, Apostoli*, imò ipse *Seruator* humani generis D. N. Christus Iesus multa eius-modi effecerunt absoluta & diuina potestate, absque opera remediorum naturalium. Tertius ordo est *prodigiosus*, qui re ipsa quidem non excedit limites naturales, sed tamen excedere dicitur ratione modi, quem vel cuncti homines, vel plurimi ignorant.

Sub hoc quoque comprehendere possumus curationes superstitiosas, illicitas, ac magicas, quales quidem, prætextu rerum ac caussarum naturalium patrantur, cum tamen præter naturam, ope operáque Dæmonum, eueniant. Quibus accedit ordo insuper quartus, *artificialis* dictus, cum homines multa efficiunt, inueniuntque, quæ suprà Naturæ vires etsi sint, eam tamen minimè euertunt, sicut disserit *Rodericus à Castro Med. polit. libr. IV. cap. II.*

Et huc-vsque de *characteribus*, *signaturis* item *& sculpturis Planetarum dixisse sufficiat.*

Superest insuper *Quæstio altera*, priori coniuncta; *Cur Nero Annulum istum Magicum inprimis gestarit in manus sinistræ digito quarto, & quæ eiusce digiti sit dignitas ac præstantia?*

Pro cuius resolutione nos isthic pauca afferemus, ad rem nihilo-minus facientia. Initio autem *Plinius libr. XXXIII. natural. histor. cap. I.* sicut *Auri* inuentionem, abusúmque, ac incommoda indè nata, sacram que, ceu vocat, famem, seriò abominatur, ita etiam *Annulorum* inuentionem: *Pessimum* (inquit) *vitæ scelus fecit, qui Annulum primus induit digitis. Nec hoc quis fecerit, traditur.* Et paulò post: *Quanquam & de nomine ipso ambigi video.* Græci à digitis appellauere; apud nos prisci vngulum vocabant, posteà & Græci & nostri symbolum.

De eius autem, *Annuli* scilicet, origine, & cur in sinistra potissimum manu gestetur, sic porrò: *Et quisquis* (ait) *primus instituit, cunctanter id fecit, læuisq́ manibus, ac latentibus induit, cum, si honos securus fuisset, dextera fuerit ostentandus. Quod si impedimentum potuit in eo aliquid intelligi, etiam consertoris vsu argumentum est, maius in læua fuisse, qua scutum capitur. Est quidem* (addit) *apud eundem Homerum, virorum crinibus aurum implexum: ideò nescio, an prior vsus à feminis cœperit.*

Ibidem disputat *Annulorum* longo tempore *Romæ* vsum nullum fuisse. Hinc *Romanos* primo *Annulis ferreis* vsos fuisse, & *Senatum* diu *aureis* abstinuisse prodit, imò *Annulos* eis dari solitum fuisse, qui *legationis* igitur ad exteros abirent, id quod legationis symbolum erat ac tessera.

Postremò adiicit, *Annulos aureos* medium ordinem inter *plebeios & Senatores* constituisse: *Annuli* (scribit) *distinxere alterum ordinem à plebe, vt semel cœperant esse celebres, sicut Tunica ab Annulis Senatum tantum.* Et quæ alia toto illo capite de *Annulorum* origine, incremento ac dignitate leguntur.

Quæst. II. *Annulus, cur in digito quarto manus sinistræ geratur?*

Cur autem in digito quarto manus sinistræ *Annulos gestari* solitum fuerit, *Alex. ab Alex. libr. II. cap. XIX. & libr. IV. cap. vlt. vena* cuidam ascribit, quæ indè ad *cor* vsque pertingat. *In digito,* (inquit) *qui minimo proximus est, Annulus gestabatur, præsertim pronubus: quod in eo venam esse crederet rudis antiquitas ad cor vsque pertingentem.*

Aul. Gellius libr. X. Noct. Attic. cap. X. Alexandro astipulatur, nisi quod pro *Vena Neruum* ponit ad cor hominis vsque peruadentem. Sic autem *Gellius: Veteres* (inquit) *Græcos annulum habuisse in digito accepimus sinistræ manus, qui minimo est proximus. Romanos quoque homines aiunt sic plerumque annulis vsitatos. Caussam esse huius rei Appion in libris Ægyptiacis hanc dicit: quod insectis apertisque humanis corporibus, vt mos in Ægypto fuit, quas Græci ἀνατομὰς appellant, repertum est, neruum quemdam tenuissimũ ab eo vno digito, de quo diximus, ad cor hominis pergere ac peruenire: propterea non inscitum visum esse, eum potissimum digitum tali honore decorandum: qui continens & quasi connexus esse cum principatu cordis videretur.*

Apud *Macrobium* verò *libr. VII. Saturnal. cap. XIII.* duæ proponuntur super *Annuli in digito quarto manus sinistræ* gestatione opiniones, quarum prior cum *Gellio* facit.

Sic autem *Disarius* apud *Macrobium* ibidem: *Sed libris* (inquit) *anatomicorum postea consultis, verum reperi, neruum quendam de corde natum, prorsum pergere vsque ad digitum manus sinistræ minimo proximum, & illic desinere, implicatum cæteris eiusdem digiti neruis: & ideò visum veteribus, vt ille digitus Annulo, tanquam coronâ, circumdaretur.*

Eodem capite deinceps aliam sententiam proponit *Cæcinna Albinus: Hinc factum est,* (tradit) *vt vsus Annulorum exemptus dexteræ, quæ multum negotiorum gerit, in læuam relegaretur, quæ otiosior est: ne crebro motu & officio manus dexteræ pretiosi lapides frangerentur. Electus autem, inquit, quasi aptior cæteris, cui commendaretur annuli pretiositas. Nam pollex, qui nomen ab eo, quod pollet, accepit, nec in sinistra cessat, nec minus quam tota manus, semper in officio est. Vndè & apud Græcos ἀντίχειρ, inquit, vocatur, quasi manus altera. Pollici verò vicinus, nudus, & sine tuitione alterius appositi videbatur. Nam pollex ità inferior est, vt vix radicem eius excedat. Medium & minimum vitauerunt, inquit, vt ineptos, alterum magnitudine, breuitate alterum: electus est, qui ab vtroque clauditur, & minus officii gerit, & ideo seruando annulo magis accommodatus.* Hæc & plura *Macrobius,* qui videri potest.

Præter alios autem autores *Leuinus Lemnius de occultis natur. libr. II. cap. II.* rectius de *digiti* illius *Annularis,* vt vocant, dignitate pronunciat, vbi contrà *Aul. Gellium, Macrobium,* & *Alexandrum,* asserit, non quidem *venam,* aut *Neruum* esse, qui ab eo digito ad *cor* vsque perreptat, sed *Arteriam,* quippe cum, iuxtà veriorem Anatomicorum sententiam, *cor* sit fons *Arteriarum, Cerebrum Neruorum,* & *Hepar Venarum: Mos* (inquit) *inoleuit apud veteres, vt is digitus auro insigniretur, taliq; gestamine decorus esset potius quam cæteri: quod tenuis quidam Arteria ductus non Nerui, vt Gellius existimauit, à corde ad hunc digitum porrigatur, cuius motum in parturientibus ac delassatis, omnibusq; cordis affectibus indicis attactu manifestè percipis. Nec sanè id cuiquam absurdum videri debet, cum animi defectu collapsos erigere soleam, vellicato hoc articulo, auriq; cum momento Croci attritu: per hunc enim vis quædam refocillatrix, quæ illi insita est, ad cor dimanat, vitæq; fontem, cui is digitus connexus, implicitusq; est, recreat. Quapropter præ cæteris illum honorem promeruit, auroq; decorandum censuit antiquitas.*

Præter

Præter illam cum *Corde* sympathiam, atque in deliquio animi, quam præstat, energiam, idem *Lemnius* eum quoque *Digitum* appellat *Medicum*, quòd veteres illo potiones miscuerint, vt qui veneni nihil ferre possit. *Huius quoque* (ait) *dignitas, quam à Corde consequitur, hoc effecit, vt veteres Medici, à quibus etiam nomen obtinuit, medicamenta ac potiones illo commiscerent. Nihil enim venenati vel extremis eius radicibus adhærere potest, quin homini infestum sit, virusq; Cordis communicetur. In Indice quoq; veteres olim gestâsse Annulos, præter alios Hieremias testatur.*

Notabile verò illud porrò est de *Digito Annulari*, quod idem autor obseruauit, in acerbissimo *dolore arthritico* solum eum digitum sinistræ manùs illæsum manere. Verba ipsa hæc sunt: *Sic obseruaui* (scribit) *in Gallia Belgica complures Chiragræ ac Podagræ obnoxios, quibus omnes articuli acerbissimo dolore tumoreq; erant inflati, illo tantum sinistræ manus digito illæso, qui infimo proximus est. Is siquidem ob Cordis vicinitatem & consensum nihil sentit incommodi. Neq; est,* (subiicit) *quòd ex hoc morbo quisquam mortem extimescat, (à cæteris enim sunt immunes, modò ne ficosi sint, ac Venereâ lue contaminati) nisi circà sinistrum pectoris sinum, cui Cordis turbinatus mucro subest, humorum colluuies decumbat, Digitusq; Annularis nodosus efficiatur, atq; intumescat.* Hæc *Lemnius.*

Cæterùm, etsi quidem *Digito* illi *Annulari*, qui quartus est manûs sinistræ, ob peculiarem cum *Corde* sympathiam, non contemnendam energiam inesse nullus dubitem: nihilo-minus tamen hic fors controuerti possit, eâdem etiam facultate pollere digitum penultimum manûs dextræ. Experimentum huius rei non tàm pulcrum, quàm facile, proponit celeberrimus Medicus, *P. Forestus, in Narium hæmorrhagia.* Sumit autem frustum *Cretæ albæ*, illudque continet *digito Annulari*, minimo scil. proximo, è regione Naris sanguinem fundentis, si è dextra, dextro, si è sinistra, sinistro, donec incalescat. Vnde statim sanguis supprimitur. Id quod ipse *Forestus* tantùm non multoties experimento comprobauit, sed ipse etiam non rarò cum successu experiri soleo.

Caput XVI.

D*Entiscalpia* antiquitus ex *arundinibus*. Quibus *Lentiscina* præferuntur *Dioscoridi*, & *Martiali*. *Penna* vicarias hic gerit partes. *E Tamarisco, Fraxino,* & *Guaiaco,* fiunt quoque *Dentiscalpia*. Eadem è *Cornubus*. Olim *Regum pocula* è *cornu* constabant: itemque *Medicorum instrumenta*. Hodie ex *Argento*, maximè *Auro* puro parari solent *Spinæ pro Dentibus*. Quales valetudini quoque conducunt. *Auri* enim in curandis affectibus mira virtus. *Neronis Spinæ argenteæ* ad luxum spectabant. *Spina*, seu *Dentiscalpia* è *ferro* minus vsitata, magis noxia. *Dentium cura* olim vitio vertebatur. Vnde *Adagium*: *Lentiscum arrodere*: id est, *Dentiscalpia* tractare: quasi dicas: Cuticulam curare. *Dentium* tamen cura, & munditiies *Cerebrum* confortat. *Dentes* ergò quomodo mundandi, abluendique?

PAG. 13. habetur: *Spinâ argenteâ dentes perfodit.*

Quæritur: *Num argento minus lædantur dentes quàm ferro?*

Resp. Antiquitus *Dentiscalpia* conficiebantur ex *Arundinibus*: quæ tamen emendatiùs fiebant è surculis *Lentisci* virentibus, quod testatur *Dioscorides de mater. medic. libr. 1. cap. LXXXIX. Virentes autem* (inquit) *surculi* (intellige *Lentiscini*, de quibus loquitur) *arundineorum dentiscalpiorum vice dentibus affricti, eos repurgant.* Videtur autem *Lentiscinos* cuspides præferre, quòd vi suâ astrictoriâ, quâ Lentiscina præpollent,

dentes gingiuasque roborare dubio procul rectiùs valeant, id quod in gingiuis maximè, quarum caro plerumque laxa, mollis, spongiosa, cruoremque sudans, operádum venit. Quem in finem vtimur hodie feliciter *oleo* vel *spiritu vitrioli* cum *Melle rosaceo*, vnde dentium caro, vel gingiuæ optimè confirmantur.

Martialis lib. XIV. *Epigram.* XXII. non solum *Dentiscalpium lentiscinum* præfert, sed in eius etiam defectu *frondeâ cuspide*, aut *pennâ* dentes purgari posse canit. Sic autem de *Dentiscalpio*:

Lentiscum melius: sed si tibi frondea cuspis
Defuerit, dentes penna leuare potest.

Sic ex lignis *Tamarisci*, *Fraxini*, itemque *Guaiaci*, *Dentiscalpia* fieri possunt, cum tornati calices alioquin è *Tamarisco* & *Fraxino* à *Medicis* commendentur; quòd hîc *venenis* & *calculo*, ille verò *Spleni* obstructo præclarè opituletur. Hâc ratione *Joan. Langius, Medicus clarissimus*, aduersus *Luem Veneream* calices ex *ligno Guiacino* componi iubet, remedio præsentissimo.

Vidimus, qui tàm *Auriscalpiis*, quàm *Dentiscalpiis* ex *cornu*, instar succini, pellucido fabricatis vterentur. Quo fermè pacto *Regum* pocula olim ex *cornu* fuisse, autor est *Philostratus*. Hinc ἀπὸ τοῦ κέρατος: id est, à cornu *Crateras* deduci volunt. *Theopompus* autem tradit, apud *Pæonas* Boues tàm magna gestâsse cornua, vt tribus aut quatuor vini sextariis vix adimplerentur: ex iisdemque *Reges* ac *Proceres* pocula conficerent, labris eorum auro & argento obductis. Sic *Medicorum* antiquorum *instrumenta* erant *cornea*, quibus liquores mensurabant, in scarificatione, loco cucurbitularum, vtebantur, imò quibus etiam, *Galeno* teste, *Clysteres* administrabantur: vt autor est *Anton. Mizaldus Memorabil. Cent.* IV. *Aph.* XXII. Quis verò hodie vsum *Cornu ceruini* nescit, apud *Medicos* tantoperè celebrem? Vt de *Cornu Monocerotis*, quod ob incomparabiles suas contrà omnis generis venena virtutes *Regibus* ac *Magnatibus* in pretio est, nihil afferamus.

Hodie *Dentiscalpia* fieri consueuerunt ex *Argento* atque *Auro* potissimùm, eò quòd hoc omnibus metallis præstat, tum etiam pretio & virtutibus carum est. *Aurum* enim, non tantùm interna viscera, ipsumque inprimis *Cor* exhilarat, sed etiam aliis morbis non paucis, tàm internè, quàm externè adhibitum, vtiliter succurrit. De quo sic, inter alios, *Lemnius de Occult. natur. lib.* III. *cap.* VI. *Siquidem aurum* (inquit) *cumprimis efficax præsentissimam vim obtinet in expugnandis sæuissimis morbis, atque instauranda valetudine, vbi illa collapsa est, ac detrimenta acceperit. Nam qui ex Venereo fœdoq; contactu labem conceperunt, ac contagione inguinum infecti sunt, eius vsu manifestò sublevantur. Elephantiasin quoq;, quæ vulgaris lepra censetur, expurgat, aut saltem mitigat: dentes labantes ac minus stabiles, putriq; vligine vitiatos firmat, omniaq; oris vlcera ac pustulas compescit: ità quibus os olidum est, ac graueolentiam exhalat, consulere solitus sum, vt annulos ex puro ac sincero auro confectos subindè in ore gestent, præsertim qui ex morbo Gallico inunctis labiorum ac gingiuarum vlceribus infestantur. Virus enim eluit, atq; eruptiones exsiccat. NB. Quodsi laminas, auriq; segmenta ac bracteas carnibus elixas admiscere libeat, atq; huius liquamen valetudinariis exhibere, dici vix potest, quantoperè vires ac viriles spiritus erigat.* Vide plura de *Auri* in morbis virtutibus, apud eundem *Lemnium* toto illo capite.

Hodie itaque videmus viros honoratos, nobiles, atque eruditos, vti *Dentiscalpiis* ex auro factis, qualia, ornatus igitur, è collo suspenduntur. Ea etiam gemmis ornari consueuerunt, vt eò magis pretio, ac gemmarum æstimio radient.

Rectè

Rectè itaque *Ioan. Wouwerenus in Animaduers. ad Petron.* scribit: *Neronis dentiscalpium ex argento* ad luxum fuisse comparatum. *Omnia* (inquit) *hic ad luxum comparata. Nam alii lentisco aut pennâ dentes leuabant.*

Et sanè, ob prædictas *Auri Argentiq;* virtutes, *ferreas* cuspides, siue *Dentifricia* è *ferro* parata, censemus non ità esse amica ac proficua, atque ea, quæ ex *Auro Argentoq;* conflunt; partim, quòd insolitum sit *ferreis* vti ad dentes cuspidibus, partim quod ferrum pretio triuiale, nimis durum, atque rubigini inprimis sit obnoxium, cùm contrà *Aurum Argentumq;* tantùm, non-pretio clariora sint metalla, tum verò, pulcritudine, læuitate, inprimis quoque virium efficaciâ ferrum atque æs longe superent. Quem in finem rectè *Mizaldus ex Langio memorabil. Centur.* IV. *Aphor.* LV. *Aërea* (inquit) *pocula damnantur, quod æruginem, infestum stomacho virus, facilè contrahant: præcipuè si Vinum, aut Acetum illis infundatur. Aurea præstantissima sunt, quoniam corroborant & exhilarant.* Idem de *laminis aureis,* & per consequens *Dentiscalpiis aureis,* eorumque potentia, ex *Hermete, Arnold. Villanouano, Alberto Magno* & aliis, *Memorabil. Centur.* VIII. *Aphor.* LXIX. his verbis: *Lamina auri* (inquit) *super cerebralem suturam gestata, cerebrum roborat. Eadem è regione cordis appensa, palpitationem illius curat, lætitiamq; auget. Super Renes posita, illos confirmat, refrigerat, & nephriticos dolores sedat. Sed pro his ego illam optarem ex purissimo auro Sole in Leone versante, & Iouem feliciter intuente cum Luna fabricari, ac percuti,* &c.

Vt autem euidentius euadat, verè enuntiâsse doctissimum *Wouwerenum,* dum dicit, sicut alioquin omnia apud *Neronem,* ità *Spinas* quoque *argenteas,* prout indigetat PETRONIVS, vel *Dentiscalpia,* luxuriam superbiamque repræsentâsse, reassumemus hoc loci *Adagium* illud, quòd obiter suprà *cap.* IX. tractauimus, quo quidem ii, tanquam luxui dediti taxantur, quibus *Dentiscalpia* frequenter in buccis versantur. Græcis itaque sic effertur: Σχῖνον διατρώγειν: id est, *Lentiscum arrodere, vel mandere.* Dicebatur autem olim in eos, qui nimio comendi corporis studio superfluebant. Ex *Lentisco* enim, vt audiuimus ex *Dioscoride,* & *Martiali, Dentiscalpia* parantur. Ex eadem fiunt etiam *Dentifricia,* quibus ad nitorem gratiamque dentibus conciliandam vtimur. Delicatulis itaque obiiciebatur olim *Dentium* cura. Hinc σχινοτρῶγες appellantur, id est, *Lentisci arrosores.* Sic *Apuleio* obiectum fuit, inter reliqua crimina, quòd *Dentifricium* parâsset. *Prouerbium* itaque à dentium cura oriundum non incommodè transferri posse videtur ad reliqui corporis ornatum nimium: super quo consule *Desid. Erasmum, Chil.* I. *Centur.* VIII. XXXIII.

Ne tamen prorsus inutilis futilisque haberi forsan queat *Dentium* cura, frictio, atque mundities, audiatur saltem vel *Schola Salernitana, de conseruanda bona valetudine,* vbi prædicta *dentium frictio,* inter alia, *Cerebrum* confortare prædicatur. Sic autem inter *Cerebri confortantia cap.* II. recensetur:

Lumina manè manus surgens gelidâ lauet vndâ:
Hâc illâc modicùm pergat, modicùm sua membra
Extendat, crines pectat, DENTES FRICET, *ista*
Confortant Cerebrum, confortant cætera membra:
Lote cale, sta pranse, vel i, frigesce minute.

Quid autem contrà *Dentium* immunditiés incommodi ferat, ità explicat non illepidè in *Commentario ad Scholam Salernitanam cap.* II. *Ioan. Curio: Immunditiés* (inquit) *Dentium, præterquàm quòd oris grauèolentiam parit, spiritus etiã fœtidos, impuros, & turbulentos exhalat,*

qui ad

qui ad cerebrum eleuati, ipsi non paruam noxam inferunt. Sordes item Dentium cum cibo permixtæ, & in ventriculum delatæ, cibum ipsum sæpe corrumpunt. Idem de lingua iudicium est, nam & huic adhærentes sordes, ne in ventriculum deferantur, diligenter abstergendæ sunt. Quare os manè experrecto gargarizandum, & (nisi hyems sit) multâ aquâ frigidâ, cui aceti non nihil admistum sit, fouendum est; vt eleganter admodum libr. 1. cap. 11. Corn. Celsus præcipit. Nihil autem dentibus æquè nocet, ac frequentior lactis esus, veluti Galenus lib. III. cap. XIV. de alim. facult. disertè & copiosè scribens admonet. Nocet (inquit) *lactis esus assiduus dentibus, & circumdatis carnibus, quas gingiuas nominant. Has enim humidas, dentes verò putrefactioni & erosioni admodum obnoxios reddit. Sumpto igitur lacte, os vino diluto colluere conueniet. Satius autem fuerit, si mellis etiam quippiam ipsi inieceris. Ità namq; omne caseosum, quod ex lacte dentibus ac gingiuis circumfixum fuerit, abstergetur.* Et quæ plura ibidem hanc in rem aspergvntur. *Henricus* quoque *Rantzouius*, nobili illo *de conseruandâ valetudine libello, cap.* XXVI. ad valetudinem pertinere arbitratur, vt sensuum instrumenta, tum *Dentes* etiam manè frigidâ abluantur, extergantúrque. *Deinde* (ait) *omnia sensuum instrumenta, vt oculos, aures, nares, os, linguam, dentes, totamq; faciem frigidâ abluito.* Ibidem *Dentifricia*, tantùm non ad *dentes* dealbandos, sed etiam conseruandos præscribit. Ex quibus *Dentium* curam atque munditiem non planè susque deque habendam esse, euincitur. Commodè hûc asscribi meretur illud *Ouidii libr.* III. *de Arte amand.*

Quid, si præcipiam, ne fuscet inertia dentes?
Oraq; susceptâ manè lauentur aquâ?

Caput XVII.

L*Ex mystica* veterum de tribus potionibus siccandis. *Ternarius* enim scyphorum *numerus* in symposiis sacer. Dominus conuiuit hospitibus explicabat ordinem conuiuii. *Poëta* olim bibebant ad numerum literarum, quot amicarum nominibus inerant. *Græci* etiam ad numerum digitorum manûs bibebant. Temperatura vel mistio vini apud veteres vsitata. Cur *numerus quaternarius* in poculis inauspicatus? Tria *Gratiis*, nouem pocula *Musis* respondebant. *Baccho* cur amicitia cum *Nymphis*? Conuiuia olim triplicia, secundùm *Polydorum Virgilium*. Conuiuiorum atque epulatium frequentia molles atque imbelles arguit. NERONIS conuiuium ad Venereas delicias excogitatum, & iuxtà *Zodiaci signa* dispositum. Quinam ac quorum Animalium *Testiculi* & *Renes* super *Geminos* positi, ad Venerem facientes? Remedia composita Venerem iuuantia è similibus. Vsus Acidorum Veneri non conueniens: Contrà faui, & dulcia ex vsu. Coitûs requisita. Præsens ac velut extremum ad coitum remedium.

PAG. 14. occurrit: *Super Geminos, Testiculos ac Renes.*

Quæritur: *Quorum animalium Testiculos ac Renes NERO in conuiuio proposuerit, qui nimirum faciant ad Venerem?*

Resp. Varii fuerunt veterum ritus in compotationibus, ac symposiis, prout videre est apud *Plutarchum*, & *Stuckium*, *de conuiuiis antiquorum*. Inter alias autem bibendi ceremonias PETRONIVS noster alibi *pag. 63.* meminit *legis*, vt vocant, *mysticæ*, quâ licebat ternas saltem potiones siccare. Ità enim habet: *Collocauit illa ignem cassis arundinibus collectum, ingestisq; super pluribus lignis excusare cœpit moram, quod amica se non dimisisset, tribus nisi potionibus è lege siccatis.* Quò facit illud *Horatii lib.* II. *Satyr.*

Siccat inæquales calices conuiua, solutus
Legibus insanus. ——

Lex

Lex conuiualis enim edicebat, non vltrà ternarium scyphorum numerum in symposiis progrediendum esse. Quem numerum etiam *Synodum Nannetensem Canon. IV.* definisse scribunt. Eandem legem conuiualem de tribus poculis *Suetonius* refert *D. Imp. Augustum*, pariter quoque *Einhardus* Cancellarius, *Carolum Magnum Imper.* studiosè obseruasse.

Sic vsitatum antiquitus fuisse legimus, vt dominus conuiuii hospitibus aut conuiuis pronunciaret in limine mensæ cœnæ ordinem, id est, quæ obsonia primò, quæ vltimò, & quo ordine culina quæque missura esset. Eapropter domino exhibebatur designatio, aut schedula, in qua descripta essent ordine obsonia, vt exploratum haberet, quid primum, quid vltimum superuenturum foret. Qui mos etiam-num in modernis aulis Magnatibus quibusdam vsitatus est. Idem, *Neronis* temporibus in more fuisse arguit PETRONIVS *pag. 25. Vtcunque tamen (inquit) tanquam non agnoscerem fabulam, tacui, & cœnæ ordinem explicui.*

Olim quoque, inprimis *Poëtæ*, solebant in symposiis ad numerum literarum præbibere; quas & quot numero literas habebant *Amicarum* nomina, totidem haustibus certabant. Quem morem rotundissimo & festiuissimo carmine (vt meminit rectè *P. Scriuerius*) expressit *P. Lotichius Secundus* (patruus noster magnus) Poëta Germanus, nulli secundus, ad *Ioannem Altum* suum, *Carmin. libr.* 1.

Sæpè meæ nomen simul inter vina puellæ
More iubes prisci temporis, Alte, bibam.
Tu Violantillam potas, mihi Claudia septem
Dat cyathos: & iam frigida fugit hyems.
Quid faciam, sicci cum terga Leonis adibit
Phœbus, & ingratus faucibus æstus erit?
Ergo meæ propter nomen breue cogar amicæ
Ferre sitim? tanti nulla puella mihi est.
Non tamen hanc dominam mutabo, sitimq́, leuabo,
Quid facies igitur, quæris? amabo duas.

Tu, inquit, deuncem, siue vndecim cyathos potas, ego verò septuncem, seu poculum septem cyathorum, vt honorificè allegat doctissimus *Scriuerius in animaduers. ad Martialem libr.* VIII. *Epigram.* LI.

Græci veteres, teste *Athenæo lib.* x. hoc sequens, loco Adagii, in symposiis vsurpabant: Ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα: Id est: *Aut quinque bibe, aut tria, aut ne quatuor.* Ad quod facit illud *Plauti in Sticho: Cur hic cessat cantharus? Vide, quot cyathos hos bibimus: Tot, quot digiti sunt tibi in manu.* Hinc trita illa cantio Græcanica: Καὶ πέντε πίνε, καὶ τρία πίνε, ἢ μὴ τέτταρα.

Præscribitur itaque modus diuidendi vini. Hæc autem temperatura maximè placebat antiquis, vt quinque vini cyathis duo adderentur aquæ, aut duobus vnus.

Desid. Erasmus, Chil. II. *Cent.* III. modum monstrat, quo isthæc mistio vel temperatura vini cum harmonia musica conueniat. Prisci autores *Ioui* duas asscripserunt nutrices, *Iten* & *Adrastiam*: *Iunoni* vnam, nempe *Eubœam*: *Apollini* duas, *Alethiam* & *Corythalam*: *Baccho* verò plures: quòd hunc Deum oporteat pluribus *Nympharum* mensuris mansuefactum ac domitum, moderatiorē mitioremque reddere. Quibus nihil aliud innuunt, quàm vinum aquâ multâ diluendum esse.

Quod autem *quaternarius numerus* in poculis velut inauspicatus atque interdictus

Qq fuerit,

fuerit, ita *Plinius Natur. histor. lib.* XXIIX. *cap.* VI. *Numerum quoq́;* (inquit) *quaternarium Demetrius condito volumine, & quare quaterni cyathi, sextariive non essent potandi.* Quod fallor? an rectè explicat *Desiderius Erasmus: Quod autem* (scribit) *prohibet Græca cantio, ne quatuor biberet, ad veterum superstitionem pertinet, quâ creditum est, impares numeros ad omnia efficaciores esse.*

Tres itaque *cyathi* bibebantur ad numerum *Gratiarum: Nouem* ad numerum *Musarũ.* Quò alludit *Ausonius* in *Grypho num. ternarii:*

Ter bibe: vel toties ternos, sic mystica lex est.

Præterea notum quoque est illud: *Baccho amicitiam cum Nymphis esse:* id est: Vinum esse debere lymphatum, aut aquâ dilutum. Qua de caussa *Plato* admonuisse fertur, vt *Bacchum*, deum temulentum atque ebrium *Nymphis* sobriis deabus temperemus. Tribuitur isthoc inuenti *Staphilio Sirrheni* filio, qui primus ostendit, vinum aquâ diluere. Antiqui enim merum (id est, vinum absque lympha) bibebant non sine noxa. Quanquam vinum liberalius lymphatũ postero die magis caput grauare perhibeatur, quàm si merum bibitum sit. *Aristoteles* enim vinum subtilius aquæ infusione fieri autor est, quod aliàs per se crassius. Ideoque lymphatum, ait, citiùs angusta capitis foramina penetrare, meriqúe noxam, cuius adhúc multam habet vim eodem transmittere, imò concoctu etiam difficilius esse. Hinc *prouerbium* natum: *Vini liquorem perdidisti, infusâ aquâ:* super quo consulatur *Des. Erasm. Chil.* II. *Cent.* II. Apud eundem vox Ἐπισκυθίζειν, *adagio* fertur, *Episcythizare*, pro eo, quod est, vinum merũ intemperantius bibere, quod *Lacedæmoniis* vsitatum atque in ore fuerit. *Scytha* quoque & *Thraces* vocantur Ἀκρατοπόται, id est, *meribibi.* Vnde vt plurimùm eorum conuiuia cruenta sunt ac tumultuosa. *Atque vtinam* (inquit vir magnus, *Desid. Erasmus*) *hic mos plusquàm barbaricus intra Scytharum ac Thracum fines constituisset, nec ad nos vsque dimanásset. Non enim solum bibimus intemperanter, verùm etiam cogimus alios ad bibendum, & recusantem ferro adorimur, cùm inhumanius penè sit cogere ad bibendum, qui non sitiat, quàm sitientem submouere à potu.*

Quid? quòd Sacræ literæ monent *Regibus*, vel iis, qui ad Reipubl. clauum sedent, vinum non dandum esse. Quò facit *paræmia: Vinum caret clauo.* Ebrietas enim nihil moderatè consulteque facit. Hinc illud tritum, quod *Desid. Erasmus* adagionis loco vsurpat *Chil. Cent.* III.

Οἶνος ἄνωγε γέροντα, καὶ οὐκ ἐθέλοντα χορεύειν.

Idest:

Vina senem etiam, vel nolentem, saltare compellunt.

Cæterùm, *Polydorus Virgilius* scribit, triplicia veteres conuiuia celebrâsse: *pontificalia* scilicet, quæ in sacrificiis à sacerdotibus parabantur: aut *triumphalia*, quę post victoriam Imperator, aut dux populò dabat: aut *funebria*, quibus honor demortuis habebatur: vt refert *de rer. inuentor. libr.* IV. *cap.* XIV.

Frequens autem epulandi consuetudo homines molles atque imbelles plerumque arguit. Hinc vere ac grauiter, de *Regis Persarum* epulis, apud *Polyænum in Stratagem. libr.* IV. *pag. mihi* CCLXXIV. *Alexander Magnus: Necesse* (inquit) *est, vt magnum luxum, ac prodigalitatem eximia timiditas atq́; mollities consequatur. Videtis autem* (addit ad milites) *eos, qui tantis cœnis impleri solent, in pugnis etiam celeriter hosti victoriam dare.* Quod ipsum profectò si in vllo aliquo *Tyranno*, certè in *Nerone* conspicuum enitet maximè. Iste siquidem, ipsius PETRONII sui testimonio, non nisi vino scortisque ad extremam vsque libidinem, atque

que

que ambas, quod dicitur, aures erat demersus, vt pararas etiam à veretibus artes (velut *picturam*) non auderet cognoscere, sed antiquitatis accusator vitia tantùm doceret, & disceret: prout videre est apud *Satyricum* nostrum *pag.* 21. *At nos* (inquit) *vino scortoque demersi, ne paratas quidem artes audemus cognoscere, sed accusatores antiquitatis, vitia tantum docemus, ac discimus.* Hinc, cùm *Tyrannus*, nihil nisi quod extremè libidinosum atque obscœnum esset, mente agitaret, inter alia, conuiuium nouum excogitauit, in quo, iuxtà signa *Zodiaci*, cibi, aut fercula ad rem veneream facientia, ordine disponerentur. Sed audiamus enunciantem PETRONIVM *pag.* 14. *Laudationem* (ait) *ferculum insecutum est, planè non pro exspectatione magnum. Nouitas tamen omnium conuertit oculos. Repositorium enim rotundum, duodecim habebat signa in orbe disposita, superq; proprium conuenientemq; materia structor imposuerat cibum: super Arietem, Cicer Aretinum: Super Taurum, bubale frustum: Super Geminos, Testiculos ac Renes: Super Cancrum, Coronam: Super Leonem, Ficum Africanam: Super Virginem, Stericulam: Super Libram, stateram, in cuius altera parte striblita erat, in altera placenta super Scorpium:* * *Super Sagittarium, odopetam: suprà Capricornum, locustam marinam: Super Aquarium, Anserem: super Pisces, duos pullos. In medio autem cespes cum herbis excisus fauum sustinebat, &c.*

Iam isthâc occasione à nobis quæritur, quinam, qualesque *Testiculi* ac *Renes* extiterint, quibus NERO in parapside *Geminorum* positis, vsus sit? Cùm igitur extrà omnem dubitationis aleam verseter, conuiuium illud à libidinosissimo atque impotenti *Tyranno* ad Veneris luxuriem excogitatum fuisse, facilè fuerit hâc ratione ominari, quinam, aut quorum animalium *Testiculi* ac *Renes* isti fuerint.

Ex iis autem, quæ benè nutriunt, multumque sanguinem generant, præcipuè sunt alba & medullosa. Tum eadem maiori pollent energiâ, si ex animalibus desumantur, quæ præ aliis salaciora habentur. Prosunt igitur ad istam libidinem *Cerebella, Testiculi, a. Renes Gallorum, passerum, coturnicum, vulpis. Testiculi* enim *Vulpis* (inquit *P. Bayrus*) sicci puluerisati, & cum vino bibiti, faciunt ad virgæ erectionem. Idem facit *puluis virgæ Tauri* cum ouo sorbili bibitus. Similiter *Renes Stinci* cum vino bibiti, sunt efficacissimi, prout idem autor est. Si quis, *Democrito* autore, *Cerui priapum* vstum ac tritum cum vino aliquantum tepido illinat *Testibus* ac *Peni*, Veneris titillationes percipiet intensiores. Sunt, qui idem polliceantur de *Priapo Lupi*, vt testis *Mizaldus*.

Huc pertinet compositum illud *Leonell. Fauentini* ad Venerem, quod è similibus constat:

℞. Testiculor. vulpis,
Cerebellor. passerum,
columbar. an. ℥ j.

elixentur primò, deinde, postquàm elixa sunt, assentur in patella cum *oleo amygdal. dulc.* & postquàm assata sunt, aspergantur sequenti puluere:

℞. Cinnamom. elect.
garyophyll.
piper. nigr.
zingib. an. ʒ ß.
f. Puluis subtilissimus, qui aspergatur suprà scriptis.

Eiusmodi illud est *Guilh. Rondeletii, contrà impotentiam coitus:* quod

℞. Testiculor. vulpis, decoctor. in hydromel. ℥ j.

contusis adde
Pinearum,
auellanar. in pauco lacte, & melle infusar. an. ℥ ß.
carnis leutræ.
stercor. muris. an. ʒ ß.
cum Syrup. cort. citr. f. Opiata.

Vel sic:

℞. Cortic. citri.
zingib. virid. an. ℥ j.
Conseru. Eryng. ℥ ß.
carn. leutræ.
testicul. vulp.
priap. taur. vel cerui, ana ʒ iij.
pulu. diamosch. dulc.
diambr. an. ℈ j.
cum melle, in quo
Cantharid. integrar. infusar. prius in lact. & mell. ʒ j.
dissoluatur. f. Opiata.

Capiat ad quantitatem auellanæ, superbibendo parum vini Maluatici, duabus horis antè cœnam, quæ parca sit.

Maximè *oua perdicis*, & *Gallorum testiculi* ad coitum excitant, inquit *Nicol. Piso*. Similiter à proprietate valet *genitale Cerui*, teste eodem.

Contrà idem autor cauere monet vsum *Aceti, acidorumq;*, maximè iis, qui Veneri militare volunt. Acetum enim atque acida omnia semen extinguunt, tum flatuum generationem (qui ad erectionem virgæ requiruntur) coercent. Quod ipsum neque NERO, mœchorum improbissimus, ignorauit, qui, exclusis acidis, dulcibus omninò vsus fuit, dum in medio Epulo fauos disponi iussit ac mella; sicut legere est apud *Satyricum*, *pag.* 14. *In medio autem* (inquit) *cespes cum herbis excisus fauum sustinebat*, &c.

In Coitu (inquit *Gordonius*) *tria sunt necessaria, Caliditas, Ventositas, & Humiditas: ità secundùm Auicennam sensus venit à Cerebro, spiritus & ventus à Corde, sanguis ac desiderium ab Hepate: ità quod desiderium naturale partim venit à Renibus & ab Hepate, & complementum à Corde: ideò, qui habet omnia ista, fœcundus est, quantum de natura sui.*

Idem autor, inter cætera, sequentia præscribit, ad Venerem stimulandam, admodum valentia, quæ cum superioribus coincidunt.

Præscribit autem *Decoctionem celebrem*, quam bonos socios (verba ipsius sunt) scribit adeò commendare, vt faciat mulierem sub viro deficere: qualis.

℞. *Testiculos vulpis*, & *Cerebella passerum*, decoqu. in aqua, & aliquantum assentur, potissimùm *Cerebella*, terantur cum floribus palmarum, & modico *Caudarum Stincorũ*, conficiantur simul, & istâ confectione vtatur manè & vesperi.

Eiusdem autoris est hic *Puluis*, qui:

℞. Priap. Tauri,
erucæ,
Piper.
Cariophyll.

Cir-

Cinnamom.
Testicul. vulp. an. part. æqu.
Caudar. Stincor. parum. m. f. puluis.
Qui accipiatur cum ouo sorbili.

Sequens vero medicamentum super omnia facilè extollit, tanquàm probatissimum, ac velut diuinitus reuelatum; quod mirè extollit:

℞. Vitell. ouor.
Butyr. recent.
Priap. taur.
Cicerum,
Galang.
Satyrionum,
Zedoar.
Zingib. condit.
Menthę,
Testicul. gallor.
Vulpis. an. ℥ j.
Cerebell. columbar.
Passerum, benè coctor.
& assator. an. lib. j.
Medull. nucis Indic.
Pinear. mundatar.
fisticior.
iuiub.
amygd. dulc. mundat.
sem. malu.
Mercurial.
auellan. excort.
dactylor. an. ℥ j.
Sem. eruc.
Garyophill.
Zingib.
Piper. long. alb. & nigri.
Linguæ auis,
Sem. bulb.
Cinnam. an. ℥ j.

Ista omnia mundificentur, parentur, & decoquantur in lacte ouino, postea fortiter terantur, addanturque
Caudæ Stincor. ℥ ß.
Totum conficiatur cum
Melle rosac. &
pane de facchar. an. q. s.

Lento igni diu agitando: condiatur. *Et* (inquit *Gordon.*) *noli reuelare, nisi filiis tuis.*

Rodericus à Castro, historiæ medicæ muliebris scriptor eruditissimus, *lib.* III. *de morb. Mulier. cap.* V. asserit, Venerem mirifice incendere, semenque augere, *Turturum*, *Anserum*, *Anatumq;* carnes, aut bouinam etiam cum *eruca* coctam; præsertim vero hoc ait præstare *Passerum* ac *Columbarum cerebella*, *Arietum* & *Gallorum testiculos*. *Nota est* (inquit) *apud Amatum Lusitanum historia mulieris, quæ incauta marito dedit in cæna Testiculos Gallorum, cum Melle & Aromate paratos, ex quo cibo in Priapismum, & Veneris insatiabile irritamentum deuenit.*

Idem doctissimus autor mirabile illud ex *Gordonio* suprà propositum remedium, ad illecebras venereas valentissimum, ita quoq; describit ac prædicat:

℞. Ouor. vitell. num. VI.
Butyr. recent.
Lact. ouin. an. q. s.
veretr. taurin. exsiccat.
Satyrion.
Zedoar.
Zingib. condit.
Testicul. vulp.
Gallor. an. ℥ j.
Testicul. dextr. arietis.
cerebell. passerum elixat. deindè
assator. an. ℥ i j.
Medull. nuc. Indic. ℥ j ß.
nucleor. pini.
pistacior.
amygdal. mundat.
dactylor.
Sem. malu.
mercurial.
erucæ.
Garyophyll.
Zingib.
piper. long.
alb.
nigri.
Linguæ auis.
cinnamom. an. ℥ ij.

Coquantur omnia in lacte ouino, contund. posteà cum eodem lacte, & adde
Caudæ stincor. ℥ ß.
Mell. ros. lib. ij.
Sacchar. albiss. lib. VI.

Bulliant lento igne, semper miscendo, quoad consistentiam *Electuarii* acquirat.

Dosis est nucis quantitas antè prandium vel cænam, cum vino optimo. Est adeò mirabile, vt pleriqúe dicant, diuinitus fuisse reuelatum. Quidam sine *cauda stincorum* parant, quod securius fuerit. Hæc *Rodericus*.

P. Fore-

P. Forestus, multæ experientiæ atque eruditionis *Medicus*, *lib. obseruat. XVI. obs. XIIX.* ista quoque superioribus similia affert: *Perdicis* (inquit) *oua ad coitum excitant, & testiculus galli. Testes vulpis sicci triti, cochlearii mensura potati, innocuam & minimè vanam membri tentiginem faciunt. Partes etiam Renes Stinci amplectentes ad tentiginem pudendorum excitandam bibuntur. Reiner. Solenander consil. medicinal. sect. IV. consil. XIX.* probat *priapi ceruini*, dum is in Venerem pronus est, excisi vsum.

Quod igitur restat, ex suprà recensitis, cum simplicibus, tùm compositis remediis, ad Venerem excitandam præsentissimis, facilimum fuerit diuinare, quinam, & quorum animalium *Testiculi* isti, ac *Renes* fuerint, quos *Trimalcio*, id est, NERO, in nouo à se excogitato conuiuio super *Geminos* peculiari in parapside per structorem disposuisset. Super quibus ista obiter annotasse sufficiat.

Caput XIIX.

QVidam interpretes apud *Petron.* pro *Stericula* legunt *Sericulam*; quidam *Rusticolam*, seu *ficedulam*; quidam omninò hæsitant, locum deprauatum, desperatumque esse perhibentes; sed omnes falluntur. *Stericula* itaque legendum est, sine vllâ hæsitatione, quâ *Vulua* significatur. *Vulua* enim animalium non nullorum efficaces sunt ad Venerem, si comedantur. Est autem *stericula* vulua suis *sterilis*, id est, castratæ. Sues quomodo castrentur, *Plinius* docet: Olim *Censoria leges* apud *Romanos* interdicebant *abdominibus*, *vuluis* suillinis, atque aliis istius animalis deliciis, tanquàm cibis voluptuariis. *vulua porcaria*, & *sumen* suillinum *Martiali* commendantur. Discrimen *vulua porcaria* atque *eiectitia*. *Stericula* etymologia è *Macro* Poëta eruitur. Descendit enim à *stera*, quæ vox Græcis matricem notat. Assensus *Corn. Celsi*, *Horatii*, & è recentioribus *Ioan. Langii*, qui omnes huic loco de *stericula* lucem commodant. *Plauti* de *pernis*, *suminibus*, *larido*, &c. itemque *Iuuenalis* suffragia. Vt de *stericula* certitudine nemo dubitare debeat amplius.

IBidem *pag.* 14. sequitur: *Super Virginem, stericulam.*

Quæritur: *An stericula sit vulula, & cuius animalis?*

Resp. In eodem *conuiuio Venereo*, recens à *Nerone* excogitato (de quo capite præcedente egimus) mentio fit *stericulæ*, quæ sicut alia obsonia, super *Virginem*, signum *Zodiaci* notissimum, in peculiari parapside fuerat collocata.

Quæritur igitur à nobis *Celeberr. Dn. Goldastus*, an pro *vulua* interpretandum veniat, hoc nominis? &, si maximè hoc ita sit, cuius nimir. animalis ea putanda sit?

Resp. Pro quorum resolutione, *Ioan. Tornæsius in variis lectionibus ad Petroniū*, existimat legendum esse *fericulam*, nempè *serotinam*, quæ *Augusto mense* maturescit, aliâs *ficedula* dicta. Quanquā idē meminit, Ms. habere *Stericulam*. Sed hæc expositio nobis non arridet.

Ioan. Wovverenus vero, in animaduersionib. ad eundem *Petronium*, locum hunc deprauatissimum esse arbitratur, cui, etsi quidem variæ coniecturæ afferri possint, mederi nihilo minus se non posse affirmat. Dubius igitur est, an legat *Rusticolam*, qualis ex *Perdicum* genere. vt est apud *Martialem*: an verò reponat *fuericulum edule*, vel *histriculum*, quod est in glossa *Isidori*: quod notet puerum grandiorem, quia sit sermo de *Virgine*. Breuiter: inter hæc dubia concludit, vir alioquin doctissimus, veram hoc loci lectionem quærere, nihil aliud esse, quā oppido desipere, imò satius etiam fore, illud quoq; ignorare.

Sed, quorsum isthæc desperatio? cum Ms. veritatem omnium rectissimè exhibere possit, quod ipse aliâs *Wouverus* non diffitetur.

Alii Interpretes velut de industria huncce locum transilire videntur, vt qui nedum intelligi, nedum enodari possit.

Nos itaque, si quid (pace tantorum virorum) judicare possumus, MS. hoc loci rectè ac rite, se se habere, locumque minimè depravatum, multo minus desperatum esse, iterum iterumque asserimus.

Atque, vt vel hoc duntaxat, veritatis demonstrandæ igitur, afferamus, quis neget *vulvas* animalium (in quibus alioquin libidinis sedes) medicaminis alimentiue loco vsurpatis insignem vim ac facultatem inesse libidinem excitandi, præsertim si ex animalibus lasciuioribus accipiantur? Quem in modum rusticana quædam iuuencula, sacerdoti suo confessa, signaculo crucis partes infrà vmbilicum notans, simplici quidem effato, sed nimis vero edixerat, caussam eiusce facti rogata, inquiens: Ach Herr/ der Teuffel raset hie am allermeisten: locum pudendi, vel vulvam, designans.

Quodsi enim *priapus tauri, ceruiq;* alias (prout capite præcedenti allegauimus) multum potest ad Veneris incitamentum, adeoque ipsius veretri humani, seu virgæ erectionem promouet, quidni illud ipsum abundè, & quidem valentius, præstare possint *vulvulæ* animalium, præsertim salaciorum, cum præcipuè sexus fœmineus ea in parte insigni œstro percitus esse, adeoque maribus longe lasciuior furentiorque censeatur?

Anton. Mizaldus, memorabil. Cent. VIII. *aph.* LIV. ex *Rhasi* & *Alberto* asserit, *Testiculos Anserum*, si mensibus sedatis illico à muliere comedantur, non solum ad excitandam libidinem, sed etiam ad sobolem procreandam conferre.

Martialis inprimis *lib.* XIII. *Epigr.* LVI. opportunè sententiæ nostræ subscribit, atque huic loco lucem affert, dum ita de *vulva suillina*, de qua agimus, sequentia aspergit:

Te fortasse magis capiet de Virgine porca:
Me materna graui de sue vulva capit.

Farnabius in notis rectissimè hunc locum *Martialis* intelligit, dum pro *vulva Virginis porca*, vulvam *suis virginis*, seu *sterilis*, (vndè *stericula* illa *Petronii*) vtpote *castratæ*, interpretatur. Pro *materna* vero *vulvam porcariam* accipit, id est, suis antè editum partum enectæ.

Quę opinio vt verisimilior euadat, *Plinius* facit *histor. natur. lib.* VII. *cap* LI. qui de *suum castratione*, itemque de deliciis carnis suillæ, inprimis de *Testiculis, vulvis*, & eius modi cibis voluptuariis, tanquam *Censoriis* olim *legibus* prohibitis, sequentia habet, maximè hûc facientia: *Castrantur feminæ quoque* (de suibus loquitur) *sicuti Cameli, post bidui mediam suspensæ pernis primoribus, vulva recisa: celerius ita pinguescunt. Adhibetur & ars iecori feminarum, sicut Anserum, inuentum M. Apicii, fico carica saginatis, ac satie necatis repentè mulsi potu dato. Neque alio ex animali numerosior materia ganeæ: quinquaginta propè sapores, cum cæteris singuli. Hinc Censoriarum legum pagina, interdictaque cœnis abdomina, glandia, testiculi, vulvæ, sincipita verrina, vt tamen Publii Mimorum Poëtæ cœna, postquam seruitutem exuerat, nulla memoretur sine abdomine, etiam vocabulo suminis ab eo imposito.* Hæc *Plinius ibidem.*

De *sumine suillino* rursus excipit *Martialis lib.* XIII. *Epigr.* XLIV.

Esse putes nondum sumen: sic vbere largo
Effluit, & vivo lacte papilla tumet.

Quod ita reddit *Farnabius in notis:* Non (inquit) *credas, hoc farcimen esse è papillis suis, à partu cæsæ refectis: sed etiam-dum viuere in sue papillas, ita lacte exundant.*

Ne au-

Ne autem de *stericula* opinionem hanc nostram, absque autoritate, asseramus, clarius paulò *Plinius* de *stericula*, siue *vulua suis* virginis, *sterilisque*, id est, *castratæ*, nobis succenturiatur *libr. histor. natur. cap* XXXVII. vbi sequentes differentias *vuluæ porcariæ* constituit: *Vulua* (ait) *eiecto partu melior, quam edito. Eiectitia vocatur illa, hæc porcaria, primiparæ suis optima: contrà effœtis. A partu præterquam] eodem die suis occisæ, liuida ac macra. Nec nouellarum suum, præterquam primipararum, probatur, potiusque veterum, dum ne effœtarum. Nec biduo antè partum, aut post partum, aut quo eiecerint die. Proxima eiectitiæ est occisæ vno die post partum. Huius & sumen optimum, si modò fœtus non hauserit, eiectitiæ deterrimum.*

Quæ *Plinii* verba, modò recensita, itá planè ad sententiam nostram interpretatur, atque accommodat **Cornel. Witellius** *Annotation. in Georg. Merulam*, vt luculentius ad illustrandum hic PETRONIVM adduci nihil sustineat. Itá autem eleganter tripartitis, circà vuluam porcariam, differentiæ, inprimis *stericulæ*, commeminit: *Tertiam (inquit) nomine vuluam appellatam dicimus, eiectitiæ, porcariæ, & virginis, siue sterilis. Hæc enim non in omnibus suibus virginibus grata erat, quippe quæ, nisi arte fieret, nullius saporis esset, sed in suibus suspensis pernis prioribus recisa vulua, vt omisso libidinis vsu, magis pinguescerent, fierentque gratiores. Talesque vuluas steriles dixit Apitius in re coquinaria. Et de his intelligit Martialis, cum inquit:*

Te fortasse magis capiet de virgine porcâ.

Vt eò minus autem super hoc loco, de voce *stericulæ*, dubitare aliqua possimus, *vuluam* per illam significari, optimè nobis *Macer Poëta, cap. 1. de artemisia*, ab ipsa origine etymologiam nominis describit his in versiculis:

Pellit abortiuum potu, vel subdita tantum:
Duritias stericas soluit: pellitque tumorem.

Per *steren* ergò *Græci* vterum, siue matricem intelligunt, vndè *sterica*, id est, *vterina*, *stericula* autem diminutiuum est à *stere*, de qua ARBITER noster. Ita autem interpretatur *Gulielm. Gueroaldus comment. ad Macrum*. *Hæc verba* (inquit) *soluit, id est, resoluit, duricias stericas, id est, matricis, stere enim Græcum vocabulum, quod matricem sibi vult.* **Cornel.** *Celsus l. II. cap.* XXIV. *de rebus, quæ stomacho idoneæ sunt*, inter delicias, quæ è carne suilla olim parabantur, etiam *vuluas steriles* recenset. Ex *sue* (inquit) *vnguiæ, rostra, aures, vuluæque, steriles. Horatius l. 1. Epist.* XV. tantum tribuit *vuluæ* ferculo, vt eam cum *Turdo*, auium delicatissimo, comparet:

—— cum sit obeso
Nil melius Turdo, nil vulua pulchrius ampla.

Quem locum *Farnabius* exponit de *vulua eiectitia suis primipara*, qua nihil sit delicatius. Omnium autem luculentissimè hoc dubium, quod multos hactenus torsit, de *stericula*, ad nostram mentem, explicat eruditissimus superioris æui Philosopho-Medicus, *Ioan. Langius, Archiater Palatinus, Epistol. medicinal. l. 1. cap.* LXI. ad finem, vbi fercula recenset, quæ Romanis veteribus è *vulua suilla* parari solebant: **Cæterum** (inquit) *non arbitror fore absurdum, si in huius epistolæ coronide, auctarii loco, addidero, quale Romani gulæ proceres ex suilla vulua conficiebant ferculum, ab Apicio & Horatio laudatum.*

—— cum sit obeso
Nil melius turdo, vulua nil dulcius ampla.

Et Corn. Celsus de sue ait: stomacho prosunt vnguiæ, rostra, aures, vuluæ, sterilesque. Vulua enim in animalibus est interior fœtus conceptaculi cauitas, quam in homine vterum & locos appel-

lant, ac matricem, cuius tres erant apud culinæ antistites differentiæ, quarum delectum Plinius his verbis iudicat: vulua suis eiecto partu melior, quã edito. Eiectitia vocatur illa, hæc porcaria. Primiparæ suis optima: contrà effœtis, à partu, præterquam eodem die suis occisæ, liuida & macra. Nec nouellarum suum, præterquam primipararum, probatur, potiusq; veterum, dum ne effœtarum, nec biduo antè partum, aut post partum, aut quo eiecerint die proxima eiectitia est, occisa vno die post partum huius & sumen optimum, si modo fœtus non hauserit: eiectitiæ deterrimum. Vulua verò de virgine porca, sterilis dicta, lasere Cyreniaco, pipere, mente sicca foliis, addito liquamine, melle & aceti modico, condita, in muriæ tamen prius cocta, cæteris præferebatur, de qua Martialis ait:

Te fortasse magis capiet de Virgine porca,
Me materna graui de sue vulua capit.

Si stomachus tuus hæc sibi de suilla carne missa Apophoreta botellos, isicia, pernas ac petasones fastidierit; poteris Apitii conditura, sterilem tibi præparare vuluam, qua languentis stomachi vires reficies. Hæc hûc-vsq; disertè satis Largius, vt amplius ferè aliud quippiam hîc desiderari posse non videatur. Interim consulendi sunt, *de suilla vuluæ conditura*, & id genus aliis, *Apitius lib. VII. cap. I. Athenæus l. III.* & *Aristoteles l. III. d. hist. animal. c. I.*

Cæterum ab hoc loco non abesse videtur *Iuuenalis libr. I. Satyr. I.* quando Satyricôs in *Romanorum* sui temporis luxuriam inuehitur:

——— Quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter conuiuia natum?

Quanquam autem interpretes hîc arguant, tantam fuisse Romanorum luxuriam, siue etiam magnificentiam, vt in conuiuiis integros ac totos vsq; eo apros apposuerint, sicut *Seruilius Tullus*, autore *Plinio*, primus aprum integrum conuiuis exhibuit, attamen, cum *Poëta* exprimat, animal esse propter conuiuia natum, disertè innuit, non solum nudi igitur spectaculi sues aut apros in symposiis esse exhibitos, sed præcipuè varias delicias, cibosque voluptuarios è suibus peti, quos etiam *Censoriæ leges* prohibebant, vt suprà tradidimus.

Rectissimè has delicias, cupediasque è suibus peti consuetas, quas obiter attingit *Iuuenalis, Plautus in Carbonaria* ità exponit pluribus:

Si ego pernam, sumen suis spectite, callum, glandia.

Et *in Captiuis:*

Dii immortales, vt ego callos prætruncabo tergoriis?
Quanta pestis pernis veniet? quanta labes larido?
Quanta sumini absumendò? quanta callo calamitas?

Et *in Menæchm.*

——— de foro obsonarier
Glandulam suillam, laridum peronidem, aut
Sinciput, aut polimenta porcinea &c.

Similiter *in Pseudol.*

Pernam, callum, glandium, facito vt in aqua iaceant:

Quid? quòd *Iacob. Dalechampius, Plinii Scholiastes*, ex *Lampridio* recenset, *Heliogabalum Imp. sumen* aprugnum, cum sua *vulua* conuiuis appoluisse: vt habet in *annotationi. ad Plin. lib. VIII. cap. LI.* Vide infrà *lib. III. cap. I. de Lardo.*

Quandoquidem ergò ex grauissimis autoribus, *Corn. Celso, Plinio, Horatio, Martiali, Macro*, & pluribus aliis tàm veteribus quàm recentioribus, liqueat, *vuluam porcæ virginis*, aut *sterilis*, id est, *castratæ*, aut suis etiam ante partum enectæ, vsque eo in deliciis fuisse,

vt

vt legibus quoque *Censoriis* interdictum fuisse legimus, *Testiculis ac vuluis* porcariis vesci, ecquis dubitabit, *stericulam* hoc loci accipi pro *vulua suis virginis, sterilis*, aut *castrata*, vndè *Stericula* à PETRONIO nostro absque omni exceptione nuncupata.

Caput XIX.

Historia DEMOCRITI. *Democritus* ex patrimonio locuples, diuitias abdicauit, quò liberius philosopharetur. Vndè magna animi constantia prominet. Eius vita solitaria, atq; insolita philosophandi consuetudo, icircò insaniam non arguit. Ridet autē omnia, tanquam inter homines, & sub cœlo, vana, irrita, vanisq; vicibus obnoxia. Hunc ob risum insolitum *Abderitanis* insanus habetur. *Hippocratem* igitur per legatos & literas obnixè orant, vt *Democritum* curet. *Epistola Abderitanorum ad Hippocratem*. Viri sapientes ciuitatum fulcra, & Reipubl. muri. Enarrātur affectus & risus *Democriti*. *Democritus* ab *Hercule*, *Hippocrates* vero ab *Æsculapio* oriundus. *Hippocratis Epistola*, siue responsum, ad *Abderitanos Abderitani* laudantur ob curam *Democriti* sui. *Hippocrates* ex nuda relatione, & præscriptis circumstantiis, non illicò insanire *Democritum* iudicat. Artem pluris æstimat, quam opes: ideoq; præmia contemnit. Inuehitur in eos, qui mercede Medicinam factitant. Idem *Hippocrates Artaxerxi* magno, *Persarum* Regi, ingentes licet diuitias offerenti, operam suam negauit. Hostes itaq; patriæ non esse curandos præcipit. *Hippocratis Epistola* ad *Damagetum*. In qua iter atq; aduentum suum ad *Abderitanos* describit. Narratur ingressus ad *Democritum*: *Democriti* itemq; hospitium, studium, habitus, & mores cum topographia. Æger non solum Medico aspiciendus, sed interrogandus quoq; antequam iudicium fiat de morbo. *Hippocratis & Democriti*, colloquium *Democritus Anatomicus*. Bilem insaniæ caussam statuit. Redarguitur ab *Hippocrate*, ob risum insolitum. Contrà *Democritus* graues explicat risus sui caussas. Inuehitur in vitia hominum, & stolidas cupiditates, variaq;, imò irrita mortalium studia. *Hippocratis* exceptio. *Democriti* replicatio Re omni denique cognita *Hippocrates* assentitur *Democrito*, tanquā philosopho præstantissimo. Annectitur *Epistola* peculiaris *Hippocratis* ad *Democritum*, in qua magnitudo *Medicinæ*, & *Democriti* elogium. *Democriti Epistola* ad *Hippocratem*. *Medicus* non solum ex relatione aliorum, nedum ex aspectu ægri, sed ex reipsa iudicet: *Democriti* ad eundem *Hippoc. Epistolica dissertatio de natura humana*, admodum elegans: in qua de totius humani corporis *Anatomia*, partiumq; symmetria, & vsu dissertatur. Ex quibus omnibus abundè liquet, *Democritum Medicum* atque *Anatomiæ* peritissimum fuisse. Idem quoque inter rei herbariæ scriptores à *Plinio* atque *Æliano* refertur: vndè PETRONIO lux affulget. *M. T. Cicero* arguit *Democritum* oculos sibi de industria eruisse, quo liberius philosopharetur: quod figmento simile est. Idem *Homero*, poëtarum maximo, affingitur: Eum scil. laqueo sibi gulam perfregisse.

PAG. 22. super *Democrito* ità PETRONIVS: *Omnium* (inquit) *herbarum succos Democritus expressit, &, ne lapidum virgultorumq; vis lateret, ætatem inter experimenta consumpsit.*

Quæritur: *Vtrum Democritus inter Medicos, inprimis Botanicos & destillatores referendus sit?*

Resp. *Democritum* summum fuisse virum, atq; summè sapientem, vel illud saltem indicio esse queat, quod, præ philosophandi amore, diuitias, alioquin ex patrimonio sibi admodum luculentas, valere iusserit, prout *Valer. Maximus* admirabundus annotauit *lib.* VIII. *c.* VII. *Democritus* (inquit) *cum diuitiis censeri posset, quæ tantæ fuerunt, vt pater eius Xerxis exercitui epulum dare ex facili potuerit: quò magis vacuo animo studiis literarum esset operatus, parua admodum summa retenta, patrimonium suum patriæ donauit. Athenis autem compluribus annis moratus, omnia temporum momenta ad percipiendam & exercendam doctrinam conferens, ignotus illi vrbi vixit, quod ipse in quodam volumine testatur. Stupet animus admiratione tantæ industriæ.* Hæc Valerius.

Quum igitur *Democritus* ex diuitiis, quæ sibi erant admodum lautæ, florere alioquin potuisset, animis diuiniora longè cogitasse concepisseque arbitrandus is venit, qui

 quidem

quidem opes tàm facilè contemnere potuerit, quibus alias vniuersa mortalitas tantopere inhiat, iisque etiam corradendis non labori, non vigiliis, non itineribus periculisq; vel ad Indos Orientalesque populos conficiendis parcit. Qua occasione à grauissimo *Poëtarum*, ad stuporem penè alicui incutiendum, non frustrà ità exclamatur:

Auri sacra fames, quid non mortalia cogis
——— *Pectora?*

Iccircò non minimum vel istud duntaxat in *Democrito* sapientiæ argumentum extitisse arbitrandum venit, quod is, spretis magno excelsoque animo opibus ac rebus mundanis, totum se ad mysteria salubrioris secretiorisq. sapientiæ cōposuerit. Scribitur enim autore *Hippocrate in Epistola ad Philopæmena, Democritus*, neque liberorum, neque vxoris, neque cognatorum, neque rei familiaris, neq; cuiusquam omninò curam habuisse, sed dies noctesque solus priuatam vitam egisse, in antris plerumq; & solitudinibus, aut in arborum vmbraculis, aut in mollibus herbis, aut iuxtà crebra aquarum fluenta. Verum addit posteà, non omnes amentes atque melancholicos speluncas aut quietem expetere, sed eos etiam, qui res humanas, ob tranquillitatis, & philosophandi desiderium, negligunt, eodem se recipere.

Qui cum ergò profundissimus Philosophus omnibus Naturæ abditis arcanisque indesinenter inuestigatis dubio procul nihil inuenisset, in quo acquiesceret, cœpit ridere omnia, tanquam lubrica, fragilia, inconstantia, periculis, sorti, morbis, morti q;, & mille vsque adeo mutationibus obnoxia. Vndè accidit, vt *Abderitani*, apud quos viuebat, perspectis inusitatis ipsius, & à quibus vulgus hominum longe abesset; moribus, præsertim vero, quod omnes & omnia derideret, (vndè, teste *Æliano, Gelasinus* dictus fuit) & quod in ea inquireret quæ apud *Inferos* fiunt, & quod *Auium* cantus intelligere se perhiberet, & alia eius-modi insolita præ se ferret, iccirco *Senatus Populusq; Abderitanus* iudicarunt eum, præ summa sapientia, atq; philosophandi intentione, mentis insania haud modico cum periculo laborare. Qua de causa *Hippocratem*, Medicum eius ætatis maximum, per missos legatos conceptissimis verbis exorant, veniat modo, & *Democritum* beneficio diuinæ artis ab insania ista mentis liberet. Quæ omnia vt clariora euadant, atq; huicce loco lucem eò melius afferant, operæ pretium facturos nos arbitrati sumus, si integram *historiam Democriteam*, in tanti Philosophi honorem, isthîc ex diuini *Hippocratis*, Medici Trismegisti, epistolis, quales multis alioquin non adeò familiares fors sunt, agedum interseramus.

Sequitur itaq; primo *Epistola Abderitanorum, pro Democrito, ad Hippocratem.*

Senatus Populusque Abderitanus Hippocrati S.

IN rem vrbis nostræ nunc maximè periclitatur, vir ille, ô Hippocrates, qui etiam nunc & olim huic semper ornamento fore sperabatur. At verendum est, ne nunc (ô Dii omnes) inuidi àlaboremus, cùm hic ob multam sapientiam, quam consecutus est, adeò ægrotet, vt non mediocriter verendum sit, ne, si Democritus mente captus fuerit, vrbs nostra Abderitana penitus pro deserta habeatur. Omnium enim inprimisq; sui oblitus, vigilans noctu & interdiu, singulaq; parua ac magna deridens, ac pro nihilo reputans, totam vitam traducit. Ducit aliquis vxorem, hic mercaturam

exercet;

exercet, hic concionem habet, alius magistratum gerit, legationem obit, populi suffragio magistratus declaratur, abrogatur, ægrotat, vulneratur, moritur, hic autem ridet omnia, cùm hos quidem demisso & tetrico vultu, illos verò hilares videat. Quin & ea inquirit, quæ apud Inferos fiunt, & de his scribit, & imaginum plenum aërem esse scribit, seq; auium voces intelligere, & sæpè de noctu surgens, solus placidè canere videtur, se seq; quandoq; in infinitionem peregrinari dicit, & innumerabiles sui similes esse Democritos, vnaq; cum mente corpore perditus viuit. Hæc metuimus, ô Hippocrates, his de rebus perturbati sumus. Verùm tuo consilio patriam nostram seruaturus citò aduenito, neq; nos despexeris. Neque enim despiciendi sumus, & nos testimonii authoritate valemus, & de eo seruato neque gloriâ tua, neq; pecuniis, neq; eruditionis fama frustraberis. Et quanquam plus apud te valeat doctrinæ quàm fortunæ ratio, hæc tamē tibi à nobis & copiosa & larga offerentur. Etenim pro Democriti salute, non, si vrbs aurea sit, voluntati nostræ respondeat, neq; si quicquam ei desit. Leges nostras, Hippocrates, ægrotare & delirare existimamus. Adsis, vir optime, virum eximium curaturus. Veniet non tanquam Medicus, sed veluti totius Ioniæ fundator, nos sacratiore muro circumdabis. Vrbem, non virum, curabis, Senatum ægrotantem, & ne claudatur periclitantem aperies, ipse legum conditor, iudex, magistratus, seruator, & horum artifex aduenies. Hanc in rem te expectamus, Hippocrates, hæc nobis eris, vbi veneris. Ciuitatum vna non obscura, imò potius tota Græcia, te orat, vt sapientiæ corpus conserues. Ipsam verò doctrinam apud te legationem obire putato, vt se hac calamitate liberes rogantem. Sapientia certè, vt nobis videtur, omnibus cognata est, & nobis, qui ad eam propius accessimus, multò magis. Certò scito, te à futuro seculo magnam inituram gratiam, si Democritum veritate, qua eum omnibus præstare posse sperat, non destitueris. Tu enim Æsculapio genere & arte coniunctus es, hic verò Herculis ex fratre nepos, ex quo Abderus, vt profectò aliquando audisti, cuius nomen ciuitas habet. Quare illi etiam grata futura est Democriti curatio. Cùm igitur videas, Hippocrates, populum & virum egregium ad sensuum stupiditatem delabi, ad nos vt festines, rogamus. Mirum, quod etiam exuberantia bona morbi existunt. Democritus enim quantum sapientiæ acumine valuit, in tantum nunc periclitatur, ne mentis stupore, & dementia male afficiatur. At reliquum Abderitanum vulgus ineruditum, sensu quidem communi fruitur. Quinetiam, qui anteà imprudentes habebantur, ad sapientis morbum discernendum nunc quidem perspicaciores sunt. Adesto igitur cum Æsculapio patre, cum Herculis filia Epione, cum filiis, qui ad Ilium in expeditionem profecti sunt. Adesto nunc Pæonia tecum morbi remedia afferens. Terra vberibus fructibus, radicibus, herbis, & floribus, ad depellendam insaniam ferax est, neq; ferè vnquàm fœcundiùs producent neq; terra, neq; montium iuga, quàm quæ nunc ad Democriti salutem. Vale.

Ecquid verò hac egregia epistola pro amore erga *Democritum* eiusque immensas sapientiæ facultates declarando, quæ velut totius Reipub. imò Græciæ, salus habebatur, à *S.P.Q. Abderitana* perscribi potuisset accuratius? Ecquid rogari prolixiùs, exorari contentius, quod in insignem *Hippocratis* redundat existimationem, ab vrbe *Ionia* potissimùm, à populari & velut conciue, *Hippocrate*, in quam alliciuisset? Non ignorabant autem *Abderitani*, & quis esset *Democritus*, quem dicunt *Herculis* ex fratre nepotem, suæ prouinciæ murum ac fulcrum, imo sapientiâ omnibus præstantiorem: non ignorabant, quis nimirum esset *Hippocrates*, *Æsculapii* filius, qui antea Regi Persarum, magno *Artaxerxi*, ingenti auri pondere ad se euocanti, id officium, præsentiam videlicet artemq; suam, auri atque honoris omnis exteri contemptor, audacter ac liberè negârat, quòd is Rex Græcis suis inimicus existeret. Ideoque preces geminant, vota conduplicant. Quid autem *Hippocrates*? Is, pro summâ suâ prudentiâ, *Democritum*, vigore præmissarum literarum nondum illicò insanum esse statuit, pronunciatve, sed deliberat, pacisciturque, se illius res prius inspecturum, in medio, vtrum sanus an æger existat, tantisper relinquens. Arguebat autem prudenter diuinus senex, signa ista, qualia ducebantur ex vita *Democriti* solitaria, risu, atque aliis, nondum ad demonstrationem insaniæ sufficientia esse, cùm sub ea specie, licet inusitata vulgo, optima sanitas, ac præstans sapientia latere possint: prout superiùs ex ipso *Hippocrate* allegauimus. At, quo res clarior euadat, *Epistolam Hippocratis*, vel eius responsum, hîc ascribemus.

Hippocrates Senatui Populoq; Abderitarum S.

CVius vester Amelesagoras eo die Co appulit, in quem fortè inciderat Virgæ assumptio, anniuersaria, vt scitis, nobis festiuitas, & publicus conuentus, pompaq; ad Cupressum celebris, quam pro more deducunt, qui Deo dicati sunt. Cùm autem & ex verbis, & ex aspectu ipso festinare videretur Amelesagoras, credens, reuera vrgere negotium, epistolam vestram legi, & miratus sum, quòd de vnius hominis salute, non secus, ac si vnus esset in ciuitate, conturbati essetis. Et certè beati sunt populi, qui viros bonos sua esse propugnacula intelligunt, non turres, nō mœnia, sed prudentium virorum prudentia consilia. At verò artes deorum esse munera cùm mihi persuadeam, viros autem naturæ opera, ne indignemini, Viri Abderitæ, si naturam, non vos, me vocare existimem, ad opus suum conseruandum, quod periclitatur, ne morbo corruat. Quare Naturæ & Diis potius, quàm vobis auscultans, festino, Democritum ægrotantem sanaturus, si sanè hic morbus est, ac non potius (quod exopto) errore hallucinamini. At certè maius fuerit beneuolentiæ vestræ testimonium, si vos ad hanc suspicionem conturbati fueritis. Mihi verò ad vos venienti, non Natura, neq; Deus argentum promiserit. Ac neq; vos (viri Abderitæ) per vim obtrudite, sed liberæ artis libera esse sinite opera. Qui autem mercede operam suam locant, hi scientias, tanquàm ex priore libertate mancipio dantes, seruire

uire cogunt. Deinde probabile est, eos mentiri posse, velut in magno morbo, & negare, vt in paruo, aut vbi promiserint, non venire, rursusq́; non vocatos venire. Miserabilis sanè est humana vita, quod ad eam totam intolerabilis argenti cupiditas, velut hybernus flatus peruaserit, ad quem morbum insania grauiorem curandum vtinam Medici omnes potiùs concurrerent, quæ tamen beata censetur, cùm morbus sit, & male affligat. Equidem omnes animi morbos vehementes insanias reputo, cùm opiniones quasdam, & visa rationi suscitant, ex quibus sanescit, qui per virtutem repurgatur. Ego vero si omnibus modis ditescere voluissem, Viri Abderitæ, ne decem quidem talentorum gratia ad vos venirem, sed ad magnum Persarum Regem proficiscerer, vbi vrbes totæ opibus humanis refertissimæ occurrissent, illorum autem pestilentem morbum curassem. Sed regionem Græciæ inimicam malo morbo liberare recusaui. Et ego his quidem totis meis viribus Barbaros nauali prœlio superaui. Regias autem opes ignominiæ mihi futuras, & opulentiam patriæ inimicam reportassem, quibus circùm affluens vrbium Græciæ destructor existerem. Diuitiæ non sunt pecunia, vndecunq́; comparatæ. Magna enim sunt virtutis sacra, quæ à iustitia non teguntur, sed in apertum se proferunt. An non reputatis æquale peccatum esse, hostes seruare, & amicos mercede curare? At non ità se habent res nostræ. Ex morbis quæstum non facio, neq́; ex animo Democriti dementiam audiui, qui, siue sanus sit, amicus est, siue ægrotet, curatus magis amicus futurus est. Eum autem grauibus & firmis moribus esse præditum intelligo, & vrbi vestræ esse ornamento. Valete.

Vt autem integra velut *Democriti* historia recitetur, profectionem ad *Abderitas, Hippocrati* susceptam. *Hippocratis* eiusdem cum *Democrito* congressum, *Democriti* habitationem, studia, caussam risus inusitati, inprimis colloquium *Hippocratis* cum *Democrito* de rebus grauissimis familiariter initum, imò etiam sententiam *Hippocratis* super eodem *Democrito*, neutiquam, vt arguebant *Abderitæ*, desipiente, sed tanquam *Philosopho* & *Physico* præstantissimo, ex ipso *Hippocrate* videbimus.

Hippocrates Damageto S.

HOc ipsum coniiciebamus, Damagete, non delirat Democritus, sed in omnibus sapit, nosq́; & per nos omnes homines sapientiores reddit. Remisi autem ad te, amice reuerâ Æsculapii nauem, cui cum Solis signo etiam sanitatem apponito, cùm reuerâ prospero numine vela fecerit, eoq́; die Abderam nauigarit, quo me peruenturum scripseram. Omnes igitur pro portis congregatos offendimus, nos, vt est verisimile, expectantes, non viros solum, verùm etiam mulieres, atq́; etiam senes & pueros, per Deos tristes, itemq́; infantes. Hi sanè sic affecti erant, quòd Democritus insaniret, at ille tunc exacta quadam diligentia Philosophiæ incumbebat. Vbi autē me viderunt,

viderunt, paulùm ad se rediisse, & benè sperare visi sunt. Philopœmen verò me ad hospitium ducere properabat, quod & communiter illis placebat. At ego (viri Abderitæ) inquam, nihil mihi priùs faciendum existimo, quàm vt Democritum videam. Quo audito collaudarunt & lætati sunt, meque continuè per forum deduxerunt, alii quidem sequentes, alii præcurrentes, aliiq. ex parte alii clamantes vt seruarem, adiuuarem, medelam adhiberem. At ego bono animo esse iubebam, quod Etesiarum tempestate fretus, nullum quidem malum, aut certè breui & facile corrigi posse sperarem. Simulq. hæc dicens pergebam, neq. enim procul domus erat, imò neq. tota ciuitas. Audiuimus igitur, cùm iuxtà mœnia esset, illucq. me placidè deducunt. Deindè post turrim collis erat altus, longis & densis populis nigris opacus, vnde Democriti domicilium conspiciebatur. Ipseque Democritus sub vmbrosa & humillima Platano sedebat, in breui & substricta tunica crassa citrà humeros desinente (exomide dictà) solus, squalidus, in lapidea sella, pallidus admodum & macilentus, barba promissa. Iuxtà eum ad dextram tenuis aquula per decliuem tumulum decurrens placidè resonabat. Erat autem delubrum quoddam super tumulum illum, Nymphis quidem, quantum coniicere licèt, dedicatum, sponte enatis vitibus circumdatum. Hic verò compositè admodum librum super genua habebat, & alii quidam vtraq. ex parte ei adiacebant, crebra autem animalium cadauera, per totum dissecta, accumulata erant. Hic autem interdum contento studio scriptioni incumbebat, interdum multùm subsistens, & apud se anxiè cogitans quiescebat. Deinde non multò post his peractis exurgens deambulabat, & animalium viscera attentè inspiciebat, hisq. depositis reuersus rursus desidebat. At verò Abderitæ mihi tristes, nec procul à lacrymantibus oculis assistentes. Vides certè (inquiunt) Hippocrates Democriti vitam, quàm insaniat, neq. quid velit, aut quid faciat, nouit. Et ex his aliquis cùm adhuc eius insaniam mihi magis demonstrare vellet, altos eiulatus ad instar mulieris liberorum mortem lamentantis edidit, deinde rursus ingemuit, viatoris personam gerens, qui, quod gerebat, perdidit. Quibus auditis Democritus partim risit, partim subsannauit, nihilq. amplius scribebat, caput verò crebro concutiebat. At ego, vos quidem, inquam, viri Abderitæ, hic manere, vbi autem ipse propius accessero, & viri verba audiero, corpusq. videro, affectus veritatem cognoscam, hisq. dictis placidè descendi. Erat autem præceps locus ille & pronus, vix igitur gressum retinens permeaui. Vbi verò propius accessi, fortè in eum incidi, cùm sane quid diuino furore actus & concitatus scriberet. Isthic igitur constiti, tempus opportunum, dum ipse cessaret, expectans. At ille non multò post, deposito impetu & stylo scriptorio, me accedentem aspexit, & Salue, inquit, hospes. Et ego, tu quoq. plurimum (inquàm) Democrite, hominum sapientissime. Ille verò pudore suffusus, (opinor) quod me nomine non compellásset. Te vero (inquit) quonam nomine vocauero? Tui enim nominis ignoratio occasio fuit, cur te hospitem appellarem.

larem. Hippocrates (inquam) Medicus vocor. At ille, Asclepiadarum (inquit) nobilitas, tuaq; in arte Medica sapientiæ gloria crebris admodum hominum sermonibus ad nos peruenit. Quodnam verò te negotium (ô amice) huc adduxit? Quin potius omissis omnibus considito. Cernis enim, quàm non sit iniucunda hæc foliis strata sedes, viridis ad hæc & mollis, & ad insidendum blandior inuidia obnoxiis fortunæ sellis. Cùm verò consedissem, rursus inquit, priuatum igitur an publicum animo agitans negotium huc venisti? Eloquere apertè. Ad id enim te pro viribus adiuuabimus. Ego verò, ista sanè vera causa est, huc tui gratiâ venio, vt te virum sapientem conueniam. Occasionem autem patria dedit, cuius legationem obeo. At ille, hospitio igitur primum nostro vtere. Ego verò pertentato per omnia viro, etsi cũ minimè delirare iam mihi constaret, Philopœmenem, inquã, nosti, ciuem vestrum? Ille verò, maximè, inquit, Damonis filium dicis, cuius ædes sunt iuxtà fontem Hermaida? Illum ipsum (inquam) cuius antiquus sum & peculiaris hospes, Tu verò, Democrite, potiori me hospitio excipito, inprimisq;, quidnam scribas, eloquere. Ille verò, paulùm moratus, de Insania, inquit. Tum ego, Iupiter Rex, inquam, peropportunè sanè contrà ciuitatem scribis. At ille, quam ciuitatem, Hippocrates? Nihil, inquam, ô Democrite, sed nescio quomodo mihi excidit. Sed quid de insania scribis? Quidnam verò, inquit, aliud, quàm quid sit, & quomodo hominibus innascatur, & quanam ratione alleuetur. Hæc enim, inquit, quæ vides animantia huius certè rei gratiâ reseco, minimè Dei opera odio prosequens, sed bilis naturam ac sedem inquirens. Nosti enim, quod hæc vbi redundarit, vt plurimum hominum insaniæ causa est. In omni quidem natura inest, sed in aliis quidem minus, in aliis verò copiosius. Huius autem immoderantia morbi existunt, velut materia, partim quidem bona, partim quidem mala subiecta. Tum ego, per Iouem, inquam, ô Democrite, verè & sapienter ais. Proinde te beatum iudico, qui tanta quiete frueris, cuius participes esse nobis non liceat. At eo interrogante, cur, Hippocrates, non liceat? Quod, inquam, aut agri, aut res familiaris, aut liberi, aut æs alienum, aut morbi, aut mortes, aut serui, aut nuptiæ, aut eiusmodi quædam huius opportunitatem nobis rescindant. Tum sanè vir ille in solitam affectionem delapsus, & abundè in risum effusus est, & vehementius irrisit, ac de cætero quieuit. At ego, quid sanè Democrite (inquam) rides? num de bonis aut malis quæ dixi? Ille verò adhuc magis ridebat. Quod procul videntes Abderitæ, partim quidem capita, partim verò frontem cædebant, quidam etiam capillos euellebant. Nam quemadmodum posteà narrarunt, copiosiore, quàm solitus esset, risu vsus fuerat. Tum ego. At verò sapientum optime Democrite (huius enim tui affectus causam deprehendere cupio) quoniam tibi risu dignus visus sum, aut ea quæ dicta sunt, vt hoc cognito, causa desistam, vel tu reprehensus, importunos hos risus summoueas. Tum ille, si mehercle (inquit) redarguere me poteris, curationem Hippocrates, qualem nullus vnquam feceris. Et

quomodo (inquam) optime, reprehensione dignus non videaris, aut te absurdum non esse putas, si hominum mortem rides, aut morbum, aut dementiam, aut insaniã, aut melancholiam, aut cædem, aut quid peius? Aut contrà, nuptias, aut conuentuum celebritates, aut liberorum natales, aut mysteria, aut magistratus, aut honores, aut aliud quid prorsus bonum? Quæ enim commiseratione digna sunt, rides, & de quibus lætari oporteat, ea etiam derides, adeo vti apud te neq; boni, neq; mali vllum sit discrimen. At ille, rectè quidem dicis, Hippocrates, verum risus nostri causam nondum nosti, quam cùm didiceris, certus sum, quod meum risum meliorem curationem pro tua legatione patriæ tibiq; ipsi vicissim reportabis, qua etiam alios prudentiores reddere poteris. Pro quibus fortasse me etiam Medicinam mutuò docueris, vbi cognoueris, quanto studio omnes homines ad ea, quæ negligenda sunt, & nullius pretii facienda contendunt, & in his, quæ risu digna sunt, consectandis vitam consumunt. Tum ego, dic per Deos, inquam, numquid omnis mundus se ægrotare ignorat, neq; habet, vnde sui curationem legatione accersat? Quid enim extrà eum esse potest? Quo audito, multæ (inquit) sunt, Hippocrates, mundorum infinitates, noliq; (amice) naturam diuitem vt paruam existimare. Sed hæc Democrite (inquam) suo tempore docebis. Vereor enim, ne, si quando infinitatem percensueris, ridere incipias. Nunc verò de tuo risu in vita reddendam esse tibi rationem puta. At ille admodum perspicuè in me intuens: Duas, inquit, mei risus causas existimas, bona & mala. At ego vnum hominem rideo, amentia quidem refertũ, rectè factis vacuum, in omnibus consiliis pueriliter agentem, nullius vtilitatis gratia immensos labores tolerantem, terræ fines & infinitos recessus argenti & auri comparandi gratia immoderatis cupiditatibus peragrantem, & nunquam ab his comparandis cessantem, semper verò ad copiam tumultuantẽ, ne, si eâ destituatur, pudore suffundatur, quod felix non dicatur. Quod in terræ hiatus inquirens, eorum manibus effodiat, qui partim quidem à terra inani intereunt, partim verò diutius hac necessitate detenti, in supplicio tanquam in patria permanent, aurum & argentum perquirentes, pulueris vestigia & ramenta peruestigantes, arenam aliam aliunde excitantes, & terræ venas exscindẽtes, ad opulentiam semper terram matrem tanquam hostilem in glebas proscindunt, quàm eandem etiam cum admiratione calcant. Quantum verò rideri debet, quòd terram latentem cum labore amant, apertam contumelia afficiunt. Canes emunt, quidam etiam equos, quidam verò multa circumscripta regione eam sibi adscribunt, & cum multis dominari velint, sibi ipsis imperare nequeunt. Vxores ducere cupiunt, quas paulò post repudiant, amant, deinde odio prosequuntur, cum cupiditate liberos suscipiunt, deindè eos adultos abdicant. Quodnam hoc inane studium & rationis expers, nihilq; ab insania discrepans? Bellum intestinum gerunt, quietem optabilem non ducunt, regibus vicissim insidias tendunt, homines necant, defossa terra argentum inuestigant, argento reperto terram emere cupiunt, terra empta fructum diuendunt, fructibus distributis rursus argentum capiunt.

piunt. Quibus mutationibus & quantis vitiis obnoxii? Cùm opes non habeant, eas expetunt, si habent, abscondunt, dissipant. Eorũ res aduersas derideo, eorũ infortunia intento risu excipio. Veritatis n. instituta violant, contentionis studio hostiles inter se rixas habent. Cũ fratribus verò, parentib. & ciuib. mutuas cædes exercent: idq́; pro iis possessionibus, quarũ nemo post mortẽ dominus esse potest. Iniustã vitam consectantes, amicorũ & patriæ inopiã despiciunt, indigna & inanimata diuitiarũ loco habent, pro vniuersis facultatib. statuam mercantur, quod simulacrũ loqui videatur, eos verò, qui verè loquuntur, odio habent. Res non faciles amore prosequuntur, in continente habitantes, maritima expetunt, rursusq́; insulas tenentes, continentem affectant, cunctaq́; in suã cupiditatẽ peruertunt. Et in bello quidẽ fortitudinem laudare videntur, at in dies à libidinũ indulgẽtia & auaritia vincuntur, & affectib. omnibus tenentur. Thersitis antẽ vitam omnes referunt. Quæ verò in re risum meum, Hippocrates, reprehendisti? Neq́; enim quisquã suam, sed alter alterius amentiam deridet, hi quidẽ ebrios, cum ipsi sibi sobrii videantur, alii amantes, cum ipsi grauiore morbo laborent, hi verò nauigãtes, alii agriculturæ deditos. Neq́; enim artibus, neq́; operibus inter se consentiunt. Tum ego, hæc quidẽ, inquam, vera sunt, Democrite, neq́; alia quæpiã oratio ad conuincendam mortaliũ miseriam cõmodior esse possit. Verùm ipsæ actiones hanc necessitatem veluti decreto quodam imponũt, ad rei domesticæ dispensationẽ, nauium fabricationẽ, & reliquam reipublicæ administrationem, in qua versari hominem oportet. Neq́; enim ad inertiam eum natura procreauit. Ex his rursus latè sparsa ambitio multorum rectè sentientem animum aberrare coëgit, qui ad omnia velut sine lapsu summo studio contendunt, non tamẽ obscuritatem præuidere possunt. Quis enim (ô Democrite) vxorem ducens diuortium aut mortem cogitat? aut liberos educans, interitum? Sed neq́; in agricultura & nauigatione, regno, imperio, & omnibus, quæ sunt in vita. Nemo enim se aberraturum animo ante percepit, sed quisq́; horum bonâ spe pascitur, deteriora verò ne meminit quidẽ. Num igitur tuus hic risus his minimè conuenit? Tum Democritus: Tardo, inquit, es admodum ingenio, proculq́; à mea sententia peregrinaris, Hippocrates, neq́; tranquillitatis & perturbationis modum propter ignorantiam prospicis. Qui enim hæc ipsa prudenti cogitatione disponunt, ii & facile liberantur, & meum risum subleuant. Nunc verò velut in rebus vitæ conuenientibus mente capti cæcutiunt, neq́; mente ratiocinationis experte, inordinatum impetum facile addiscunt. Satis enim fuerit hæc admonitio, rerum omnium commutatio, quæ subitis conuersionibus incidens, repentinam & omnimodam rerum velut rotatarum agitationem in mentis notione reponit. Illi verò tanquam hæc adaptata sit & firma, affectionum continenter incidentium obliti, alter alius quæ tristitiam adferunt expetentes, quæ sunt incommoda inquirentes, in multis calamitatib. assiduè versantur. Quod si quis omnia, quæ facit, pro viribus mente versaret, vitam ab omni casu immunem seruaret, se ipse probè noscens, & suam ipsius concretionẽ apertè

intelligens, cupiditatis studium in infinitum non extenderet, sed naturam diuitem & omnium alumnam per ea, quæ abunde suppetunt, sequeretur. Quemadmodum autem optimus corporis habitus affectionum periculum denunciat, sic magnus rerum successus lubricus est. Alii verò antiquorum res minimè oculis subiicientes, prauis suis actionibus pereunt, manifesta velut obscura non prouidentes, cùm tamē longam vitam exemplum habeant eorum, quæ fiunt & non fiunt, ex quibus quod futurum est cognoscere oportebat. Hæc est mei risus materia, homines imprudentes, improbitatis suæ pœnas dantes auaritiæ, inexplebilis cupiditatis, inimicitiarum, insidiarum, subdolorum consiliorum, inuidētiæ. Difficile est multorum malorum machinatricem solertiam verbis exprimere, cùm eorum sit infinitas quædam, & in his cum dolosis commentis praua mente inter se conuersentur. Apud eos autem virtutis modus habetur, quod est deterius. Mendacia enim amant, & in his se exercent, voluptatis studium extollunt, legibus minimè parentes. Hic autem meus risus quæ ab his nullo proposito consilio fiunt, condemnat, cum neq; visionis, neque auditionis participes sint. At solus hominis sensus recta intelligētia eminus splendescens, quod præsens & futurum est, præuidet. Omnia detestantur, ac rursus ad eadem se adiungunt, nauigationem auersantes, nauigant, agricultura propulsata, rursus agrum colunt, abdicata vxore, aliam inducunt, susceptos liberos sepeliunt, & his sepultis alios procreant, & rursus educant, senectutem exoptant, cumq; eo peruenerint, gemunt, nulloq; in statu firma mente persistunt. Principes ac reges priuatum beatum prædicant, priuatus regium imperium affectat. Qui rempublicam regit, artificem tanquam periculi expertem laudat, artifex verò illum velut in omnia potentiam exercentem. Rectam enim virtutis viam puram, minimeq; asperam, ac inoffensam non cernunt, per quam nullus incedere sustinet. Per inaccessam autem & tortuosam feruntur, & per aspera deiati incedunt & offendunt, pleriq; etiam decidunt, velut si quis prosequatur anhelantes, partim sequentes, partim præcedentes contendunt. Et eorum quosdam impudentia fretos nefandi alieni cubilis corrumpendi amores succendunt, quosdam etiam inordinatus auaritiæ morbus tabefacit, alii mutuas insidias struunt. Alii verò ambitionis studio in aëra subuecti, sceleris grauitate in exitii profunda præcipites deferuntur, diruunt; deinde ædificant, beneficium conferendo gratiam demerentur, deinde pœnitentia ducti, amicitiæ iura violant, maleque afficiendo ad inimicitias deueniunt, & cognationis iura bello appetunt, horumque omnium auaritia causa est. Quanam in re ab infantibus ludibundis discrepant? quos, cùm mens iudicio careat, quicquid se se fortè obtulit, delectat. Quod ad cupiditates attinet, non multum à brutis animantibus differūt, nisi quòd feræ in eo, quod satis est, se continent. Quinā enim leo aurū defossū in terrā abdidit? Quinā taurus alienū vsurpandi cupiditate, ad prælium impetu quodā delatus est? Quæ pardalis inexplebilem auiditatē admisit? Sitis quidē aper, sed quantum aquæ appetit?

appetit? Lupus verò dilaniato quod sese obtulit necessario alimento quiescit. At si dies iungantur noctibus, hominem non capit comessandi satietas. Et anniuersariorum temporum ordo, brutis quidem animantibus coitus finem affert, hic verò insano libidinis stimulo continenter agitatur. Quomodo, Hippocrates, eiulantem ob amorem quod suo commodo priuetur, non derideam? præcipueq; si quis nullo habito periculorum delectu per præcipitia & alta maria feratur, intenso risu non excipiam? Non ridebo eum, qui nauem multis mercibus onustam demersit, deindè mare incusantem quod eam plenam submerserit? Equidem hæc minimè ridicula duco, verum in eos aliquid molesti excogitare cuperem. Sed neq; pro his medicinam esse oportuit, neque aliquem qui pæonia medicamenta conficeret. Cuius rei te admonere debeat tuus ille progenitor Æsculapius, qui pro seruatis hominibus gratam beneficii recordationem fulminis ictus reportauit. Non vides me quoque huius vitii participem esse, dum in insaniæ causam inquirens, animantia macto & reseco; quam in hominibus perscrutari oportuit? Nonne vides mundum ipsum inhumanitate redundare, & infinitas aduersus hominem affectiones cumulare? Totus homo ab ipso ortu morbus est. Dum educatur, inutilis, auxilium supplex implorat; dum increscit, improbus & demens est, institutione puerili indigens, in ætatis vigore constitutus, audax; ætate marcescens, miserabilis, suos labores per imprudentiam excolens. Talis enim ex materno cruore sanie permixto promicuit. Propterea que hi quidem indignabundi & immodica ira referti in calamitatibus & pugnis, alii in adulteriis & stupris perpetuò versantur, alii in ebrietatibus, alii in rerum alienarum cupiditatibus, alii in suis perdendis. Quod si possemus nullo intus relicto velamento omnium habitationes detegere, deinde ita, quæ intus aguntur, inspicere, hos quidem edere videremus, illos verò vomere, alios indignis verberibus torquere, alios venena miscere, alios insidias struere, alios rationibus studere, hos gaudere, illos plorare, hos amicorum accusationem meditari, illos verò nimia ambitione desipere. Et certè quædam sunt in animis altius reconditæ actiones. Et in his partim quidam iuuenes, partim verò senes, petentes, denegantes, pauperes, rebus affluentes, fame oppressi. Hi luxu grauati, sordidi, vincti, illi verò deliciis gestientes, multos alentes. Alii iugulantes, alii sepelientes, ea quæ habent pro nihilo habentes, speratas possessiones captantes, alii quidem impudentes, alii parci, alii inexplebiles, alii quidem interficientes, alii verberibus afflicti, alii superbè se iactantes, alii inani gloria attoniti. Et hi quidem equis addicti sunt, alii hominibus, alii nauibus, alii lapidibus, aut lignis, alii statuis ex ære, alii picturis. Et alii quidem legationibus, alii rei militaris administrationibus, alii rebus sacris. Alii coronas gestant, alii armati sunt, alii interficiuntur. Et horum singuli partim quidem in pugna nauali versantur, partim in militari officio; partim verò in agricultura. Alii verò in nauibus onerariis, alii in foro, alii in concionibus, alii in thea-

tro, alii in fuga, alii verò aliis quibusdam rebus. Et alii quidem ad voluptatis studium, mollitiem, & intemperantiam feruntur, alii ad otium ac desidiam. Cum igitur tot indigenas & miseras animas videamus, quomodo eorum vitam eiusmodi intemperantiæ deditam ludibrio non habeamus? Valdè quoque metuo, ne artem tuam Medicam ipsi non probent. Propter intemperantiam enim implacidè se habent ad omnia, & sapientiam insaniam existimant. Et certè suspicor pleraq; in arte tua, aut per inuidiam, aut per ingratitudinem, palàm contumelia affici. Ægrotantes enim simul ac seruati sunt, causam Diis vel fortunæ attribuunt. Pleriq; verò hoc suæ naturæ assignantes, benè merentem odio prosequuntur, parumq; abest, quin indignentur, si eis operam debeant. Multi etiam artis imperitiam præferentes, cum sint ignorantes, quod melius est, damnant. Calculorum enim suffragia stupidis attribuuntur, neq; ægrotantes simul approbare volunt, neq; eiusdem artis socii testimonio confirmare, cum inuidia obstet. Neque tu huiusmodi contumelias non expertus es, cum probè sciam, hæc quæ in memorabilibus affectionibus fiunt, te per causam aut inuidiam nunquam lubenter conuitiis insectatum. Veritatis enim nulla est cognitio, neq; testimonii confirmatio. Quæ cum diceret, subridebat, mihiq; Damagete, diuina quadam specie, prioremq; formam oblitus esse videbatur. Tum ego, Democrite præstantissime, magna hospitalitatis tuæ munera mecum in Co reportabo, cum multa me sapientiæ tuæ admonitione compleueris. Præco enim tuarum laudum reuertor, quod naturæ humanæ veritatem inuestigasti, & mente complexus es. Accepta autem à te mentis curatione discedo, cum id tempus postulet, vt corpori consulatur. Cras verò, ac deinceps ad eundem locum reuertemur. Quæ cum dixissem, perrexi, ille verò me comitari paratus erat. Cumq; quidam, haud scio vnde, accederet, libros tradidit. Et ego ad Abderitas, qui me speculantes expectabant concitatiore gressu redii. Viri, inquam, Abderitæ, pro vestra ad me legatione magnas habeo gratias. Democritum enim virum sapientissimum vidi, qui solus homines ad sanam mentem reducere potest. Hæc habui, Damagete, quæ de Democrito tibi læto admodum animo narrarem, Vale.

Hæc etsi prolixior videri alicui queat oratio, quàm vt huic quæstioni interseri fors debeat, nihilo minus tamen cum de vitiis in homines grassantibus, de rerum mundanarum vicissitudinibus, de mutationibus, variisq; ac ludicris in actione humana vicibus, inprimis de caussa risus *Democriti*, quo quidem is res mortalium vniuersas explodebat, tanquam stultas & lubricas, multa sapienter atque egregiè disserat, docet atque, operæ pretium fore præcogitauimus, sicubi tàm insignes sapientissimi Philosophi meditationes, ab *Hippocrate* an[illegible]tatas, in gratiam & commodum lectoris hoc loci adduceremus. Quo nomine pariter vnam atque alteram epistolam *Democriti* de re Medica ad *Hippocratem* perscriptam non possumus non insuper prætcritis adiicere, quò ita completa velut, quantum ex diuino *Hippocrate* licet, admirandi *Philosophi* vitæ historia, inprimis in re *Medica* summa cognitio, euidentiora euadant.

Sequi-

Sequitur igitur *Epistola Hippocratis* ad *Democritum* exarata, quâ ipsum Naturæ & Mundi interpretem, falsò ab *Abderitanis* insanientem habitum, ad amussim extollit prædicatque.

Hippocrates Democrito S.

IN arte Medica quæ rectè fiunt, plerumq. quidem hominum vulgus non admodum laudat, sæpè verò Diis attribuit. At si in aliquo repugnans Natura, eum qui curatur, interemerit, Numen prætermittens, Medicos incusat. Et egò sanè plus reprehensionis, quàm honoris ex Arte mihi consecutus videor. Neq. enim, quantumuis iam senex, ad Artis Medicæ summam perueni, neq. etiam ipsius inuentor Aesculapius, sed & ipse à se se in multis dissensit, velut eorum, qui scripserunt, libri nobis tradiderunt. Tua sanè quidem ad nos missa epistola, per veratrum medicationem reprehendebat. Accitus igitur sum, Democrite, velut insanientem veratro purgaturus, cum coniicere non possem, qualis tandem esses. Postquàm verò tecum versatus, non per Iouem, desipientiæ opus, sed omni propè fauore prosequendum cognoui, magnoperè ingenium tuum laudaui, teq. præstantissimum Naturæ & Mundi interpretem indicaui, eos verò, qui me acciuerunt, tanquam insanos, accusaui, cum ipsi medicatione indigerent. Quandoquidem igitur casu contigit, vt nos vnà conueniremus, rectè feceris, si ad nos crebriores literas dederis, & à te conscripta commentaria ad nos transmiseris. Misi autem etiam ad te de Veratri vsu libellum, Vale.

Vt denique appareat quàm minimè insanus, contrà verò sapiens & admirandus fuerit philosophus *Democritus*, agedum ipsum-met ex ipsis, quibus *Hippocratem* per literas compellat, verbis loquentem isthîc audiamus.

Democritus Hippocrati S.

AD nos venisti, Hippocrates, vt tanquam insanis veratrum exhiberes, à stultis hominibus persuasus, quidem virtutis labor insania reputatur. Tum autem fortè de orbis ornatu, polorum ac insuper de astrorum cœlestium descriptione scribebamus. Cum autem horum naturam cognouisses, quàm valdè aptè essent fabricata, & quàm procul ab insania & dementia essent posita, naturã quidem meam laudasti, illos verò, amentes, immites, & insanos indicasti. Quæ enim permutata per inane feruntur, & simulacris nos decipiunt, quæ sanè mundus esse conspiciũtur, & vicissitudine quadam sibi succedentia fabricata sunt, ea mens nostra dum naturæ veritatẽ indagatur, in lucem produxit. Harum rerũ testes sunt libri à me conscripti. Minimè igitur, Hippocrates, cum huius-modi viris, quorum mens in summo fluctuat, & inconstans est, te congredi aut conuersari oportet. Nam si ab his persuasus, mihi tanquã insano veratrum propinasses, prudentia in insaniam euasisset, artemq. tuam velut dementiæ causam increpauissent. Veratrum enim sanis exhibitum menti tenebras offun-

offundit, insanis vero multum prodesse consueuit. Existimo enim, quod si non me scribentem, sed recumbentem, aut fortè deambulantem offendisses, & mecum cogitantem, modo quidem ea, quæ animo agitarem, implacidè ferentem modo etiam ridentem, & me conuenientibus familiaribus mentem non adhibentem, sed stupendum in modum mente & contemplatione in rem aliquam incumbentem, ex his sanè, quæ vidisses, Democritum insaniæ imaginem præ se ferre oculis tuis iudicasses. Medicum igitur non solum ex aspectu, sed ex reipsa affectus iudicare decet, & modulos vt plurimum, & vna morbus incipiat, aut in medio sit, aut in fine, discernere, & considerata temporis natura affectus curare. Ex his enim omnibus facile morbum deprehendas. Tuum autem de Insania scriptum ad te remisi. Vale.

Quum igitur *Democritus* de *Mundi ornatu, polorum* atque *syderum cœlestium* constitutionibus grauissima, prout ipse asserit, scripserit commentaria, atque alios eiusdem sapientiæ, libellos disertissimos, ecquis eum, vel ex his tantum, insignem atque admirandum *Philosophum*, inprimis physicum, & totius *Naturæ atque Mundi*, iuxtà *Hippocratis* elogium, *interpretem* præstantissimum fuisse inficiabitur?

Cæterùm, quo insuper declaremus, eundem prædictum *Democritum Philosophum*, ex professo (vt aiunt) *Medicum* quoque atque *Anatomicum* eminuisse, elegantem ipsius epistolam *de Natura humana*, vel corporis humani structura ad *Hippocratem* exaratam, isthûc, coronidis vice, transponemus, quæ talis est.

Democritus Hippocrati: de Natura humana.

OMnes artem Medicam nosse conuenit, ô Hippocrates, cuius præclara simul res sit ad vitam conducibilis, tum verò vel maximè eruditionis & eloquentiæ peritis. Sapientiæ enim cognitionem Medicinæ sororem, & familiarem esse duco. Sapientia siquidem animi perturbationes exhaurit. At Medicina corporum morbos pellit. Mens autem increscit, cum adest sanitas, cuius curam habere eos, qui rectè sentiunt, præclarum est. Vbi verò corpori[?] [illegible] bitus dolet, mens ad virtutis exercitationem nullam adhibet diligentiam. Præsens enim morbus animum vehementer hebetat, & intelligentiam in affectus cognationem secum adducit. Humanæ verò naturæ descriptio hanc habet speculationem. Cerebrum quidem in summa corporis parte præsidio locatum est, ad securitatem sibi concreditam, intrà membranas neruosas collocatum, suprà quod duplicia ossa ad necessitatem adaptata, dominum mentis custodem, cerebrum, cooperiunt. Pilorum concinna ratio cutem exornat. Oculorum verò cernendi vis intrà multas tunicas insistentibus humoribus velut in caluo delitescens, sub fronte ad moderationem collocata, cernendi causa est. Pupilla sincera palpebræ extremam oram ad opportunitatis custodiam sustinet. Nares duplices odoratus arbitræ, oculorum viciniam dirimunt. Labra verò os molli suo conta-

contactu circumplexa, verborum sensum & exactam articulationem regunt, & efficiunt. Mentum autem in extremitatem desinit, & testudinis in modum connexum, Dentium cauis coaptatur. At aures Opifex ad sermones excipiendos aperuit, in quas cum sermo subit, certus temeritatis minister euadit. Lingua loquentiæ mater, animi nuncia, gustus custodiæ præfecta, tutis dentium sepimentis munita est. Guttur ac Gula iuxtà sese coaptata, viciniam habent. Illud enim in spiritus viam, hæc verò in ventriculi profundum liberaliter propellendo alimentum demittit. Cor regium locum obtinens, coniformam habens, aduersus omnes insultus Thoracem induit. Crebræ autem spiritus cauernæ, aeri peruiæ, spiritum vocis causam pariunt. At Hepar, quod sanguinem suggerit, & in alimentum transmutat, cum fibris plerumq; vena caua alluitur, cupiditatisq; causa est. Bilis pallida in Hepate manens, vbi in corpore humano redundat, ipsum corrumpit, eiusq; noxius, & inutilis est incola. Splen ex aduerso iacet, nullum negotium exhibens. Horum medius Ventriculus omnia suscipiens, chorum ducit, & recumbit, coctionem moderans. Intestina verò, quæ ventris compositione continentur, constituta vti cum eo agitentur, per ventrem conuoluuntur, eorum, quæ assumuntur, & excernuntur, causa. At gemini Renes coxis insidentes, & adipe circumdati, ab vrinarum excretione non alieni, natura sunt comparati. Omentum vocatum toti ventri dominatur, eumq; solo liene excepto complectitur. Vesica deinceps neruosa, coxæ ore per complicata vasa insidens, vrinarum excretionis causa existit. Huic vicina Infantium Mater, grauis calamitas, sexcentarum ærumnarum mulieri author Vterus delitescit. Cuius osculo Caro præficitur, quæ ex imis coxarum recessibus erumpens, Neruis astringitur, ex plenitudine naturæ ventris effundens, ex partus prouidentia. Extrà corpus pensiles, domum incolunt, ad generationem conditi, Testes, multiplices tunicas habentes, Pubes autem ex venis & neruis ad beneuolentiam contexta, vrinarum effusionem facit, ad Veneris ministerium à Natura condita, pubertatis appetentiam coarctat. Crura & Brachia, hisq; annexa extrema, totum officii principium coaceruatum habent, totamq; neruorum administrationem perficiunt. Incorporea autem in imis recessibus Natura, viscerum omne genus fabricauit, quibus sanè Mors insistens, ea celeriter administratione soluit.

Hæc hûc-vsq; *Democritus*, vel potius *Hippocrates* de *Democrito*; quę quidem ad institutum nostrum sufficiunt. Qui plura amat, consulat diuinum *Hippocratem* in *Epistolis* ad *Philopœmena*, & *Dionysium*. Eccum igitur iam tibi *Democritum*, non tanquam duntaxat *Philosophum* profundissimum, sed *Medicum* etiam, etiam *Anatomicum*, sapientissimum: quæ omnia ad quæstionis suprà propositæ illustrationem peropportunè faciunt, quâ interrogatur; *An Democritus Medicus, & quidem Botanicus atq; Destillator* (vt hodie vocant) *extiterit?* Iam autem (prout in præcedentibus abundè demonstratur) si *Medicus* is *Anatomicusque*, imò *Physicus*, imò autore *Hippocrate*, totius *Naturæ* & *Mundi* interpres fuit præstantissimus, quid impedit, credere, imò affirmare, eundem *Democritum*, *herbarum*, *lapidumq;*, id est cum *Vegetabilium*, tùm *Mineralium* eximiam habuisse cognitionem? Quò

faciunt autorum non triuialium aliorum tantum non suspiciones, sed etiam verificationes. Inter cæteros verò *Plinius libr. xxv. cap. II. histor. natural. Democritum* inter eos recenset, qui de viribus herbarum, primi velut, scripserunt, atque commentati sunt, de quibus toto eo capite agitur. Sic autem ille: *Dixit Democritus,* (inquit) *credidit Theophrastus esse herbam, cuius contactu illata ab alite, quam retulimus, exiliret cuneus à pastoribus arbori adactus, quæ etiamsi fide carent, admirationem tamen implent, coguntq; confiteri, multum esse, quod vero superfit. Indè plerosq; ità video existimare, nihil non herbarum vi effici posse, sed plurimarum vires esse incognitas.*

Lucianus item in *Philopseude* autor est, *Democritum* in monumento clusum fuisse, atque ibi admiranda illa scripsisse.

Ælianus quoq; *libr. IV. variar. histor. cap.* XX. vnà *Democriti* & *Theophrasti* mentionem peragit, aitque eundem multas regiones adiisse, & meliora collegisse, quàm *Menelaus*, vel *Vlysses* fecerit. *Democritum Abderitam* (ait) *fama est tum in aliis singulari fuisse sapientia, tum in hoc, quod ignorari & latere cupiebat, atq; in eam curam diligenter incubuisse. Proindè multas terras adibat, & perueniebat ad Chaldæos atq; in Babylonem, & ad Magos & ad Sophistas Indos.* Et posteà: *Propter eam causam* (addit) *laudatus est à Theophrasto, quod circumiens meliora collegerit, quàm vel Menelaus, vel Vlysses. Nam illi circumerrabant non aliter quàm mercatores Phœniciæ,* &c.

Si igitur *Theophrasto* familiaris *Democritus*, ab eoque collaudatus fuit, verisimile est, eundem quoq; herbarum studiis deditum extitisse. Permultos autem eiusce temporis tantum non *Philosophos*, sed & *Principes, Regesq;*, herbarum stirpiumq; cognitioni addictissimos fuisse, euidentissimum est, vt præter *Mithridatem, Teucrum*, aliosq; Reges gentiles, sapientissimus *Iudæorum Rex Salomon* disputarit de omnibus herbis plantisq; *à Cedro* ad *Hyssopum* vsq;, illudque studium Rege maximè condignum, aliis successiuè Magnatibus velut per manum commendatissimum fecerit.

Iust. Lipsius lection. Antiquar. libr. I. cap. VIII. ad hunc *Petron.* locum. *Itaq;* (habet) *argilla herbarum omnium succos &c. id est, in testa, seu vase argillaceo coxit.*

Schoppius. libr. II. Verisimil. cap. XIIX. pro *argilla arculam* supponit ex veteris scripturæ vestigiis.

Alii *Harcula* legunt: Alii verò ex *Vitruuio* euidenter demonstrant, *Arcam* esse machinam, quâ marinus fluctus à portu reprimitur. Indè *Arcula* diminutiuum descendit, machina scilicet, quâ humor aliundè exprimitur.

Quandoquidem igitur in præmissis à nobis demonstratum sit, *Democritum* tantum non insignem *Philosophum*, sed etiam excellentem *Medicum, Anatomicumq;*, imò testimonio magni *Hippocratis*, præstantissimum totius, Naturæ & Mundi interpretem fuisse, tũ quoq; cum *Theophrasto* vixisse, atq; inter primos herbariæ rei scriptores à *Plinio* relatum esse, rectè enunciatum fuit à PETRONIO nostro hanc in sententiã: *Itaq; hercules* (inquit) *omnium herbarum succos Democritus expressit: & ne lapidum, virgultorumque vis lateret, ætatem inter experimenta consumpsit:* quibus nos verbis conati sumus pro virili lucem afferre.

Coronidis vel corollarii loco, vindicandi igitur honoris tanti Philosophi, *Democriti*, inquam, probare non possum, quæ *Francisc. Petrarch. I lib. I. rer. memorand.* ex *M. Tull. Cicerone*, super *Democrito* affert, eum scil. oculos sibi erui passum fuisse, cum persuasus foret varias imagines, quæ per oculos corporeos in animam irrepunt, cogitationis acumen obtundere, vt huius-cemodi phantasmatibus aditum obstrueret; Ciceronis autem verba

verba sunt isthæc: *Democritus* (inquit) *luminibus amissis, alba scil. & atra discernere non poterat; at vero bona, mala, æqua, iniqua, honesta, turpia, vtilia, inutilia, parua, magna, poterat sine variatione colorum: licebat viuere beatè, sine natione rerum non licebat, atq; hic vix impediri aciem conspectu oculorum arbitrabatur: & cum alii sæpè, quod antè pedes esset, non viderent, ille infinitatem omnium peragrabat, vt nulla extremitate consisteret.* Hæc Cicero: quæ quidem *Petrarcha* dubitanter accipit inquiens: *Flagrans huius propositum miror, sed inane consilium obstupesco.*

Quod si autem illud verum fuit de oculorum *Democriti* spontanea priuatione, sibi de industria, vt aiunt, illata, miror primum, *Hippocratem* qui diligenter alioquin super *Democrito* omnia annotauit, ne verbulo quidem eiusce rei meminisse. Potius itaque isthoc fictum dixerimus, ob summum in *Democrito* philosophandi latendiq; desiderium, nisi tantis autoribus iniuria fiat. Quæ enim isthæc vera dementia? Quomodo potuisset scribere *Democritus*? Recenset enim in Epistola ad *Hippocratem*, se te scripsisse de *orbis ornatu, polorum, astrorumq; conditionibus.* Quo pacto igitur ad *Hippocratem* dedit, si cæcus fuit? Quid? quòd ipse *Hippocrates* disertè profitetur, *Democritum* commentaria scripsisse, quæ sibi communicari petit.

Figmentum igitur sit, oportet, quicquid isthîc dicant aut *Gellius*, aut *Cicero*, bonâ eorum cum pace, qui quidem illud ab aliis dubio procul autoribus Græcanicis falso acceperunt. Nisi id forsan (quod obiici nobis possit) in extrema ætate commiserit *Democritus*? At istud eò magis veræ fuerit dementiæ specimen, quum contrà diuinus *Hippocrates*, autor fide dignissimus, eum sapientissimum facilè mortalium fuisse tradiderit. Quod si enim philosophandi studium fuit admirari, ad excitandum animum non leue calcar habere videntur oculi: prout eleganter edisserit Petrarcha, alter velut, si quisquã alius, sui temporis *Democritus*, verum oculorum custos studiosissimus. Et *vndè* (inquit) *oro, crebrius atq; profundius, quam per oculos admiratio in animum descendit?*

Similem in modum legimus *Homerum*, Poëtarum maximum, cum friuolam, vt aiunt, nautarum quæstionem ex tempore soluere nequiret, præ pudore illicò sibi laqueo guttur perfregisse: quod vt putidum commentum meritò explodit riderque, *Democriti* hîc more, *Ioan. Rauisius*; cui nos totidem verbis libenter atque ex animo subscribimus.

Non enim (inquit) *credibile est, virum illum Philosophiæ peritissimum, tanta rerum experientia præditum, tàm leui, tamq; nullo argumento vitam relinquere voluisse.* Et profectò (vt hoc insuper addamus) si tàm leuiter *Homerus*, atq; insanienti similimus ipse sibi manus intulisset, næ decem illas *Græciæ* ciuitates de *Homeri* huius honore atque patria decertasse, veritati consentaneum nunquam fiat. Idem de *Democrito* hîc esto iudicium.

Caput XX.

Helleborus duplex, *Albus*, & *Niger*, secundum *Dioscoridem*. Vtriusq; descriptio. *Matthiolus* plures species recenset. Modus colligendi *Helleborum*. Præparatio, vires, atq; vsus vtriusq; *Helleborus* inprimis insaniæ medetur. Insaniæ causa, *Pituita* & *Bilis*. Vtrumque tollit *Helleborus*. Hinc in Insanientes Prouerbium: *Hellebore opus habet*: itemque: *Nauiget Anticyras*. In *Anticyra* enim vberrimus *Hellebori* prouentus. Cur à PETRON. dicatur *Chrysippus ter Hellebo: o* animum detersisse? Philosophi veteres ad

acuendum ingenium vtebantur *Helleboro* Vocabulum *ter* quomodo hoc loci accipiendum? Vehementiam atque ἀκρίβειαν potius videtur, quàm ternarium semper, aut ternionem, denotare. Perfectionem ita quoq; atque ἐξοχὴν arguit. Ternarius numerus habetur quoq; in mysticis. Idem *Hecatæ* atq; *Inferis* sacer. Contra *quaternionem* præferebant *Pythagorici Bis*, vel *binarium*, idem aliquando, quod *Ter*, signat. *Chrysippus* itaque non necessariò *ter Helleboro* vsus fuerit, sed semel, idq; cum efficacia, valenter, atque accuratè. Magnis enim cautelis, quoad vsum *Hellebori*, opus est. Quæ faciunt, vt vix credibile sit, *Chrysippum ter* eiusdem vsum iniisse.

HElleborus idem est quod *Veratrum*. Eius duas potissimum species recenset *Dioscorides lib. de mater. medic.* IV. c. CL. *Helleborum* nimir. *Album* & *Nigrum*. *Album*, ait, habere folia plantagini aut betæ syluestri similia, sed breuiora, nigriora, dorsoq; rubescentia; caulem concauum, palmi altitudine; radices numerosas, tenues ac fibratas, ab exigua ceu cæpa, vel capitulo erumpentes. Nascitur in locis montosis & asperis: sicut nos aliquando mense *Februario* in *Italia* in collibus *Florentinis Bononiam* versus pulcrè florentem inuenimus. Optimus est *Dioscordi Anticyrenus*, deindè *Galaticus & Cappadocicus*. *Niger Helleborus Dioscoridi* vocatur præcipuè *Melampodion*, quod caprarum pastor, *Melampus* nomine, furentes *Præti* filias eo primus purgasse & sanasse creditur. Folia habet viridia, platani similia, sed minora, foliis spondilii proxima, pluribus diuisuris scissa, nigriora, & subaspera, caulem breuem, flores candidos, semen intus cinci, quod & *Anticyræi* sesamoides vocant, & in purgationes adhibent. Radices subsunt tenues, nigræ, è capitulo, seu cæpa dependentes. In asperis editioribus, atq; aridis locis prouenit. Optimus est *Anticyrenus*, item carnosus, plenusque, cui medulla tenuis, gustus verò acris ac feruens. *Heliconius* hîc quoque *Dioscoridi* laudatur, qualis in *Parnasso* monte nascitur. *Germani* nostri vocant weiß vnd schwartz Nießwurtz; indè dubio procul, quod ramenta *Hellebori*, vel puluis naribus subditus, sternutamenta potenter cieat.

Mathiolus plures species *Hellebori* tàm *Albi* quàm *Nigri* constituit, quarum primam dicit folia numero XI. eodem in caule sustinere. Secundam huius speciem vocat *Leontopetalum*, quod folia gerat *Leontopodii* similia. His annumerat *consiliginem Columellæ*, vulgò Leußkraut/ item *Pseudo Helleborum Nigrum*, qui in *Bohemia* colligitur, atque ab officinis pro vero introducitur. *Helleboro* vero, *Albo* idem accenset *Helleborinen*, nec non *Ophridem*, siue *Bifolium*, & *Vnifolium*, vulgò zwey Blatt/ vnd ein Blatt/ propter foliorum cum *Helleboro* affinitatem.

Quod ad modum colligendi attinet: *Dioscorides* vult, vt *Hellebori albi* radices messibus colligantur. De *Hellebori* verò *Nigri* collectione quædam superstitiosa aspergit. *Quamobrem (inquit) & qui ipsum effodiunt, stantes Apollinem & Aesculapium precantur, obseruantq; Aquilæ volatus: eam enim alitem tradunt non citrà periculum aduolare, atq; etiam ei mortē inferre, quem veratrum effodientem conspexerit. Celeriter quoq; effodiatur, oportet, quoniam halitu, auraue sua caput aggrauat: quapropter ad id præcauendum, effossuri alia præsumunt, vinumq; subindè sorbent: ità siquidem ab afflatu securiores, noxæq; minus opportuni redduntur.*

In officinis *radices Hellebori*, quantum ad præparationem facit, vulgò in vmbra siccantur, abiectis interioribus & medulla. *Mathiolus* vult, vt radices spatio XXIV. horarum in vino, vel oxymelite infundantur, posteaq; siccentur ac puluerisentur, de quibus detur pondere drachmæ semissis, cum potu vini calidi mane. Potest etiam dari radix per biduum in vino, vel per biduum in iusculo carnis, infusa, cuius colaturæ sumitur haustulus.

Inter.

Inter eius *corrigentia Cinnamomum* loco non postremo venit. Alioquin acutum & valde potens est medicamentum, adeò vt ipse *Galenus*, *Mathiolo* teste, nunquam legerit *Helleboro* intra corpus exhibito vsus esse. Eius itaque vsus non temerè intra corpus ineundus, & non nisi in grauissimis affectibus, v. gr. *Epilepsia*, *Vertigine*, *Insania*, *Hydrope*, *Ischiade*, *Spasmo*, *Lepra*, *Quartana*, *Melancholia*, *Podagra*, & similibus morbis aliis diuturnis ac facilè non expugnabilibus.

Niger Helleborus Dioscoridi purgat per inferna; *Albus* verò per vomitum varii coloris humores exturbat. Idem *Album* collyriis miscet, & Menses pellere, foris que appositum partus necare affirmat. Eodem sternutamenta mouentur, mures cum melle polentaque subactis interficiuntur, carnesque, si vnà coquatur, absumuntur, colliquanturque. *Nigrum* verò valere prædicat contra comitiales, articularesq; morbos, itemque melancholicos, maniacos, & paralyticos. Idem subditus Menses ciet, partusque necat, fistulas expurgat, auditui difficili medetur, si in aurem immittatur, inibique per biduum triduumve sinatur. Scabiem prætereà curat cum thure, cera, pice, ac oleo cedrino perunctus, vitiligini ac lepræ medetur ex aceto impositus. Idem insuper *Dentium* dolorem mitigat cum aceto gargarisatus; septicis quoque medicamentis miscetur, & denique Hydropicorum ventri cum farina hordeacea & vino vtiliter imponitur. Hæc de viribus *Hellebori* vtriusque *Dioscorides*.

Cæterùm radicis *Hellebori* vsus (quam vulgo Christwurtz appellant) multiplex est, in vlceribus, fistulisque antiquis. In peste quoque ad Bubones cum fructu à multis adhibetur, præsertim militibus, qui spithamæ spacio infrà, Bubonem cutim forcipe apprehendunt, styloque ignito (opus verò hîc tolerantia) perforant, & radicem *Hellebori* butyro perunctam in locum perforatum indunt: quod quidem remedium valde insigne esse prædicant ad euocandum euacuandumque virus pestilentiale, sicut tradit *Mathiolus*. Verùm hîc alius modus, qui ab aliis commendatur, nobis magis arridet. Infra Bubones enim (quod magis placet) spithamæ longitudine vesicas eleuant, & dein puluerem rad. *Hellebori* inspergentes locum cum *foliis Aaronis* obuoluunt, obligantque.

Plinius libr. Natur. histor. libr. xxv. *cap.* v. inter alia multa de *Helleboro* ad finem ista habet, quæ velut in compendio hîc adducere allubescit: *Medetur ita* (inquit) *morbis comitialibus, vt diximus, vertiginis, melancholicis, insanientibus, lymphaticis, elephantiasi albæ, lepris, tetano, tremulis, podagricis, hydropicis, incipientibusq; tympanicis, stomachicis, spasticis, clinicis, ischiadicis, quartanis, quæ aliter non desinant, tussi veteri, inflammationibus, torminibus redeuntibus*. De quibus omnibus, qui volet, eodem loco apud *Plinium* plura videre potest.

Et hæc huc-usque de vsu atque viribus *Hellebori* in genere.

Quantum iam verò ad *Hellebori* vsum in specie & κατ' ἐξοχὴν accepti, attinet, partim ex *Dioscoride*, partim verò *Plinio*, liquet, *Helleborum* contra insaniam multum conferre. Eo ipso enim, quo *Helleborus* à *Plinio* dicitur aluum ducere, *Bilem* imò *Pituitamq;* euacuare, clarum fit, eundem etiam vtiliter contra insaniam atque dementiam adhiberi; cùm *Insania* potissimùm ex abundantia tum *Pituitæ* (quæ species mitis est) tum *Bilis*, (quæ trux & ferox) promptè enascatur: prout *Hippocrates* in *Epistolis habet tractatione de Insania*. Ita autem ibi differit: *Insanientibus ob humiditatem Cerebri, in quo animi sunt officia, cùm humidius, quàm pro natura, fuerit, moueri necessum est. Quod cùm mouetur, neq; visionem, neq; auditionem quiescere, verùm aliàs varia tum videre, tum audire, linguamq; ea, quæ sigil-*

latim viderit & audierit, differere. Eo autem tempore homo sapit, quo cerebrum quiescit. Cerebri verò corruptio ex Pituita & Bile oritur. Vtrumque hoc modo dignosces. Qui enim ex Pituita insaniunt, quieti sunt, neq; clamosi, neq; tumultuantes. Qui verò ex Bile, hi verberant, malefici sunt, neq; quiescunt, &c.

Ex quibus perspicuum euadit, quænam *Insaniæ* caussa sit.

Cùm igitur *Helleborus* naturâ suâ atque ἰδιοσυγκρασίᾳ, quâ electiuè alioquin purgantia prædita sunt, *Pituitam* atque *Bilem*, tanquam veras & naturales caussas fomitesque *Insaniæ* è corpore exturbet, remotis vtrique & sublatis caussis (prout hi triuiis inculcãt) etiam ipsum morbum, *Insaniam* scilicet, tanquam effectum, remoueri necessum fuerit. Præter hæc, accedit, diuinum *Hippocratem*, *Medicorum* facilè maximum, cùm à S.P.Q. *Abderitanorum* vocatus foret ad *Democritum* curandum, quem falsò insanientem putabant, ipso hoc *Helleboro*, seu *Veratro*, tanquam vero ac genuino *Insaniæ* alexipharmaco, instructum rem aggredi proposuisse: prout ipse *Hippocrates* postmodum ad *Democritum* sequentibus verbis professus est: *Accitus igitur* (meminit) *sum, Democrite, velut insanientem veratro purgaturus, cum coniicere non possem, qualis tandem esses.*

Huc illud quoque facit, quod *Helleborus*, autore *Dioscoride*, *Melampodion* vocatur, ab inuentore scil. *Melampóde*, vate videlicet, vel eiusdem nominis pastore, quòd is animaduertisset eodem capras purgari. Vnde dato eorum lacte sanauit *Præti* filias furentes, *Prætidas* dictas: de quibus vide *Desid. Erasmum, Chil.* I. *Centur.* IIX. II. & Politian. in Miscellan. cap. 50.

Adeo autem penes veteres celebris fuit *Helleborus*, vt *Hippocrates* non tantum in *Aphorismis*, atq; *Epistolis* eius sæpiusculè meminerit, verùm etiam peculiarem de *Veratri purgatione* tractationem reliquerit.

Ab isthac igitur medendi consuetudine, quâ insanientes *Helleboro*, vel *Veratro* purgabantur, in prouerbium abiit postmodum, vt illi, qui pro insanis habebantur, dicerentur, vulgò *Helleboro* opus habere. Iidem iubebantur ad *Anticyras* nauigare, vbi loci *Hellebori* felix frequensque esset prouentus; prout suprà quoq; ex *Dioscoride* didicimus, *Helleborum Anticyrenum* omnibus aliis *Hellebori* speciebus palmam præripere. Hinc veterum illud ἐλλεβορᾶν, ἐλλεβορίζειν, id est, *insanire*. Et qui parum animi constant, ἐλλεβόρου δέονται id est: *Helleboro opus habent*.

Hac occasione illud *Aristophanis in Vespis* natum est: πῖθ' ἐλλέβορον: id est, *Helleborum bibe*: quo ipso insanum aliquem denotat.

Plautus in Menæchmis desperatam insaniam sequentibus coarguit:

Non potest hæc res trium iugerum Helleboro obtinerier.

Idem de *Helleboro* pronunciat *Horatius*:

Expulit Helleboro morbum bilemq; meraco.

Idem *Ouidius lib.* IV. *in Epistol. Ponticis*:

I, bibe, dixissem, purgantes pectora succos,
Quicquid & in tota nascitur Anticyra.

Idem vult *Persius*:

——— *Anticyras melior sorbere meracas.*

Eodem alludit quoque *Ausonius ad Theonem*:

Helleborumq; bibas Samii Lucumonis acumen.

Demosthenes prætereà in Actione *Æschinem* monet, vt sese *Helleboro* is purget. Idem inculcat

cuſcat *Lucianus in Dialogo Menippi & Tantali:* Ἀνοεῖς ὦ Τάνταλε, καὶ ὡς ἀληθῶς ποτοῦ δεῖσθαι δοκεῖς ἀκράτου γε ἐλλεβόρου νὴ Δία: id eſt, *Deſipis, Tantale, &, vt verè dicam, Helleboro poto tibi eſt opus, eoq́; ſanè meraco.*

Idem adagium ab *Horatio* eleganter nouatur, atque aliam velut faciem induit, dum ità in inſanum Satyricôs inuehitur:

Nauiget Anticyras ———

Græci efferunt: Πλεύσειν εἰς Ἀντικύρας: *Nauigare Anticyras.*

Eâdem verò figurâ (addit *Deſider. Eraſmus*) veteres reddiderunt quoque: Πλεύσειας εἰς Μασσαλίαν: id eſt, *Nauiges Maſſiliam.*

Cæteroquin vt de *Anticyris* clariùs loquamur, præter *Dioſcoridem* ac *Plinium*, qui *Helleborum Anticyrenum* omnibus reliquis ſpeciebus præpollere tradunt, *Strabo libr. x. Geograph.* duas *Anticyras* eſſe ſcribit, in quarum altera, quæ ſit poſt *Criſſam* oppidum, *Helleborum* naſci, in altera verò, eiuſdem nominis, quę ad ſinum *Maliacum* & *Oetam* montem ſita ſit, optimè temperari eundem perhibet. In poſteriorem autem quàm plurimis è regionibus adnauigari, ſanitatis igitur, aſtruit.

Pauſanias pariter libro vltimo commeminit, montes ſuprà *Anticyram* eſſe magnopere pretioſos, in quibus copioſe proueniat *Helleborus*. Is *nigro*, ait, aluum purgari, *albo* contrà vomitum cieri.

Contrarium ſentire videtur *Horatius*, dùm de *tribus Anticyris* occinit:

Si tribus Anticyris caput inſanabile nunquam
Tonſori Licino commiſerit ———

Quem locum ità explicat, magnus ille literarum *Hercules*, *Eraſmus Roterodam.* vt aſſerat, *Horatium* eo loci non quidem tres diſtinctas *Anticyras* intelligere, ſed deſperatam prorſus arguere inſaniam, eamque immedicabilem, cui omnes *Anticyræ*, licet tres eſſent, omniſque atque vniuerſus *Helleborus*, quicunque ſit, expugnandæ non ſufficiat.

Verùm enim verò iſthæc opportunè videntur ad textum noſtrum PETRONIANVM applicari poſſe, atque huic themati lucem non perperàm afferre, quo legimus penes ARBITRVM noſtrum. *pag. 22. Chryſippus* (inquit) *vt ad inuentionem ſufficeret, ter Helleboro animum deterſit.* At! antequàm, quid videl. *ter* illud ſibi velit, expediamus, prius aliquid de ſingulariori *Hellebori* vſu ad leuanda capitis mentiſque vitia aſpergendum fuerit.

Certum autem atque indubitatum eſſe conuenit, euacuatis *Pituitâ* & *Bile* in corpore humano abundantibus p. n. corpus, adeoque ipſum reſpectiuè animum, multum alleuari, nouos, eosq́; temperatiores ſpiritus ex corpore ad ἐνεργείαν diſpoſito gigni, adeoque hominem ad tradendas tractandasq́; res arduas, inuẽtiones, ſubtilitatesq́; perſcrutandas longè agiliorem, expeditioremq́; reddi. Hinc inualuit conſuetudo apud veteres *Philoſophos*, vt non pauci ſtudiorum cauſsâ ad ea, quæ meditabãtur, ingenioſius accuratiusq́; inueſtiganda, ſæpiuſculè *Helleboro* vterentur. Quod ipſum affirmat *Deſid. Eraſmus*, dum ſic effert *Chil. 1. Cent. 1 IX. L I. Quod ipſum* (inquit) *tamẽ adeò vulgatum eſſe cœpit, vt plerią; ſtudiorum gratiâ, ad peruidenda acrius, quæ commenꞇabantur, ſæpius* (*Helleborũ* *puta*) *ſumpſitauerint.* Inter cæteros autem *Carneades Philoſophus* hoc medicinæ genere ad prædictam intentionem vſus fertur: de quo idem *Eraſmus* ibidem: *Nominatim autem Carneades Academicus ſcripturus aduerſum Stoici Zenonis libros, candido Helleboro ſuperiora corporis purgare ſolitus legitur; ne quid ex corruptis in ſtomacho humoribus, ad domicilia vſque animi redundaret, & inſtantiam vigoremq́; mentis labefaceret.*

Idem

Idem inprimis astruit *Valer. Max. libr. IIX. cap. IIX.* de *Carneade: Idem (ait) cum Chrysippo disputaturus, Helleboro se antè purgabat, ad exprimendum ingenium suum attentius, & illius refellendum acrius: quas potiones industria solidæ laudis cupidus effecit appetendas.*

Quòd denique ad *Ternionem*, vel *Ter* spectat, dum dicitur, apud ARBITRVM nostrum, *Chrysippus* quoque Philosophus, quò ad inuentionem sufficeret, *ter Helleboro* animum detersisse; arbitror equidem, non semper eâ particulâ ternarium numerum intelligendum esse, sed eo ipso significari potiùs, aliquid accuratè, exquisitè, atque cum efficacia factum esse. Quem in modum, magnus ille literator, *Desider.* inquã *Erasmus*, *Horatii* illud, quod suprà allegauimus, de *tribus* scil. *Anticyris*, interpretandum censet de insania immedicabili, desperatâque, cui ne quidem *tres Anticyræ* ad purgandum mali fomitem sufficiant. Idem agit *Plautus* his verbis, vt suprà attigimus: *Non potest (inquit) hæc res trium iugerum Helleboro obtinerier.* Quasi dicat: Etsi tres, aut omnes, plures-que, quot quot sunt, *Anticyræ* concurrerent, ad purgandam scil. expugnandamq; istius hominis vesaniam, nihil tamen idcirco obtinebitur, cùm morbus, vel malum vsque adeo desperatissimum existat. Quid? quòd *est illud etiam nunc vulgò vsitatum, vt, Si quid asseueret vehementius, id ter repetant*, autore *Desid. Erasmo.* Τρὶς itaque, siue *ter*, non semper numerum, sed efficaciam, atque vehementiam arguit. Quem in modum *Homerus* prodidit, *Charybdim ter* in die reddere, quod absorbuit, *terq;* resorbere, quod reddiderat; cùm tamen secus constet ex *Strabonis lib. I. Geograph.* hoc ipsum non amplius fieri nisi bis in die.

Quâ in significatione tum *Oratores*, tum *Poëtæ*, tàm veteres, quàm recentes, vocabulo *ter* creberrimè vtuntur, ad significandum, aliquid magni atque accurati subesse. Hinc vsitatæ sunt illæ formulæ *ter* beatus, *ter* felix, *ter* optimus, *ter* maximus, *ter* inclytus, &c. quæ omnia pariter in contrariam & malam significationem torquentur, vt quando dicimus, *ter* scelestus, *ter* execrandus, *ter* infelix.

In priori significato notissimum est illud *Virgilii*:

——ô terq; quaterq; beati!
Queis antè ora patrum, Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere——

Gallicani quoque in moderna lingua ad indigetandam rei alicuius excellentiam κατ' ἐξοχὴν adiicere soliti sunt *ter*, v. gr. dum dicunt: *Tres illustre, tres humble, tres aggreable, tres puissant*, & similiter, ex positiuo scilicet, adiectione illius particulæ *tres*, superlatiuum caussantes.

In sinistram partem, ad rei alicuius abominationem vtimur quoque, quamuis rarius, voce *ter*. Sic apud *Desid. Erasmū* legimus *Chil. III. Cent. VI. LXXXII.* Τρία κάππα κάκιστα: id est: *Tria cappa pessima.*

Dein, neque etiam istud negari potest, *ternionem* olim apud *Græcos*, priscosque autores quandam veluti perfectionem præ se tulisse. Id quod hodie etiam-nunc quoque communiter obseruatur, vt id vulgo ratum habeatur, quod *ter* repetitum, factumque fuisset. Veteribus quoque *ternarius* numerus sacer atque mysticus erat, quando in mysteriis magicis creberrimus eius vsus extat. Quo alludit *Theocritus*:

Ἐς τρὶς ἀποσπένδω, καὶ τρὶς τάδε πότνια φωνῶ.

Id est:

Ter libo, ter & hæc pronuncio mystica verba.

Ad cuius

Ad cuius imitationem *Virgilius in Pharmaceutricis:*

Terna tibi hæc primum triplici diuersa colore
Licia circumdo, terq; hæc altaria circùm
Effigiem duco. Numero deus impare gaudet.

Et ne putetur *ter* numerum magis, quàm ἀκριβῶς, designare, *Poëtæ* interdum, & quidem crebriùs, *quater* addunt, æquè enunciantes, *quater beatus*, *quater felix*, *quater inclytus*, & similiter. Et quidem hoc *Pythagoricis* vsitatum fuisse ferunt, vt per *quaternionem* iurarent. Existimabant enim hunc numerum eò vsque ad animæ perfectionem facere, vt eum in arcanis venerarentur. *Pythagoras* verò ipse in *carminibus aureis quaternionē* (quem τετρακτὺν appellant) sacrum animæ fontem vocat: vt autor *Roterod. Chil.* I I. *Centur.* I X. X X X I.

Sic *bis*, vel *numerus binarius*, penes *Ouidium* eodem significato in vsum ducitur, ad cōfirmandam, duplicandamque rei alicuius fidem, atque efficaciam:

Omnia bis dices vera fuisse mea.

Cui simile tritum illud:

Qui citò dat, bis dat.

Idem *binarius* simul in aduersam significationem torquetur, veluti apud *Desiderium Erasmum* extat *Chil.* I I I. *Cent.* V I. L X X X I I. *Duplex cappa.*

Atque vt hoc de *ternario* adiiciamus, cōstat eum numerum apud *Inferos* insuper honoratum fuisse, tanquam *Hecati* sacrum, cui ob id *Triglapiscis* sacrificatur. Eius etiam imago in triuiis olim exponebatur. Hinc *Virgilius:*

Tergeminamq; Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Ex quibus nunc omnibus non potest non euidentissimum esse, quomodo nimirū *Helleborus* contra *Insaniam* valeat, tum mentis acumen atque solertiam acuat: tum præcipuè quo pacto *ter*, vel *ternio* non semper pro numero, apud autores, sed pro ἀκριβῶς atque ἰδίως accipienda veniat. Vnde consectarium elicitur, *Chrysippum* non iccircò tribus vicibus *Hellebori* vsum conduplicasse, triplicasseque, sed potius egregiè atque accuratè vnicâ vice euacuasse.

Quòd si enim, prout annotauit *Plinius libr. Natur. histor.* X X V. *cap.* V. cauendum est, in *Helleboro* propinando, I. ne detur die nubilo; impatientes enim sic caussaret cruciatus: I I. ne detur in *Hyeme*, sed *Æstate* potiùs; quod de *Veratro albo vomitiuo* potissimum accipiendum putamus, autoritate *Hippocratis*, qui *Aphor. l.* I V. *aph.* V I. Vomitum *Æstate* potiùs præcipit quàm *Hyeme*. I I I. Ne detur corpore impræparato. Corpus autem diebus septem antè præparandum esse docet *Plinius*, idque cibis acribus, abstinentiâ vini, quarto & tertio die vomitionibus, pridie denique cœnæ abstinentiâ; vtique, cum tantæ difficultates circa eius vsum, antequam is ineatur, occurrant, non videtur denuò *Chrysippus* Philosophus *Helleboro* tribus ideo vicibus vsus fuisse, sed semel, sed τρὶς, accuratè, & cum efficacia, id quod suffecisse potuit.

Et sic huic quoque quæstioni, imò ipsi PETRONIO, satisfactum esse hoc loci confidimus, cuius verba, nostra quidem opinione, non possunt non ex prædictis illustrari.

FINIS LIBRI PRIMI.

JO. PETRI LOTICHII, D. MEDICI

QVÆSTIONVM PETRONIANARVM de Re Medica Resolutiones:

Siue

RESPONSORVM

de

Remediis Medicis ex PETRONI ARBITRI Satyrico *propositis*,

LIBER SECVNDVS.

Caput I.

S*Vspensi* & strangulati, adhuc viuentes, restitui possunt; quamdiu ore spumam non edunt, autore *Hippocrate*. Ea spuma maximè differt à spuma *Epilepticorum*. Exprimitur enim è *Pulmonibus*: vnde expressâ natiuâ humiditate calor naturalis extinguitur. Historiæ *furum*, qui suspensi, atque Anatomicis sectionibus destinati, reuixerunt. *Adagiorum* trias circa hanc materiam. Furor virginum *Milesiarum* sponte se se strangulantium, quo pacto repressus? Suspendium genus supplicii valdè probrosum. Historia stupenda, *mulieris* suspensæ, *parientis* è cruce. Et comparatur *Myrrha* apud *Ouidium* in arborem sibi cognominè transformatæ partus, quo *Adonis*, *Veneris* amasius, prodiit.

QVÆ *pag.* 26. sequuntur apud PETRONIVM nostrum, de suspensis atque strangulatis agunt, qui ad vitam reuocantur, sicubi in tempore ipsis succurratur. Sic autem ARBITER:

Meq; (inquit) *à fatali iam meta reuocauit ad lucem*, &c.

Hæc autem est fatalis meta vitæ, per quam lux suspensis adimitur, vt rectè ad hunc locum *Dn. Goldastus*.

Resp. Pro quorum resolutione, liquet, rectissimè verba allegata ex *Hippocrate*, Medicorum Principe, illustrari posse. Is enim disertè asserit, strangulatos, siue suspensos, tamdiu ad vitam redire posse, quamdiu spumam ore non concipiunt. Verba *Dictatoris* libr. II. *Aph.* XLIII. ità habent: *Qui strangulantur, aut resoluuntur, necdum tamen animam efflârunt, non restituuntur, quibus os obsitum spumâ est.* Ergo reciproca ratione, quicunque strangu-

ſtrangulantur, necdum animam reddiderunt, reſtituuntur, quamdiu os obſitum illis ſpumâ non eſt.

Referendus igitur hic locus PETRONIANVS eſt non ad pathologiam, morbos, aut febres, quæ è cauſſis phyſicis originem ducunt, ſed ad mortem fatalem, atque ea, quæ mortem violentam inferunt, ſicut illis accidit, quibus laqueo guttur infringitur. Per laqueum enim reſtimque violento modo tollitur actio, per quam eſt vita, nimirum reſpiratio, ſine qua ne momento quidem homo ſaluus ſubſiſtere poteſt. Aëris quippe occurſus nobis perpetuò eſt neceſſarius, vt qui ad vitam ducendam præcipuas agit partes, eſtque caloris noſtri intimi, quem natiuum vocamus, optimus moderator, & conſeruator præcipuus, prout diſputat *Marcell. Donatus libr. III. de medicin. mirabil. cap. VII. de miris ſuffocationibus: Vrinatores* quoque teſtimonio ſunt, aëre nos vel momento ſine noxa carere non poſſe. ſicut confirmat *Iacob. Sylvius Comm. in libr. Galen. d. diff. febr. cap. VI.*

Interim obſeruatum eſt, ſuſpenſos quoque non nullos ad vitam fuiſſe reuocatos. Sicut ſuperioribus annis noſtrâ memoriâ accidit *Gelnhuſæ*, ciuitate Imperiali, vbi quidam recèns ſuſpenſus, & quaſi iam ſtrangulatus, fracto è patibulo fune, aſtante hominum coronâ, decidit, paulatimque ad ſe rediens manu-miſſus aufugit, vt qui carnifici & laqueo ſatisfeciſſet.

Rectè iccircò diuinus *Hippocrates* hanc clauſulam & cautionem adiecit, tum demum ſuſpenſos, quantumuis adhuc viuentes, non reſtitui, ſi os ſpumâ nimirum obſitum habeant. Quam quidem ſpumam iſthoc in violento ac fatali agone lethalem, optimè differre tacitè innuit à ſpuma Epilepticorum, qui, dum cadunt, ac paroxyſmo corripiuntur, multoties ſpumam edunt, ſed abſque vitæ periculo. Contrà illa ſpuma, quæ in ſuſpenſis apparet, è Thorace, & Pulmonibus exprimitur, quorum ea humiditas eſt propria, quâ fatiſcente de ſalute hominis conclamatum eſt. Sic autem hanc differentiam inter alios rectè explicat doctiſſimus *Ioan. Heurnius com.* ad *aphor.* præfatum XLIII. *libr. II. Hippocrat. Vel quibus* (inquit) *circum os ſpuma apparet. Nam in corde (ob motum acciſum Thoracis) intercepta fuliginis copia tantum feruoris Pulmoni infert, vt propriam illi humiditatem exprimat: vnde gignitur ſpuma illa. Quare longè aliam cauſam agnoſcit hæc ſpuma, quàm illa, quæ eliditur in Epilepſia. Ab hac ergò promptè extinguitur & ſtrangulatur calor natiuus, nam intercipiuntur omnino fuligines.*

P. Bayrus, Archiater olim Sabaudus, *libr. VIII. Pract. Empiric. cap. III. de ſtrangulatione*, remedium meminit ſtrangulationis eſſe, à cauſa externa prouenientis, funem nimirum remouere. Sed nimis hoc Empiricum ac vulgare eſt. Sic autem ille: *Quandoque* (inquit) *ſtrangulatio fit à cauſa extrinſeca, ſcil. cum fune, & alia re guttur ſtringente, & eius cura eſt, cauſam illam remouere:* quòd ſublatâ ſcil. cauſâ tollatur effectus, & remedium hîc quoque per contrarium peragatur. Quod idem remedium paulò elegantius exprimit, cultiſſimus Poëtarum *Ouidius*, in *Myrrha*, ob inceſtuoſum in *Cinyram* patrem amore, quo ſe ſe potiri poſſe dum deſperat, ſuſpendium ſibi intentans, à nutrice ſuperueniente liberatur, per laquei abſciſſionem. Sic autem Poëta, *Metamorphoſ. libr. X.*

——— At virgo Cinyreïa peruigil igne
Carpitur indomito, furioſaq; vota retractat.

Vu 2 *Et modò*

Et modò desperat, modò vult tentare, pudetq́;,
Et cupit, & quid agat, non inuenit. Vtq́; securi
Saucia trabs ingens, vbi plaga nouissima restat,
Quò cadat, in dubio est, omniq́; à parte timetur:
Sic animus vario labefactus vulnere nutat
Hùc leuis, atq́; illùc, momentaq́; sumit vtroq́;
Nec modus & requies, nisi mors reperitur amoris.
Mors placet: erigitur, laqueoq́; innectere fauces
Destinat; & zona summo de poste reuincta
Chare vale Cinyra, caussamq́; intellige mortis,
Dixit, & aptabat pallenti vincula collo.
Murmura verborum fidas nutricis ad aures
Peruenisse ferunt, limen seruantis alumnæ:
Surgit anus, reseratq́; fores, mortisq́; paratæ
Instrumenta videns, spatio conclamat eodem,
Seq́; ferit, scinditq́; sinus, ereptaq́; collo
Vincula dilaniat.

Idem nos aliquando in *Holoferne* nostro attigimus, vbi *Achior, Princeps Ammonum*, quòd causam tueretur *Hebræorum*, in obsidione *Bethuliæ* ciuitatis, à milite Holoferniano suspenditur, atque superuenientibus *Iudæis* pariter liberatur:

——Holofernis mox ad mandata iubentis
Accurrit clypeata cohors, duriusq́; cathenis
Impediunt caput, atq́; intortis corpora vinclis,
Bethuliæq́; altos abducunt agmine montes.
Hìc vbi Iudææ turbantur milite turbæ,
Secedunt montes iuxtà, laqueoq́; ligata
Ociùs è summo suspendunt guttura ramo,
Arripiuntq́; fugam: celeri vestigia cursu
Obseruata legit Iudææ copia gentis,
Liberat & vinclis suspensum, atque vltima secum
Verba retorquentem: vacuas efflata per auras
Spiramenta animæ redeunt, perituraq́; vincla
Linquit ouans ACHIOR, *mœstumq́; abducitur vrbem.*

Quid? quòd ipse etiā PETRONIVS suspendium describit, eiusdemque remedium, *pag. 26. Inclusus ergò,* (inquit) *suspendio vitā finire constitui: & iam semicinctio stanti ad parietem spondam iunxeram, ceruicesq́; nodo condebam, quum reseratis foribus intrat Eumolpus cum Gytone, meq́; à fatali iam meta reuocauit ad lucem.*

Et paulò post: *Gyton præcipuè ex dolore in rabiem efferatus, tollit clamorem, me vtrâq́; manu impulsum præcipitat super lectum.*

Cæterùm, apud *Diomed. Cornarium*, in *histor. admirandis*, extat historia vna atque altera, de furibus suspensis, & postmodum ad Anatomicas sectiones destinatis, qui reuixerunt; quas citat quoque *Clariss. V. D. Horstius libr. VII. ad Marcell. Donatum, cap. IX.* Prior autem talis est: *Anno 1440. XVI. die Martii, Decano facultatis Medicæ existente M. Ioanne de*

Baumgarten/*octo fures suspensi fuerunt. Ex quibus vnus ad Spiritum sanctum introductus est, ac corpus eius destinatum Anatomiæ. Sed quia iterùm ope & industria Medicorum Viennensium reuixit, liber dimissus est. Hæc ità* (addit) *descripta reperiuntur in antiquo Collegii Medici Actorum libro, anni superius allegati.*

Altera vero historia similis, at paulo luculentior, ità se se habet: *Anno* 1490 *Conradi Praitenauers de Puechberg, ob furta suspensi & strangulati, corpus Facultati Medicæ secandum tradebatur. Animaduertunt Medici, aliquem adhuc spiritum vitalem in hoc corpore superesse, quamuis morti valdè propinquum esset. Proindè ex vtraq; Cephalica sanguinem largum detraxerunt, aliaq; necessaria administrarunt. Apparuerunt in illo symptomata horribilia, suffocationem minantia, spuma circà os notabilis aderat & perseuerans; propterea Medici Hippocratis aphorismum* XLIII. *sect.* III. *allegabant, vbi ait Hippocrates: Strangulati & dissoluti, nondum mortui, non reconualescunt, quibus spuma circà os fuerit. Hunc trium literarum hominem fortissimè constrictum, ob vehementes capitis, pedum, imò totius corporis commotiones (nulla enim in homine erat quies) quatuor personæ fortes athleticæ tenuerunt, alias, ne seipsum denuò interfecisset, periculum fuisset, mente nimir. laborantem. Retulit posteà, se non posse in memoriam reuocare ea, quæ secum acta fuerant: se tantum meminisse, quod in prætorio fuerit, sed, quid posteà factum sit, se ignorare. Hic tandem, comite pedello ad B. Virginem in Oetingen patriam suam iuit, quo in loco hæc historia pro miraculo depicta est. Dicitur etiam post multa noua furta denuò suspensus esse: siquidem, quod coruis debetur, vix submergitur.* Hæc Cornarius.

Idem, nisi fallor, euenisse dicunt cum eo, qui nuper *Gelnhusæ, Anno M. DC.* XIIX. laqueo perrupto elapsus est. Is enim ne adagio, vel veri verbio iniuriam faceret; postmodum, ob furta recens patrata, denuo comprehensus & verè suspensus coruisque datus fuisse hominum sermonibus dicitur. *Coruis enim,* autore *Cornario, quod debetur, vix submergitur: Germani* nostri vernacula lingua ità enunciant: Was an den Galgen gehört ersaufft nicht bald im Wasser.

Veteres in re vehementer indigna, neque vllo pacto toleranda, *Arborem suspendio deligendam esse dicebant.* Vt hinc natum sit prouerbium: *Suspendio deligenda arbor. Des. Erasmus* eo id refert, eiusque originem, quod olim in *Theophrastum,* Philosophum præcipui nominis, ausa sit scribere *Leontium* meretrix. De qua re *Plinius Secund. in præfat. histor. natur. Ceu vero* (inquit) *nesciam, aduersus Theophrastum, hominem in eloquentia tantum, vt nomen diuinum indè inuenerit, scripsisse etiam feminam, & prouerbium indè natum, suspendio arborem eligendam.*

Qui enim cogitant de consciscenda sibi nece, solent alii aliud suspendii genus eligere, vt appareat, illos hoc agere non impotentia mentis, sed certo, destinatoque consilio, vt asserit *Des. Erasmus.*

Præcedenti affinis est sequens parœmia: Ἀπὸ καλοῦ ξύλου κἂν ἀπάγξασθαι: id est: *De pulcro ligno etiam strangulari conuenit.* Quasi minus miserum futurum sit suspendium, si quis ex arbore pendeat insigni. Admonet autem *Adagium,* calamitatem esse tolerabiliorem, si cum aliqua honestate coniungatur. Simile huic est illud quoque: *Si demergendus sim, in aqua pura me demergam.* Hoc est: *Si pereundum est, honesta morte perire satius sit:* Vel: *Si peccandum, honestiori id faciendum titulo.* De quibus vide *Des. Erasmum Chil.* II. *Cent.* II.

His minimè absonum est hoc quoque: *Cur non suspendis te?* Addunt autem huic parœmiæ hæc verba: *vt apud Thebanos heros fias?*

Qui enim pro patria mortem oppetebant, sicut fuit apud *Atticos Codrus*, apud *Romanos Decii, Q. Curtius, M. Cato Vticensis, Brutus*, atque alii, non postremo in honore erant. Secus verò res sese habebat apud *Thebanos*. Hi enim αὐτόχειρες nullo honore prosequebantur. Per ironiam igitur de *Thebanis* dicitur, atque in eos quadrat, qui cupiditate gloriæ, pericula grauiora adeunt: suffragante *Roterodamo Chil.* II. *Cent.* VIII. XV.

Quanquam autem iuxta *M.T. Ciceronem*, pulcrum sit pro patria mori; nihilo-minus tamen neminem facilè Romanorum aut gentilium, nisi summè desperatum, ignominiosa ista morte, suspendio nimir. vitam finiisse facile compertum habemus, vt multò minus pro patriâ aliquis tàm abominandi lethi genere fauces sibi præcluserit. Præter id enim, quod olim apud *Iudæos*, teste sacro codice, coram Deo suspensi pro maledictis habebantur, neque vltra vesperam eius diei in cruce pendere permittebantur, manifestum quoque fit è secularibus scriptoribus, id supplicii genus nimis funestum, atque probrosum extitisse. Sic autem *Ioan. Rauisius Theatr. philos. libr.* III. *cap.* XIII. *Suspendium* (inquit) *est supplicii genus, quo ducti ad furcas malefici, faucibus laqueo constrictu, infelicem reddunt spiritum. Quæ mors maximè erat probrosa. Nam in pontificalibus libris cautum fuerat, vt tales insepulti abiicerentur. Vnde Virgilius de Amata Lauiniæ matre sic ait:*

Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta.

Pleriq; mortem hanc præposteram vocant. Eâ hodie apud nos puniuntur latrones & homicidæ. Hæc *Rauisius.*

Ouidius lib. XIV. *Metam.* idem videtur innuere his verbis de *Iphi:*

Atq; onus infelix elisâ fauce pependit.

Quò magis admirari subit furorem *Virginum* olim *Milesiarum*, quæ, referente *Polyæno*, nulla accepta calamitate, laqueis sibi mortem accersebant. Nulla igitur re alia absterreri ab hoc infami letho potuerunt, nisi postquam consilio matronæ cuiusdam *Milesiæ* strangulatæ per forum tractæ sunt, vndè metu illius infamiæ deinceps laqueis abstinuerunt. Sic autem autor *stratagemat. lib.* VIII. *Mileti* (ait) *furiosus luctus virgines cepit. Plurimæ enim earum, nulla accepta calamitate, subitò laqueis vitam finiebant. Milesia quadam femina suadebat, vt strangulatæ per forum efferrentur. Id consilium omnium suffragiis comprobatum, cohibuit virgines, quo minus sibi mortem cuperent consciscere. Post mortem enim ignominiam verentes, à laqueis in posterum abstinuerunt.*

Memorabilis, imò stupenda historia refertur à *P. Ebero in Calendar. histor.* de grauida suspensa, è patibulo gemellos viuos post obitum pariente. *Anno* (tradit) 1567. *die* XIV. *Iunii, inter Dauentriam & Sutphaniam, ab Hispanis maritus cum vxore grauida suspenditur. Vxor cum pependisset per horas quatuor, gemellos viuos mortua peperit.* Rationem eiusce facti astruit hanc *Clarif. D. Horstius lib.* VII. *ad Marcell. Donatum cap.* IX. Aliquandiu sine respiratione sensibili quendam viuere posse, quando sola transpiratione calor natiuus ab omni moda suffocatione defenditur, quod etiam accidisse arbitratur in hac grauida suspensa, id quod ibidem altero exemplo ritè probat grauidæ cuiusdam alterius, quæ falso pro mortua habita, in sepulcro peperit, prout post aliquot menses aperto sepulcro cognitum fuit, inuento nimir. cum matre infante mortuo.

Idem fere docet *Fel. Platerus, obseruat. medicar. libr.* I. de quatuor feminis suffocatis atq; in Rhenum præcipitatis, quæ nihilo-minus superuixerunt. Caussam autem huius reconualescentiæ, atq; suffocationis impeditæ in deliquium animi, atq; ipsam syncopen refert, qua durante, licet cordis motus interim cesset, vita quoq; adhuc persistat, redeun-

redeunte quoque dein cordis motu: vigor ac vita redeat; prout in hystericis quoque pathematibus accidere statuit, vt per horæ sæpè spatium nec pulsus, nec respirationis, aliqua, vel minima inditia, appareant, & nihilominus tamen posteà ad se redeant.

Superiori vero historiæ, quando grauida mulier suspensa post obitum viuos, demum gemellos peperit, non omnino dissimilis esse videtur id, quod apud *Ouidium, libr.Metam.x.* de *Myrrha*, è *Cynira* parente grauidæ, adeoque in arborem transformatæ, partu, quo *Adonis Veneris* ille amasius, puer formosissimus, natus est, proditur. Sic autem ibi habetur:

At malè conceptus sub robore creuerat infans,
Quærebatq́, viam, qua se genitrice relicta
Exereret. media grauidus tumet arbore venter.
Tendit onus matrem, neq́, habent sua verba dolores,
Nec Lucina potest patientis voce vocari.
Nitenti tamen est similis, curuataq́, crebros
Dat gemitus arbor, lacrymisq́, cadentibus humet,
Constitit ad ramos mitis Lucina dolentes,
Admouitq́, manus, & verba puerpera dixit.
Arbor agit rimas, & scisso cortice, viuum
Reddit onus, vagitq́, puer, quem mollibus herbis
Naiades impositum lacrymis vnxere parentis.

Caput II.

ARanea, secundum *Ouidium*, virgo fuit, *Arachne* dicta: quæ postquàm sese suspendio strangulasset, commiseratione *Palladis* in *Araneam* transformata. Eius in texenda tela dexteritas *Aranea* telam ex intestinis texit. *Lupus* à *Dioscoride* cur vocetur? *Araneorum* vsus in medicina ad varios affectus multiplex. *Vnguentum Populeonis* cum telis *araneorum* in morbi principio non satis tuto adhibetur. Globulus ex tela *Araneorum* cum pane comestus, experimento est contrà *Febres intermittentes*. Telæ *Araneorum* valent contrà hæmorrhagias vulnerum, inprimis adiuncto *oleo* adhibitæ Idem faciunt ipsi *Aranei*, oleo imprægnati, secus ac sentit *Ian. Dusa*. Ex *Araneis* oleum quoque paratur, *oleo Scorpionum* simile. *Balsamus vulnerarius Samaritani* ex *oleo* & *Vino*. Vndè PETRONII locus explicatus. Per translationem, loco *Adagii*, *Aranea* sumitur pro paupertate. *Rationes Dialectica*, itemque *Leges*, comparantur telis *Aranearum*.

PAG. 29. extat: *Araneis oleo madentibus vulnus, quod in supercilio factum erat, sanauit.*

Quæritur: *An veteres Medici isthoc quoque remedii genere vsi fuerint?*

Resp: Priusquam ad quæstionis propositæ scopum recta accedamus, nihil nocuerit, historiam *Araneæ*, sicut apud *Poëtas* extat, in limine præmittere. *Araneam* autem virginem fuisse, & quidem *Arachnen* dictam, è *Lydia* oriundam, præter alios, disertissimus Poëtarum *Ouidius*, *Metam.libr.*vi. fabulatur. Quæ sicubi *Palladi* in artificio ducendi stamina cõcertare ausa fuisset, (excellebat enim eo in operis genere) victa est. Præ dolore igitur ac pudore, suspendio se necans, *Palladis* commiseratione, in *Araneam*, animal

animal netticibus affine, transmutata est. Vndè etiam nunc pristino more telas suas expandere cernitur. Verba autem *Poëtæ* super *Arachne* sunt hæc:

Non illud Pallas, non illud carpere liuor
Posit opus: doluit successu læta virago,
Et rupit pictas cœlestia crimina vestes.
Vtq; citoriaco radium de monte tenebat,
Ter, quater Idmoniæ frontem percussit Arachnes.
Non tulit infelix, laqueoq; animosa ligauit
Guttura, pendentem Pallas miserata leuauit,
Atq; ità, viue quidem, pende tamen, improba, dixit,
Lexq; eadem pœnæ, ne sis secura futuri,
Dicta tuo generi, serisq; nepotibus esto.
Postea discedens, succis Hecateïdos herbæ
Sparsit, & extemplo tristi medicamine tactæ
Defluxere comæ, cum queis & naris, & aures,
Fitq; caput minimum, toto quoq; corpore parua est,
In latere exiles digiti pro cruribus hærent.
Cætera venter habet. De quo tamen illa remittit
Stamen, & antiquas exercet Aranea telas.

Sed Ouidiana isthæc sunt, & licet ex ingenio ficta, in politicis tamen vsu suo nequicquam carent! Sanè miretur aliquis *Araneam*, animalculum artificiosum, quod ex propriis intestinis telam operosè texit, qua dein expansa muscarum venationem instituit, tanquam venator aliquis in retia fetas agens. Eius industriam, atque insidias quod telis suis venatur, admiratur, inter alios, *Ioan. Langius Epistol. medicinal. libr.* II. *Epist.* II. *Nunquid* (inquit) *araneoli, mirâ artis textoriæ industriâ* (*quâ Arachne, ob id in araneam versa, Palladem superauit*) *ex lanigero & lento corpusculi succo rete nent, in quod si quid insectorum inciderit, id subito insultu arreptum conficiant & exugant?* Hinc à *Dioscoride holcus, aut lycon*, quod *lupum* sonat, appellatur: dubio procul, quod muscis, lupi instar, insidietur. Hinc est etiam, quod *Arachne* dicitur *Retia & lina* inuenisse. Eius verò filius, *Closter* appellatus, *fusos* reperisse fertur.

Etsi autem non *Palladi* solum, sicut habent *Poëtæ*, sed omnibus vsque adeo hominibus inuisum sit insectum, nihilo-minus tamē, licet tantopere aliâs venenatum, multis in affectib. salutem atq; opem humano corpori affert. *Dioscorides*, autor antiquissimus, *Araneo* (quē, vt diximus *holcon*, aut lycon, id est, lupum, vocat) cum Emplastro subacto, linteolo superinducto, frontique aut temporibus imposito *Tertianæ* paroxysmos propulsat. Quin-imò *tela eius* (inquit) *apposita sanguinem sistit, & vlcera, quæ summam cutem occuparunt, ab inflammationis iniuria vindicat*: vt habet *d. mater medic. lib.* II. *cap.* LXVIII. Quibus verbis nescio quid clarius, ad præsentem PETRONII locum illustrandum, afferri possit. Non solum enim contra hęmorrhagiam *Aranei* telas, quod etiam muliercułis nostris, imò pueris notum est, prædicat, sed inprimis ad vlcera, quæ summam cutem occuparunt, (quale vulnusculum apud PETRON. ex anserino morsu in summa cute, supercilio scil. factum erat) atq. ad inflammationem arcendam præscribit *Dioscorides*, quæ cum ARBITRI mente mirificè coincidunt.

Idem

Idem Autor aliud *Aranei* genus describit, quod candidam, renuem, densamque telam ordiatur. Illud aluta inuolutum, ac de lacerto suspensum *Quartanæ* circuitibus mederi, decoctum verò ex rosaceo, eiusdemque infusum, *Aurium doloribus* auxiliari tradit.

Communiter autem atque in triuiis notissimum est, *telas aranearum* sanguinem sistendi, glutinandi similiter, refrigerandique vi valere. Hæmorrhagias enim cohibent, & vulneribus recentibus imposita, pus abarcent, eaque curant, & tumorem prohibent, autore *Ad. Lonicero in herbario*. *Araneus oblongus*, (inquit idem) *pedibus minutulis præditus, contusus, atque in oleo veteri infusus, soluit vlcera vetusta, quæ in oculorum etiam pupilla sunt, nec non oculorum albuginibus medetur*.

Quid? quod contrà *Pestem*, itemque *febres Acutas* (prout quidam volunt) *Araneus* testæ auellanæ, vel iuglandis, inclusus, colloque appensus, præseruatiui non contemnendi loco efficax esse prædicatur. Puluis *Araneorum* exsiccatorum morsibus animalium, ac venenatis aliis vulneribus inspersus, virulentiam quoque educit, vulnusque noxa liberat. Sic *Araneus* viuus in oleo fabarum suffocatus curat morsus ictusque animalium venenatorum. Eodem oleo si *petechiæ pestilentiales* inunguntur, præsertim quæ fuscæ & nigricantes sunt, virulenr a educitur. Easdem virtutes tela *Araneorum* sortita est, quæ imposita ictibus morsibusque virulentis prodest: idemq. facit, si in puluerem redacta inspergitur. In hæmorrhagia, quantumuis vehementi, *tela Araneorum* imposita, sistit fluxum, prohibet phlegmonem, vulnusque ab omni impuritate atque symptomate defendit. Tanta est Dei conditoris Opt. Max. infinita benignitas, vt etiam insecta, alias venenatissima, in commodum hominis cedant. Sic eadem tela *bubonibus pestiferis*, sed apertis, imposita, virus extrahit, ad sanationem perducit, neque ad cor venenum regurgitare permittit. Iis etiam, qui *febribus Acutis* tenentur, aiunt *telas Araneorum* cordis regioni vtiliter imponi, modo per spatium XII. horarum ità relinquantur. Sic enim virus educi tradunt, adeoque calorem cordis restingui. Sic eædem telæ fronti obiectæ medentur *Cephalalgiæ*, atque iis, qui paraphrenesi laborant. *Fel. Platerus*, Practicus felicissimus, in *Intermittentibus febribus*, inprimis *Tertiana*, crebro, ac cum successu, præscribit *telas Araneorum*, quas cum *vnguento Populeonis* subactas paroxysmi tempore applicat manuum carpis, itemque temporibus, idque, propinato repetitoque haustu sudorifero, ter iterat, febremque curat, præmissis tamen, vt vocant, vniuersalibus.

Verba ipsius autoris, quæ habentur *obseruation. libr. II. pag.* CCLXXIII. *de Febribus*, rem facient manifestiorem. *Cæterùm* (inquit) *cum* (præmissis vniuersalibus, purgantibus scil. & venæ sectione) *non cessaret febris, eumq; miserè affligeret, dedi illi antè paroxysmi aduentum sequentem Iulepum:*

℞. *Syr. de papau.* ℥ iij.
aq. plantagin. ℥ j ß.
bibat:

Et pulsibus applicet in carpo & temporibus vnguentum populeonis subactum cum telis aranearum. Et addit de successu huius remedii: *Superueniente paroxysmo statim sudor erupit, calorq; longè mitior secutus est. Posteà denuò, instante paroxysmo, hæc duo remedia repetii, addendo ad Iulepum aquam Nicotianæ. Sudauit iterum mox ab initio, & vix frigus persensit, calor mediocris fuit. Inde appetitus, qui prius prostratus erat, rediit, atq; posteà exigua saltem vestigia ali-*

qua febris in die paroxysmi apparuerunt. Cum avidè & multum comederet, recidivam est passus, quapropter denuo illum purgavi, dein iulepum, vt prius, semel adhuc invadente paroxysmo bibit, vnguentumq; Populeonis appliquit, febrisq; illum deseruit. Hæc ibidem *Platerus*: qui pluribus aliis in locis eiusdem remedii meminit.

Alii ità præscribunt:

℞. *Vnguent. Populeon.* ℥v.
telar. aranear. ʒij.
misc.

& adhibe pulsibus ac temporibus.

Nos eodem remedii genere in infantibus, puerulis; atq; iis, qui ordinariam ac methodicam curam non admittunt, cum successu quoque vtimur, adiectis aliquando, in delicatulis, moscho, ambra, oleo spicæ, aut similibus, odoris gratiâ.

Sed rectè isthìc ac graviter monet, *lib.1. de febrib. observ.* xxx. *Clariss. D. Horstius* noster, *Populeon* cum *telis araneorum* prædicto modo adhibitum in *Tertiana* concoctâ cum commodo non obscuro prodesse, vbi nimir. materia pauca dissipanda restat per diaphoretica, vel etiam vehemens paroxysmorum æstus per refrigerantia externè apponenda temperandus venit. Contrà verò maximam noxam introducere inculcat, vbi purgationes ac venæ sectiones necessariæ negligantur.

Quid? quod *tela* quoq; *aranearum* intrà corpus assumptæ feruntur ἄνευ βλάβης corpus turbare, atq; valenter sine noxa evacuare. Sunt igitur, qui pro certo experimento affirmant, globulum ex *tela aranearum* cum pulpa panis, vel simili deglutiium involucro, singulari ac certa efficacia *Febrib. Intermittentib.* auxiliari.

Plinius libr. xi. histor. natur. cap. xxiv. tantum tribuit naturæ *aranearum*, vt summam ipsius in textura industriam, atque ingenium exquisitis exornet laudibus. *Orditur telas,* (ait) *tantiq; operis materia vterus ipsius sufficit: sive ità corrupta alui naturâ stato tempore (vt Democrito placet) sive est quædam intus lanigera fertilitas: tàm moderato vngue, tàm tereti filo. & tam æquali deducit stamina, ipso se pondere vsus. Texere à medio incipit; circinato orbe subtegmina annectens: maculasq; paribus semper intervallis, sed subindè crescentibus ex angusto dilatans indissolubili modo implicat.* Et quæ plura toto eo capite de natura atque ingenio *araneorum* admirando affert.

Ex quibus nunc & consimilibus autorum testimoniis, ipsaque experientia, quæ rerum magistra luculentissima, evincitur cum ipsos *araneos*, tum telas *araneorum*, hæmorrhagiis vulnerum, tum vulneribus ipsis, præcipuè parvis atq; in summa cute, sicut etiam oculis atq; in superciliis; oriundis, efficaciter mederi, neq; veteribus hoc ipsum medicaminis genus, quod hodie vtique vulgatissimum, incognitum obscurumq; extitisse. Vndè, non sine experimento facto, PETRONIO, rei alioquin Medicæ homini gnarissimo, haudquaquam temerè excidit illud, (de quo agimus) *pag.* 29. *Gyton* (inquit) *longè blandior, quàm ego, primum araneis oleo madentibus vulnus, quod in supercilio factum erat, coartavit.*

Duplex igitur isthìc remedii concursus; *Araneus* scil. qui per se, vel qua telam suam, impositus, vulneribus medetur glutinando, astringendo, mundando, refrigerandoq;: tùm *oleum*, quod ipsum humectandi, leniendi, molliendi, atq; consolidandi vi præstat, eo in casu plurimùm potest, prout, inter cætera multa, ex *Euangelica historia* discimus, *Samaritanum* pro vnguento vulnerario vsurpasse *oleum* & *vinum*. Ad cuius imitationem

doctis

doctissimus Medicus, *Raymund. Mindererus, in Medicina militari, cap.* VIII. *Balsamum vulnerarium* ex solo *oleo* ac vino ità componit, *oleum*, vel *Balsamum Samaritani* appellans:

℞. *Ol. oliuar. partem vnam, vini partes duas, coquantur inuicem, vsq; ad vini absumptionem, donec oleum igni aspersum sonum amplius ac strepitum non edat. Sic* (inquit) *habes oleum vulnerarium iuxtà animi tui sententiã: quod cum vulneribus tùm puncturis filo carpto imponitur. Et licet simplex videatur esse remedium, admiranda tamen præstat.* Hæc ferè ità *Mindererus* Germanicè.

Quid? quod præter *Dioscoridem*, aliosque autores suprà allegatos, eiusce medicaminis cum *Araneis* meminit *Q. Serenus Sammonicus lib. d. Medicina, cap.* LIV. *de fracturis, & luxis sanandis:*

Si verò caput infestus colliserit ictus,
Ex oleo necti vestis debebit Arachnes,
Nesciet hac illinc (nisi cùm sanarit) abire.

Idem *oleum* ad hæmorrhagiam prædicat paulò antè, *cap.* XXXV.

Quapropter, multo naris completa cruore
Cum fluit, attritus cimex conducit odore:
Lana oleo madefit, sed nondum lauta, rosato,
Hæc datur in nares, vel claudet densius aures.

Marcellus quoq; *cap.* I. *de medicam.* idem remedium commendat, præsertim in fractura capitis. *Fracto* (inquit) *capiti tela cranei ex oleo & aceto imposita non recedit, nisi sanauerit.*

Lan. Dusa, vir nobiliss. *in præcidaneis ad Petron.* eodem remedio vtitur ad incisuras digitorum, & minuta eius-modi vulnera, sed PETRONIVM non de *Araneis* ipsis, sed de *telis*, earumq; vsu intelligendum esse scribit. *Araneas* (tradit) *pro textricibus ipsis caue interpreteris hoc loco, potius est, vt vescas earundem telas, (quam vietam Aranei vestem indigetat Lucretius) Arbitrum intellexisse credamus. Et verò, cum recogito, eandem quoq; & nos Medicinam vulgò factitare consuemus, si quando digitulum fortè, aliudue quod membrum temerè (vt fit) atq; imprudentes incidimus nobis.* Interim tamen, quid obstat, quominus PETRONIVM ipsis *Araneis oleo* madentibus vsum fuisse dicamus, cum similiter *oleo Scorpionum* vtamur, in quo tantum *Scorpiones* suffocati sunt, vt idem possis dicere, *Scorpionib. oleo* madentibus? Certè ex ipsis quoq; *Araneis* olea, atque vnguenta fieri possunt, *oleo Scorpionum*, quibus in *Germania* nostra caremus, succedanea, atq; æquipollentia: Quo pacto contra *pestē*, affectus malignos, febresque, vt vocant, Vngaricas, præfatus *Raym. Mindererus* libro suprà citato, *cap.* IV. præscribit modum faciendi *oleum Araneorum*, quo pulsus ad tempora, ponè aures, & ad manuum carpos, itemque ad pedum calcisq; nodos, imò & cordis regionem, inungi iubet, vocatque *oleum Scorpionum Germanicum.* Eius autem descriptio ex textu vernaculo hæc est.

℞. *Ol. nymphea*
Lumbricor. terrestr. an. ℥ vj.
Ol. hypericon. ℥ ij.
Flor. sambuc. rec.
rutæ. an. m. j ß.
Acet. calendul.
rosac. an. ℥ iij.
Araneor. viuor. num. XLV.

Coqu. vnà vsq; ad aceti euaporationem, quoad ignis strepitum non edat, insperso in eum oleo tantillo: Dein colaturæ adde alios

Araneos. xxv. *numero*
Camphor. cum Spir. rosar. dissol. an. ℈ i ß.
Infund. per noctem in B. M. vel cineribus calidis:
adde
Theriac.
Mithridat. an. ℥ ß.
Conserua in vasculo, vt serueant.

Hæc *Mindererus.* E quibus nunc omnibus manifestum fit, neque *Aranearum telas* tantum, sed ipsos etiam *Araneos* oleo imprægnatos, seu madentes, loco *olei Scorpionum*, in medicina vsum habere, tum PETRONII illud neque sine ratione, neque absque autoritate profectum enunciatumque esse.

Et hæc de vsu *Aranearum* medicinali.

Pro coronide, de vsu *Aranearum* politico aliquid aspergendum. Per *Araneam* autem vulgò, (quod adagione venit) paupertatem atque inopiam intelligimus. Hinc *Araneam eiicere*, apud *Des. Erasmum* legitur *Chil.* IV. *Cent.* III. VIII. Quo facit illud *Catullianum:*

Plenus sacculus est Aranearum.

Hinc *Apologus* de *Aranea* pauperum casas frequentante. Hodie eâ locutione nihil vulgatius.

Aranearum quoque *telæ* prouerbio occasionem dederunt. Hinc *Aranearum telas texere*, prouerbialis sermo: Græcis τὰ ἀράχνια ὑφαίνειν est. Refertur à *D. Basilio in enarratione Hexamer.* & quadrat in eos, qui in re friuola, atque nullius momenti, anxiè laborant. Vide *Roterodam. Chil.* I. *Cent.* IV.

Eleganter apud *Diogen. Laërtium, in vita Zenonis, rationes Dialecticæ*, dicuntur telis *Aranearum* esse similes, eo quidem sensu, quod eæ, licet operosum quiddam præ se ferant, imbecilles tamen sint ac nugatoriæ.

Eadem vsurpatione sunt, qui *Leges* ipsas cum *Aranearum* textis comparant. Eę enim sicut à magnis auibus facilè rumpuntur, muscas autem atq; insecta eius-modi minuta irretiunt, ità etiam fit cum *Legibus*; vt rectissimè huc faciat illud *Poëtæ*:

Dat veniam coruis, vexat censura columbas.

Rectius autem & clarius hoc ipsum enunciat *Plutarchus in vita Solonis:* Leges scilicet aranearum telis similes esse perhibens, quod in illis, si quid leuius, aut imbecillius incurrerit, hæreat: sin verò magnum aut grandius quoddam incidat, dissecet ac fugiat. Appositè in suo *Phormione Terentius:*

Quia non rete accipitri tenditur, neq; miluio,
Qui malè faciunt nobis, illis, qui nihil faciunt, tenditur.
Quia enim in illis fructus est, in illis opera luditur.

Hûc-vsque de Araneis.

Caput

Caput III.

NAVSEÆ definitio; nomenclatura; caussæ; differentiæ; origo quoque nominis infrà. Therapia, vel cura *Nauseæ*, præsertim *Marinæ*. Remedia contrà *Nauseam Marinam* generalia; itemque specifica ac propria. Inter quæ *Aqua Marina Nauseæ Marinæ* specificum remedium. Eiusce rei efficacia atque ratio. *Nausea* itaque à *Naui* descendit. *Nautea* quid? *Allium Vomitibus* medetur, autore *Q. Ser. Sammonico.*

PAG. 32. penes PETRONIVM mentio fit *Nauseæ marinæ*. Quæ cùm nauigantes miris modis exagitet, adeoque extremè multoties debilitet, deiiciatque, operæpretium facturi sumus, sicubi pauca super hoc themate ventilauerimus.

Ioan. Fernelius, Medicus celeberrimus, *Pathol. libr. v. cap.* III. *de affectib. ventriculi: Nausea* (inquit) *est inane vomendi desiderium, quo nihil eiicitur: sæpè tamen sponte nulloq; conatu aqua pellucida profluit ab ore. Germani* non incongruè vocant, ein Vnwillen. Græcis, est ναυτία: Italis, *Voglia di vomitare*; vel *incitatione à vomito:* Gallis, *vomissement*, vel *appetit de vomir* sonat. Quo modo differt maxime à vomitu. *Vomitus* enim contrà est eorum, quæ in ventriculi spatio continentur, sursum facta reiectio; attestante eodem *Fernelio.*

Caussæ autem *Nauseæ* sunt multiplices. In genere *Nauseam* concitant, quæcunque præter naturam ventriculum irritant, vellicant, atque lacessunt. Pertinet autem hoc genus mali ad symptomata motus deprauari. Cùm enim stomachus naturaliter debeat κάτω & per inferiora, pylorum scilicet, se se exonerare, hîc fit contrà nimirū præter naturam, quando ventriculus, ea, quæ sibi molesta sunt, per superiora, ἄνω, ac per os reiicere aggreditur: vnde à quibusdam ad motus conuulsiuos refertur.

Differt itaque *Nausea* à *Vomitu*, quòd in *Nausea* parua insensibilisque fit excretio, & frustranea vomendi cupiditas; in *Vomitu* verò quiddam sensibiliter ac confertim reiiciatur. Differt item à *Singultu*; qui est motus præter naturam ventriculi deprauatus, quo natura ea, quæ tunicis ventriculi sunt impacta, laboriosè conatu excludere: in *Vomitu* verò maiori facilitate ac celeritate expelluntur ἄνω, quæ in capacitate ventriculi, velut fluctuant. Differt quoque à *Cholerica passione*, in qua simul ac semel tàm per superiora, quàm inferiora vitiosi humoris fit excretio.

In specie autem *Nausea, Vomitusq;* excitatur, vel ab internis, vel externis. *Interna* sunt, vel intemperies humida, quæ stomachi etiam dissolutionem aliquando caussat, vt prorsus neque cibum appetat, nec assumptum retineat: vel humor aliquis lubricus, pinguis, fœtensque; sicut sunt olea, præsertim rancida, lardum, seua, adipes: vel copia alimentorum; cibi videlicet & potus nimia quantitas, quæ ventriculum p.n. grauat; prout in *Crapula* ac perpotationibus accidit: vel acris qualitas, vt bilis; vel qualitas venenata ac pestilens, sicut in venenis assumptis, atque in febribus pestilentialibus vsu venit.

Ex *Externis* verò sunt casus, ictus, percussio, itemque agitatio, vectio, inprimis nauigatio, quæ dupliciter nauseam caussat, vel ratione motus atque agitationis, vt in aquis simplicibus, vel ratione salsedinis marinæ, quæ, præsertim Austro flante, nauseam maximè concitat. His accedunt exercitationes violentæ, v. gr. Choreæ, saltationes,

equitationes, præcipuè à pastu, tum ea, quæ per διὰ συμπάθειαν accidunt, vt est inflammatio Hepatis, obstructio lienis, suppressio hæmorrhoidum, & menstruorũ, alui constipatio diuturna, vteri, vesicæ, imò vesicæ etiam felleæ compassiones, obstructionesque, & quæ alia id genus complura vel ventriculum humoribus replent, vel naturam irritant, humoresque inibi contentos conturbant.

Ex iis igitur, quæ forinsecus incidentia ventriculum irritant, humoresque mouent ac conturbant, est nauigatio, circumrotatio, atque aquæ marinæ molestus tum odor atque exhalatio fœtida, quæ stomachum, facillimè autem in iis, qui mare recens ingrediuntur, saloque, salso minus assueti sunt, peruertunt, atque nauseam proritant.

Quod malum cùm admodum familiare sit, illisque timendum, quibus trans maria excursio opus est, non præposterum fuerit, quædam remedia contra molestam illam passionem consignare, maximè, cùm plerique ita inde debilitentur, vt ad omnimodam etiam stomachi subuersionem, dissolutionemque, tum totius corporis infirmitatem, non-nunquam deducat.

Quod ergo ad *Therapiam* attinet, cùm in omni *Nausea*, præsertim *Marina*, aliquid sit, quod ventriculo molestum est; eumque irritat, præsertim facultatem expultricem stimulat, adhibenda sunt ea, quæ contra facultatem expultricem irritatam retundunt, acrimoniam retundunt, aduersam qualitatem emendant, laxitatem & subuersionem vi astringendi refrænant, inprimis corroborant. Hâc ratione *P. Bayrus, pract. libr.* XXIV. *de Nausea marina*, illa etiam remedia præscribit, quæ os stomachi confortant, atque vapores in cerebrum ascendentes prohibent. Cuius-modi sunt *Cydonia, granata, mala maciana, lentes* cùm *aceto* comestæ, *agresta, panis fractus* in *vino Maluatico*, aut in alio quodam redolenti. Huc pertinent omnia, quæcunque os ventriculi claudunt, vique astrictoriâ supinationem retundunt; qualia sunt, *mentha, ruta, calamenthum, absynthium, artemisia, melissa*, semina *anisi, feniculi, carui*. Ex liquoribus sunt *acetum rosaceum, acetum garyophyllorum, sambucinum, vinum* austerum, rubrum, ac chalybeatum. Ex *aromatum* genealogia itemq; *gummatum* sunt, *cinnamomum, calamus aromaticus, nux moschata, macis, piper, galanga, zingiber, cardamomum*.

E quibus omnibus olea destillata hoc in casu præstantissima habentur, vt sunt, *oleum cinnamomi, garyophyllorum, maceris, nucistæ*, & similia arte chymica parata; quibus accensentur compositiones aliæ vsitatæ, *Confectiones, Trageæ, Pulueres*, itemque *olea* vulgaria, *absynthii* scilicet, *menthæ, cydoniorum, mastichis*, itemque *Emplastra*, de *crusta panis*, de *baccis lauri*, de *mastiche*, &c. quæ extrinsecus ventriculo calidè applicantur.

Et hæc ad *Nauseam* atque *Vomitum* à quacunque caussa oriundum faciunt.

Ad *Nauseam* verò, quæ in mari nauigantibus peculiariter obuenit, sequentia inprimis commendantur à P. Bayro: *Ne Nauseam* (inquit) *patiaris in mari, absynthium & pulegium tere cum oleo & aceto, & nares interius frequenter frica. Semen apii cum bibitum fuerit, prohibet nauseam, ne commoueatur, & sedabit eam cum commouebitur. Absynthium similiter faciet.* Sed hæc, & similia apud auctores practicos occurrentia communia sunt, & ad omnes nauseæ species vsitata. Generaliora adhuc sunt præcepta, quæ præscribit Cornel. *Celsus lib. 1. de re medica cap.* III. *Is verò* (inquit) *qui nauigabit, & nauseâ pressus est, si multam bilem euomuit, vel abstinere cibo debet, vel paulum aliquid assumere. Si pituitam acidam effudit, vtique sumere cibum, sed assueto leuiorem: si sine vomitu nausea fuit, vel abstinere, vel post cibum vomere.*

Illud

Illud verò ſpecificum remedium, contra *Nauſeam* inprimis *marinam*, eſſe videtur, atque proprium, quod legere eſt apud *Scholam Salernitanam, de conſeruand. valetud. cap. XXI.*

Nauſea non poterit equidem vexare, marinam
Vndam cum vino mixtam qui ſumpſerit ante.

Rhythmus vernaculus ita habet:

Das Meer dir keinen grawen brengt/
So dus vor trinckſt/ mit Wein vermengt.

Quæ quidem verba *Ioan. Curio, in Exegeſi ad Scholam Salernitanam*, ſequentibus ita exponit: *Nempe* (ait) *ſi diuites illi fuerint, vt per dies aliquot, antequam nauem conſcendant, vinum ſuum aquâ marinâ temperent: ſin pauperes, aquam marinam abſque miſtione bibant. Sic enim fiet, vt nauſeas citrà vllum negotium euitent. Nam vinum, & præcipuè aquoſum; quod Paulo Æginetæ* οἰνίζων *Græcè dicitur, ſtomacho vomitionibus turbato maximè conuenit. Aqua verò marina, ſalſa, & aſtrictoria ſuâ vi os ventriculi claudens, vomitiones præcidit atque impedit.* In quibus verbis curam tam præſeruantem, quàm curantem, aduerſus *Nauſeam marinam* proponit, eamque tum diuitibus tum pauperibus diuidit.

Henricus quoque *Rantzouius*, autor nobiliſſimus, eleganti illo *libello*, quem *de conſeruanda valetudine* poſteritati reliquit, *cap. XLI. de Nauſea marina*, filios monet, ne in mari verſantes vomitum inhibeant, niſi is enormis & moleſtus admodum exiſtat.

Sin autem exorbitet, idem à *Schola Salernitana* ſuprà commemoratum remedium inculcat & præcipit. Verba eius ſunt: *Quodſi verſamini* (ait) *in mari, nolite prohibere, vel impedire vomitum, verùm ſi ſit nimius, & ſuperfluus, in potu paululum aquæ marinæ miſcere, vt ità ventriculus veſter paulatim mari aſſueſcere diſcat. Toſtus etiam panis* (addit) *ex aceto comeſtus contrà vomitum valet, quemadmodum & multarum gallinarum ventriculi per vſtionem in cinerem redacti, cum vino ſumpti in tali affectione ſtomacho non parum proſunt. Quidam volunt ad hanc rem conducere, ſi quis aquam marinam, ſiue ſalum ex naui intueatur, ſiue ex alto in mare deſpiciat.*

Præfatus idem *Curio* vomitibus quoque iam oborientibus non facilè, nec vtiliter reſiſti autor eſt: cùm vomitus vt plurimum conducant aduerſus magnos vehementesque affectus, ſcilicet *elephantiaſin, hydropem, apoplexiam, & ſtomachi* tum frigiditatem, tum inflationem. Quodſi verò diutius crebriusque id malum affligat, comeſtionem ſtypticorum & fructuum acidorum commendat; cuius-modi ſunt *mala cydonia, mala ſylueſtria, mala punica*, vel *grana acida*; quæ aſtringendi vi prædita ſunt. Ea enim os ſtomachi roborant, humorem ſurſum repentem deorſum reuellunt, infernè per aluum euacuant, ſupinantem denique atque fluctuantem ſtomachum reſtringunt ſiſtuntque. Idem commendat *ſemen apii toſtum*, cum vino potum, *abſynthium* tàm in cibo quàm potu aſſumptum, *panem* inſuper *aſſatum* ex vino aquoſo odoratoque maceratum, nec non *lenticulas* in aceto vel agreſta coctas, ex P. Bayro fermè. *In ſumma* (inquit) *tota victus ratio tum ex acidis, & ventriculum roborantibus, tum vapores etiam, ſiue fumos ad caput aſcendere prohibentibus, conſtituenda eſt.*

Plinius libr. XX. *cap.* XIV. Nauseam cum sale & polenta in frigida aqua pota inhibet. Dicitur itaque *nausea à naui*, è cuius vel sentina mouetur vomitus, vel è cuius frequenti & inordinato motu subuertitur stomachus, & ad vomitum concitatur. Hinc *M. Tullius libr.* XVI. *Famil. Festinare* (ait) *te nolo, ne nauseæ molestiam suscipias æger.* Et *libr.* V. *ad Atticum: Nauigauimus sine timore & nausea.* Quò alludit *Plautus in Amphitr. Lassus sum hercle è naui, vt vectus sum huc, etiam nunc nauseo.* Vnde *Nautea*, Græcis ἀνδράχνη, autore *Festo*, herba est, granis nigris, quâ vtuntur *Coriarii*: vel aqua ex nauis sentina veniens: quæ graue olens admodum. Iocose itaque atque salse *Plautus in Asinaria: Nauteam bibere malim, si necesse sit, quàm illam oscularier.* Idem aliter paulò in *Curcul. Omnium vnguentorum odor præ tuo nautea est.*

Cæterùm, ad præsens hoc institutum, nauseamque propellendam faciunt præterea, quæ *Marsil. Ficinus libr.* I. *de tuend. sanitat. studiosor. cap.* II. *super ventriculo confortando* edisserit. *Mastix* (inquit) *& mentha sicca, saluia recens, vuæ passulæ, cydonia poma cocta, condita saccharo, cichorea, rosa, corallus, lotus capparis, & aceto conditus, stomacho amicissima sunt. Mala præterea punica sapore inter acidum dulcemq; medio, & omninò quæcunque moderatè acida sunt, & aliquantulum austera, quæ Medici styptica vocant, siue quæ aliquantum acuta sint, vel salsa, vel aromatica. Mirobalani autem omnia superant. Vinum quoq; rubeum potius quàm album, sapore quasi paululum subamaro, ac nisi caliditas, vel destillatio aliter postulauerit, optimum erit merum bibitum paululum. Omninò autem liquidiores epulæ prius sumendæ, quàm duriores. Sumpto verò cibo, conuenit coriandrum, pomumq; cydonium conditum saccharo, mala punica, & pyra austera, mespila quoque & persica sicca, atq; similia. Mandere verò oportet, antequàm deglutiantur singula, exactissimè. Fouendus stomachus si oportet extrinsecus mastiche, rosâ, menthâ, corallo.*

Timotheus verò *Brightus, in part.* II. *de sanitat. restituenda*, vomitum prægressâ nauseâ suadit ineundum. *In Nausea* (tradit) *si quid humoris inesse suspicio fuerit, ipse vomitus est quam primum ineundus.*

Sed rarius videtur esse, quod *Qu. Seren. Sammonicus* contrà *Vomitum Allii* odorem prædicat, vnde aliquis vomitum aut ad minus Nauseam magis facilitari dixerit. Sic autem *libr. de Medicina, cap.* XXII.

Si stomachus nondum concoctas expuit escas,
Et magis atque magis vitiis remouendo valescit,
Allia cedemus, crebrumq; trahemus odorem.

Allium enim, *cùm ex dissimilibus inter se particulis constet, salsum quippiam, subastringens gustu habet: maior autem eius substantiæ pars est moderatè calida, cum humiditate, quæ non conficitur, & leniter flatum excitat*: vt habet *Oribasius libr.* XV. *Collect. medicinal, cap.* I. vnde liquet, id ratione facultatis astringentis, salsæque qualitatis, cùm *Nauseæ*, tum *Vomitui*, opitulari.

Caput

Caput IV.

Caluities. Eius ſpecies, & differentiæ: affinitas hodie plerumque cum lue Venerea. Mulieres aliquando etiam caluescunt. Olim *Caluitium* Veneri nimiæ adſcribebatur. Dicterium militum in *Iul. Cæſarem*, caluum. *Germanis* hodie frequens eſt, homines nauci, caluos appellare. *Caluum vellis*, ad quid eſt fruſtrà laboras. Capillorum, barbæque apud veteres ſingularis obſeruantia. Infantes olim detondebantur. Subditi Reges in tondendis capillis, ſicut in aliis quoque, plerumque ſequuntur. *Caluities* maximè ſuſpecta, ridicula & turpis ſemper habita. *D. Ambroſii* dictum de capillorum diſcriminibus. *Calui Area*, & *Tuberibus* hominum per ludibrium comparantur. Emendatio textus PETRONIANI ex *Adr. Turneb.* non contemnenda. *Syneſius Caluitii encomium* ſcripſit. *Calui cur œdipum dicantur?* Vbi *Turnebi* opinio non omninò arridet. *Caluitium* ſæpè luis Venereæ ſignum: *Pueri* enim & *Eunuchi* non caluescunt. *Calui* Venerei alienis comis ſe ſe veſtiunt. Hinc Adagium: *Caluus Comatus*. Curationis *Caluitiei* breuis inſinuatio. *Calui* cur à puellis rideantur iuxtà PETRONIVM? Qui locus ARBITRI de ſeruis videtur interpretandus eſſe. Illis enim olim capilli detondebantur, frontesque notis inurebantur. *De meliori nota aliquem commendare*, formula locutionis prouerbialis, à *ſeruis* deducta. Hinc *Adagium* in *ſeruos* ſtigmaticos: *Attagen*.

PAG. 37. ſequentia ad *Caluitiem* ſpectare videntur:

> *Infelix modò crinibus nitebas,*
> *At nunc leuior ære vel rotundo*
> *Ridentes fugis ac times puellas.*

Quid igitur ſit *Caluities*, quæ præcipuæ ſpecies, & à quibus cauſſis ea oriunda, prius ex *Medicorum* placitis declarandum, antequam ad alia tranſeamus. *Medici* igitur *defluuium capillorum Ophiaſin* & *Alopecian* vocant: quanquam & hæc nomina interdum diſtinctas ſpecies indigitent.

Caluities autem eſt pilorum amiſſio, quæ à cauſſa præter naturam interna originem habet.

Ex recentioris æui Medicis, *Guilhelm. Rondeletius m. m. cap. 1. Caluitiei* duas communes differentias aſſerit; alteram, quando, qui decidit, pilus areæ ſpeciem (de qua infra) in ea parte relinquere videtur, ex quo & *Areæ* appellationem ſumpſit: alteram, in qua pili aut capilli ex omnibus capitis vel corporis partibus defluunt ſine diſcrimine, & qui remanent, tenues & rari eſſe deprehenduntur, vnde capillorum defluuium nominatur. Poſterioris generis duæ rurſus ſunt ſpecies, quorū altera Græcis *Alopecia* dicitur, à *vulpe*: ſicut *cynanche* morbus à *cane*, *cherades*, à *porcis*, quòd illa animalia talibus morbis ſint obnoxia. Altera verò *Ophiaſis* tàm Græcis quàm Latinis vocatur, nomine à ſerpentibus deducto. Arabes *Tyriam* nominant, quâ tantùm nō viperas, ſed omnes ſerpentes comprehendunt. Et hæ quidem affectiones ſpecie non differunt ſed figurâ. E quibus *Alopecia* nullam ſingularem figurā habet. Ea enim æquè barbam & reliquas corporis partes piloſas occupat, quàm caput, & ætates quaſcunque inuadit, vt etiam abſq; medicamentorum ope eradi non poſſit. *Ophiaſis* contra certam figuram obtinet. Ea ſiquidem ab occipitio duorum digitorum latitudinem non excedens, ad aures duobus capitib⁹ ſerpit: quibuſdam etiam ad frontem vſque, donec ſe ſe duo illa capita in interiorem frontis partem iungant, itá vt ſpeciem *carinæ* præbere videantur. Hæc ſedem perpetuò in capite habet, infantib⁹ ſolum familiaris, & qui ad *Lepram* ſunt diſpoſiti: imò hæc læſam capitis partem, inſtar ſerpentis, glabram reddit. Hæc inſuper aliquando ſponte ſua deſinit, abſq; vllo auxilio externo, præterquam in iis, qui ad *Lepram* inclinant. *Lepra*

Yy autem

autem speciem quartam constituit *Caluities*, *Arabibus Thyriasin* vocatam, cum nimirum per vniuersum corpus se se extendens materiam à pituita mutuauit. Iidem *Arabes Lepræ* quartum genus, à sanguine oriundum, *Lepram rubram* appellitant, vnde, qui eâ infestantur, *rubri elephantes* dicuntur.

In perniciosa igitur *Caluitie*, cutis, sicubi pungatur, sanguis serosus exit, cutisq; densior apparet, vel quæ subpingue tactui quiddam refert, aut ex toto glabra est.

Hodie valde suspectum est *defluuium capillorum*, præsertim barbæ tam in iuuenibus, quàm viris, cùm vt plurimum à *Lue Venerea Caluities* oriri consueta sit; quod genus mali tamen veteribus, ætate PETRONII, fuit incognitum; vt contestatur *P. Bayrus*.

Idem casum capillorum distinguit in naturalem, & præternaturalem. Ille est, quãdo ex naturali defectu atque exsiccatione naturaliter pili cadunt. Præternaturalis fit contrà, estq; duplex, vel cum vlceribus, vel sine vlceribus. Vlcera autem alia rotundas ac interceptas areas absque crustis inducunt, vt *Alopecia*, in qua minor exulceratio, quàm in *Ophiasi*, quia materia minus acris. Si casus sit absque vlceribus, simpliciter capillorum defluuium dicitur, siue id sit *Gallicum*, veterib⁹ incognitum, siue ex alio quouis humore vitioso natum, vt autor est *Bayrus libr. I. pract. empir. cap. I.* Hûc igitur pertinet, quod *Hippocrat.* & *Galenus, lib.* VI. *aph.* XXVIII. itemq; *Aristot. lib.* V. *de generat. animal. cap.* III. *& lib.* III. *de histor. animal. cap.* XI. tradunt, *Mulieres* non caluescere. Id quod *Marcell. Donatus* intelligit de naturali & sponte oriundo *Caluitio*. Aliâs morboso caluitio quasdam insuper laboràsse notauit, præsertim circa tempora ac capitis summitatem anteriorem: vt disserit *lib. I. histor. medic. mirabil. cap. I.* *Albertus Magnus* binas etiam *Mulieres caluas* obseruauit, vt recenset *lib. de animal.* XIX. *cap.* VI.

Veteres, licet *Lues Venerea* illis temporibus nondum innotuisset, *Caluitium* nihilominus nimiæ Veneri adscripserunt, vt astipulatur præfatus *Marcell. Donat. lib.* IV. *de mirabil. medic. cap.* XIIX. qui videri potest. Hinc sapientissimus *Hippocrates lib.* VI. *aphor.* XXIIX. *Eunuchi* (inquit) *ex podagra non laborant, nec fiunt calui.* Quòd pilorum in illis focus non resiccetur, sed spadones isti à genuino madore densam circumferant cutim, explicante *Heurnio*. Olim in *Iulii Cæsaris* triumpho, non sine scommate, proclamatum fuisse legimus: *Romani seruate vxores, Mœchum caluum adducimus.* Quod genus dicterii ad *Germanos* nostros potissimùm abiisse videtur. Hodie enim in triuiis, si quenquam vulgus ignominiosè taxat, *Caluum* eum appellant, tanquam omnibus vitiis hominem expositum dicas: vulgò, Er ist ein kahler/&c. ac si dicas histrionem, lenonem, nauci hominem, & mœchum petulantissimum, qui ex lasciuia *Caluitium* contraxerit. Hinc *Calui*, quia non canescunt ex capillorum defectu, vix honore isto etiam gaudere possunt, qui *canis* & senibus dicatus est, iuxta illud Poëtæ:

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani,
Inq; pari pretio ruga senilis erat.

Quâ occasione in *Epigrammatibus* nostris in *Caluum* ità lusimus:

Debetur canis reuerentia sancta capillis;
Debetur capiti, Calue, quid ergo tuo?

Hinc *paræmiali* sermone circumfertur: Φαλακρὸν τίλλειν: id est, *Caluum vellis.* At si iuxtà *Plautum* dicas: *Aquam è pumice postulas*, id est, frustrà laboras. Quin, autore *Desid. Erasmo*, *hodie quoq; vulgus, vbi significat nihil esse, quod adimatur, volam manus ostendens, iubet inde velli quippiam, quod ea corporis pars nemini non sit calua*: vt legere est *Chil.* II. *Cent.* VIII. XXXVII.

Apud veteres magna fuit coma[illegible], barbarum, capillorumque obseruanti[illegible], vsque [illegible]

adeo vt illi, qui turpitudine afficiendi essent, detonderentur. Hinc orta est constitutio *Imp. Constantini cap. IX. de Conspirationibus: Adiutores conspirationum singuli eorum alter ab altero flagellentur, & nares sibi inuicem pracidant. Vbi verò nihil mali perpetratum est, similiter quidem inter se flagellentur, & capillos sibi inuicem detondeant.*

Subditos verò tonsuram capillorum maximè Regum suorum imitatos fuisse, adeoque accuratas barbarum, comarumq; delicias habuisse, inter alios, edisserit *Phil. Camerar. Oper. succisiu. part. III. cap. XCVI.* Rectè itaque *Plutarchus de coniugii pracept. Reges* (ait) *si musicam ament, multos efficiunt musicos, si literas, literatos, si athletas, exercitationibus corporis deditos: ità vir si corporis cultui studet, vxorem ornandi corporis studiosam reddit: si voluptatibus indulget, libidinosam, & meretriciam: si honestatem, & pulcras res sectatur, temperantem & modestam.* His suffragatur *Crantzius lib. III. Vandalic. cap. XXIII.* circa annum *Christi* inquiens *Germanos Principes* capillos cepisse sibi suisque tondere, & inuicem literas misisse, inclusis forcipibus cum mandatis. Quid? quòd *Pierius Valerius* orationem scripsit pro barbis sacerdotum, quibus *Franciscus I. Rex Galliarum*, ad vnum omnibus, vt à sacrificulis eo inuento pecunias extorqueret, barbas deradi iussit, qui eas ingenti pecuniâ redemerunt.

Contrà verò *Caluities* tàm in sacris, quàm in prophanis historiis ac scriptoribus suspecta, ridicula, atq; turpis habita fuit. In sacris enim *Elisaus Propheta* ob *caluitium* pueris improbis ludibrio & risui fuit, licet haud impunè illi tulerint. *Petronius* noster de *Caluitie* ipse sic pronunciat *pag. 6. Iam* (inquit) *sequestri placebant, & nescio quis ex concionibus caluus tuberosissimæ frontis, qui solebat aliquando & ad caussas agere.* Et pag. 35. *Nisi fortè miserabiliores calui solent esse.* Quibus astipulatur *Ouidius*:

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Similiter *Eumolpus* apud præfatum nostrum ARBITRUM:

Quod solùm formæ decus est, cecidêre capilli.

Senibus inprimis illud PETRONIANUM perpetuò mortem inculcare satagat:

Vt mortem citiùs venire credas,
Scito iam capitis perisse partem.

Ælianus lib. II. Variar. histor. autor est, *Agathoclem, Siciliæ Tyrannum*, vbi ei caput paulatim defluentibus capillis denudaretur, pudore ductum, *myrteâ coronâ* caput obtexisse, quæ quasi velum erat atque tegmen caluitiei. Sic, testibus *Suetonio*, & *Dione*, *C. Iul. Cæsar* caluitiei deformitatem iniquissimè tulit, quam obtrectationibus obnoxiam sæpenumero expertus esse scribitur. Ideoque deficientem is capillum à vertice reuocare assueuerat, atq; ex omnibus Senatus Populique decretis sibi honoribus nullum recepit vsurpauitq; libentiùs, quàm ius *Laureæ coronæ* sibi perpetuò gestandæ. Idem (vt suprà attigimus) coactus fuit, milites in Gallico triumpho iocabundos atque ita vociferantes audire: *Vxores vestras seruate, ciues; vobis mœchum caluum adducimus.*

Domitianus quoque *Imp.* quòd caluus esset, ipsumque *Neronem* crudelitate superaret, *Nero Caluus* appellatus fuit. Sic *Carolus II. Imp.* ob caluitium, calui nomen effugere nequiit, qui etiam-nunc in historia Cæsarea *Carolus Caluus* cognominatur. Elegantissimè quapropter de capillorum ornamentis *D. Ambrosius Hexaem. libr. VI. Comam* (inquit) *esse reuerendam in senibus, venerandam in sacerdotibus, terribilem in bellatoribus, decoram in adolescentibus, comptam in mulieribus, dulcem in pueris.* Tolle igitur arboris comam, arbor ingrata est: tolle humani capitis capillum, tota pulchritudo flaccescit.

Per ludibrium iccircò *calui* modò *Area*, modò *Tuberi hortorum rotundo*, comparantur, præeunte ipso PETRONIO, *pag.* 37.

Areaq́ attritu ridet adusta pilis.

Quo facit *Martial. lib.* V. *Epigram.* XLIX. *ad Labienum:*

Nudum est in medio caput, nec vllus
In longa pilus area notatur.

Sicut autem *area domuum* graminibus, ità *Calui* capillis destituuntur. Ea quoq; , quæ leuia & glabra sunt, rident, nitentque. Vnde *Horatius:*

Ridet argento domus ——

Adusta igitur *area* dicitur, quòd sit arefacta, eo quòd nimirum humor, siue alimentum, quo capilli nutriri debent, deficiat, atque exsiccatus sit. Sic autem *Tuberi hortorum rotundo* caluities assimilatur ab ipso inprimis ARBITRO, *pag.* vt suprà 37.

Infelix, modò crinibus nitebas,
At nunc leuior ære vel rotundo
Ridentes fugis & times puellas:
Phœbo pulchrior & sorore Phœbi,
Orti tubere quod creauit vnda,
Vt mortem citiùs venire credas,
Scito iam capitis perisse partem.

Hos versiculos ità paulò aliter recenset, atque connectit *Adrian. Turnebus, Aduersar. lib.* IV. *cap* XIX. *Nam mihi quidem* (ait) *sic eorum texendus videtur ordo:*

Infælix modò crinibus nitebas,
Phœbo pulchrior & sorore Phœbi:
At nunc læuior ære, vel rotundo
Orti tubere quod creauit vnda.
Ridentes fugis, & times puellas.

Ità enim (subdit) *sensus vrbanorum & disertorum versiculorum enitescet, vt caluus comparetur æri & tuberi ortorum rotundo, nullaq́ lanugine villoso:* quæ lectio nobis quoque magis arridet. PETRONIVS noster præterea *pag.* 6. eandem comparationẽ calui & tuberis instituit, prout suprà allegauimus: *Iam* (inquit) *sequestri placebant, & nescio quis caluus tuberosissimæ frontis qui solebat aliquando & ad caussas agere*, &c. Quid? quòd *Synesius* in *Encomio Caluitii* caluos σελήνας vocet. De qua locutione ità *Adr. Turnebus aduers. libr.* XXVII. *cap.* XXX. *Equidem* (inquit) *arbitror, cùm caluitiũ anteriorẽ partem ad verticẽ vsq́ populari soleat atq́ nudare, reliquo capite piloso & denso speciem effici Lunæ corniculatæ, cùm area media pilis vacet; neq́ hic quicquam aliud latere suspicor. Lucere volunt alii caput caluorum: mihi quidem, quòd fortasse sum hebetiori acie, nihil lucet.* Nec tamen hîc potius cum *Val. Maximo* facimus, qui *lib.* IX. *cap.* XII. *de mort. non vulg.* in historia *Æschyli Poëtæ*, calui caput lucere quoque asserit, ità vt Aquilam splendore suo eluserit. Sic autem habet: *Æschyli verò Poëtæ excessus, quemadmodũ non voluntarius, sic propter nouitatem casus, referendus est. In Sicilia mœnibus vrbis, in qua morabatur, egressus aprico in loco resedit. Super quem Aquila testudinem ferens elusa splendore capitis* (*erat enim capillis vacuum*) *perindè, atq́ lapidi eam illisit, vt fracta carne vesceretur. Eoq́ ictu origo, & principium fortioris tragœdiæ extinctum est.*

Vt autem ad Medicos autores postliminio redeamus, in propatulo est. *Caluitium* in *lue Venerea* hodiernis temporib⁹ familiariter accidere, imò inter signa manifesta luis illius referri. Inter alios celebris Medicus Italus, *Ioan. Baptist. Montan. libr. de morbo Gallico*, caussam

caussam ad humoris adustionem refert, quod in *Lue Venerea* pili decidant, sicut superius ex *Heurnio* ferè audiuimus. *Quandoq;* (inquit) *etiam cadunt pili, propter defectum alimenti ipsorum, aut quia etiam alimentum sit corruptum. Interdum circà cutim plurima plerumq; adsunt excrementa, quæ ibi putrescant, &, si pili generentur ex adustione humorum, tamen, si adustio illa corrumpatur, & aduratur, magis tunc cadunt pili, & hinc est, quod auripigmentum facit cadere pilos, quia tollit ortum ipsorum, adurendo radices. Sic & materia illa adusta, quæ ad radices pilorum tendit, cum aduritur, magis est caussa, quod pili cadant. Quare omnia symptomata indicant summam adustionem, & præcipuè in Hepate. Guilhelmus* quoque *Rondoletius de signis morbi Italici*, inter euidentissima diagnostica luis venereæ ponit barbæ & superciliorum defluuium, cum fissuris manuum. Ità verò inquit : *Si quis areas habet circà crotaphitas, & in occipite, à morbo Italico est, vulgo dicta la pelade. Quod si barba cum superciliis decidat, magis etiam certum erit. Quis fissuras manuum & pedum frequentius habent, à morbo Italico imperfectè curato ista sibi accidere credant.*

Inueniuntur itaque, qui cum in castris impudicæ Veneris strenuè militarunt, adeò excaluescunt, vt alienas & supposititias comas coemere, se seque nouo ementitoq; capillirio, cera artificiosè inducto, contrà pudorem & dedecus munire cogantur. Id quod *Gallicâ lue* infectis accidere potissimum amat. Quò videtur alludere, festiuissimus Poëtarum, *Martialis:*

Caluo turpius est nihil comato.

Idem eandem in sententiam alibi :

Caluus cum fueris, eris comatus.

Hinc natum *Adagium:* CALVVS COMATVS. Quod, autore *Des. Erasmo*, aptè dicetur in eum, qui verbis bonis nudus, ascititiis se venditat. Veluti si quis indoctus aliena pro suis ederet: aut si quis dissimulet esse se, quod est, veluti si senex assuto galericulo, aut tinctis capillis affectet videri iuuenis: si deformis, adhibito fuco velit haberi formosa.

Quod ad curationem *Caluitiei* attinet, præterquam quòd grauissimi Medici complures plurima hanc in rem commentati sunt, ipso *Galeno* præeunte, in genere tamen *P. Bayrus pract. libr. I.* alioquin practicus insignis, *cap. I.* hoc consilij proponit : *In curatione (ait) cuiuslibet prædictorum debet primo locus cum panno aspero fricari propter duas caussas: Prima, vt sciatur, si facilis, aut difficilis sit curationis: nam si locus fricatus citò rubet, est facilis cura: si verò tardè, difficilioris est cura. In facili cum leuioribus est operandum: in difficili cum fortioribus. Alia causa est, vt cognoscatur, à quo humore dependeat. Nam si color cutis fricatæ tendat ad albedinem, dependet à phlegmate, quod debet purgari cum Hieris magnis, & aliis phlegma purgantibus: sin verò fuerit citrinus, purgetur cholera; si niger melancholia; si rubeus, phlebotometur.*

Qu. Seren. Sammonicus lib. de medicina cap. IX. sequentia remedia, ad Caluitiem & fluorem capillorum facientia, versiculis proponit:

Defluit expulsus morbo latitante capillus,
Si rarò lauitur, seu vis epota veneni,
Seu Salamandra potens, nullisq; obnoxia flammis
Eximium capitis tactu deiecit honorem.
Nonnunquam variant maculæ, paruisq; parumper
Orbibus aspersum ducit noua vulnera tempus.
Viperea pellis cinerem his apponito rebus,

Roboreasue pilas vrsino iungere seuo,
Vel testudineo mala permulcere cruore.

Et sic transultim quoque de *Caluitii* curatione; super qua si quis methodicum processum desideret, ad autores Medicos nobis ablegandus is est, qui eam materiam passim ingeniose tradiderunt.

Ad propositum itaque rhema reuertentes, è præmissis palam nunc esse arbitramur, *Petronianum* illud:

Ridentes fugis, & times puellas:

in mœchos caluos, atq́. elumbes optimè quadrare: quales quidem, ob nimiam salacitatem, defluuium capillorum crebrò patiuntur, vt ob pudorē caput ac ceruices denudare vix ausi sint, aut si fortè id velint, vento capillos emptitios atq́; emēritos auferente, manifestæ sese turpitudini, ac risui omnium expositissimos faxint.

Eadem verba fors hoc pacto quoque explicari possint: puellas ideò ridere caluos mœchos, quod isti, iam ob supinam lasciuiam redditi sint elumbes, ignaui, adq́ue rem Veneream inepti prorsus. Semē enim à cerebro decidere Philosophis & Romanis olim creditum est, vndè fit caluities. *Marcellus Donatus* tradit, cuidam petulantissimo histrioni post funus dissecto capite exiguam cerebri portiunculam repertam fuisse. Quamuis interim etiā ab aliis partibus atq; toto semen decidi secerniq; inficiandum non sit. Sic *spadones* & *pueri*, Venerem non exercentes, juxtà *Hippocratis* effatum, nō caluescunt. Imò ex vulnere capiti inflicto aliquando coëundi omnem facultatem fuisse ablatam, imò, ex arterotomia pone aures, ignauos atq́; impotentes effectos esse cum *Hippocrate lib. de loc. affect. & Auicenna* xx. III. *tract.* I. *cap.* III. testatur idem doctissimus *Marcell. Donatus, lib.* IV. *de medicin. mirabil. c.* XIIX. *de coitus symptom. admirandis.* Vt nihil aut parum de eo inferamus, hodie eos scortatores atq́; mœchos, qui lue venereâ, vero scortorū flagello, infecti sunt, (vndè etiam *Caluitium* contrahunt) imbelles, atq́; ad Venerem ineptos reddi, nisi fortè, ob acres exhalationes, Satyriasin patiantur, quod ità depingit *Rondoletius: Qui hoc morbo* (Italico, inquit) *corripiuntur, tristes sunt, & statim post contractum morbum in illis extinguitur Venus, & mentula mollis & humida efficitur, dum modo non sit vlcus in interna vel externa eius parte. Nam vlcus solet priapismum, siue distentionem prouocare, & aliquando ad Venerem irritare, ob excrementa acria.*

Cæterùm, præter hanc interpretationem à nobis allatam, non minima suspicio oritur, *Caluitiem* isthanc, de qua ARBITER, rectius exponendam videri, de *seruis* & *mancipiis*, quorum frontes olim stigmatibus solebant inuri, atq; capilli, ad caluitiem vsq; abradi. Suspicionem hanc creat augetq; ipse PETRONIVS *pag.* 37. *Quum Eumolpus* (inquit) *& ipse vino solutus dicta voluit in caluos, stigmososq́; iaculari.* Seruorum autem tum erat perpeti, quicquid dominus iussisset, siue vri, vinciri, verberari, ferroque necari mandaret, vtpote qui corpora animasq; domino religiosissimè addixissent. Quod idem apud PETRON. *Encolpius* confirmat *pag.* 43 *Itaq́; vt duraret inter omnes tutum mendacium, in verba Eumolpi Sacramentum iurauimus, vri, vinciri, verberari, ferroq́; necari, & quicquid aliud Eumolpus iussisset, tanquam legitimi gladiatores domino corpora animasq́; religiosissimè addicimus.* Eadem ferè verba repetiuntur *pag.* 44. *Post peractum sacramentum seruiliter ficti dominum consalutamus.* Et similiter legimus *pag.* 53. *Dabuntq́; seruiles pœnas,* &c. Natum autem illud ex hoc PETRONII loco videtur, quod est *pag.* 32. *Frontes notans inscriptione:* adagii instar. Hinc *de meliori nota* aliquem cōmendare, formula locutionis est prouerbialis. à *seruis* deducta, quorum frontib. olim notæ inurebantur. *Vlpianus lib.* xv. pessimum seruum vocauit *extrema*

tremæ notæ. Plauto inprimis serui dicuntur, *stigmatici, stigmate puncti, stigmate puniti*, imò etiam *literati*, à literis inustis, inscriptisq;. In quos vsitato *adagione* apud veteres torquebatur: Ἀτταγᾶς: id est *Attagen*. Est autem *Attagen, auis palustris, versu oloribus plumarum maculis distincta: vnde seruum hominem stigmaticum, & cui tergum ob plagarum vibices variis punctis esset picturatum, Attagenam vocabant*: vt tradit *Des. Erasmus Chil.* IV. *Cent.* I. V. & *Chil.* IV. *Cent.* III. LXXIII. Occasionem autem huic adagio dedit *Aristophanes in Auibus*.

Εἰ δ' τυγχάνει τις ὑμῶν δραπέτης ἐστιγμένος,
Ἀτταγᾶς οὗτος παρ' ἡμῖν ποικίλος κεκλήσεται. Id est:
Si quis è vobis erit fugitiuus atq; vstus notis,
Attagen is sanè apud nos varius appellabitur.

Caput V.

HIstoria *matronæ Ephesinæ* apud PETRON. Eius veritas à diuersis autoribus astruitur. Breuis eiusce histor. recapitulatio. Notatur leuitas atq; inconstantia Mulierum toto hoc discursu. An, & quo pacto mulier, passa quinq; dierum inediam, potuerit militi succumbere? Inedia duplex: abstinentia, & indigentia. Inediæ differentiæ, & caussæ. Corpora phlegmatica præsertim Mulierum, facilius Inediam tolerant. Hinc plerumque sexus muliebris inediis miraculosis corripitur. Inedia cum fame malè confunditur à *Fuchsio. Dn. Sennerti* opinio, corporum indissolubilitatem, quâ nihil exspiratur, caussam esse inediæ miraculosæ, non omninò satisfacit. Tristitia affectus potentissimus. Luctus veterum in funeribus, fictus, ostentationisq; plenus. Hinc præficæ mulieres. Feminæ, sine dispendio, Veneré, licet abstinentes, ieiunæque, exercent magis quàm viri. Luctus atq; inedia *matronæ Ephesinæ* apud PETRON. prorsus ficta. Examinantur eius rei circumstãtiæ. Arguitur ergò impuræ expositæq; libidinis prostibulum fuisse. Execranda atque atrox eiusdem sæuitia in maritum sepultum: quem prius inusitatis, sed fictis, ceremoniis defletum, in crucem agi tantùm non passa est, sed iussit, sed voluit. Elegans *Simonidis Poëtæ* carmen, de Mulieribus è bestiis oriundis.

A G. 38. in fin. de *Matrona Ephesina* apud PETRON. ità legimus; *Quintum iam diem sine alimento trahebat*, &c.

Quæritur: *An tantæ in Muliere vires, vt post quintum diem sine vllo cibo potuque transactum, potuerit militi succumbere, voluptatemq; veneream exercere?*

Resp. ARBITER, loco citato, *de matrona Ephesina* memorabilem ac notatu dignam alioquin historiam recenset, quàm verè ità, sicut affertur apud *Satyricum* nostrum, contigisse, autores sunt *Ioan. Salisberiensis lib.* VIII. *de molestiis, & oner. coniugior. c.* II. *de Mulier. Ephesinæ & similium fide*, itemque *Flauianus* apud *Salisberiensem*. Eadem carmine reddita à *Romulio* Grammatico veteri: Eadem ex Latino antè ducentos annos in sermonem Germanicum tractata à nescio quo: Eadem Græco quoque idiomate versa legitur, teste *M. Welsero, præfat. in histor. Apollon. Tyrii*: Eadem è Germanico rursus Latinitate donata à *Franc. Modio*: Eadem insuper Gallicis versibus descripta per *Hebertum Clericum*: Eadem deniquè in Anglicam quoque linguam traducta fuit *ab Assero* Angliæ Rege; de quibus videndus *Dn. Goldastus in Symbol. ad Petron.*

Ea verò, *matrona*, inquam, *Ephesina*, (vt breuem hîc instituamus velut recapitulationem) tàm commendatæ erat pudicitiæ, vt præterquam quod ea de caussa vicinis gentibus admiraculo esset, maritum morte defunctum incredibili tantùm non planctu prosequeretur, sed cadauer etiam mortui in conditorium, siue in hypogæo Græco more positum, vsque quaque totis diebus noctibusque continuo fleret.

Huic

Huic pertinaci dolori tantoperè mulier incumbebat, vt quintum iam diem sine alimento traheret, neque omninò ab agnatis, neq; ab ipso magistratu expugnari eius luctus posset.

Sed, quid accidit? Imp. prouinciæ fortè fortuito iuxtà easdē ędes, vel conditoriū, vbi religiosæ vsq; eò pudicitiæ mulier luctū celebrabat, latrones iussit crucibus affigi, eratque miles, qui excubias ageret, ne cadauera crucib. detracta sepulturæ mandarentur. Is, cum notato inter monumenta lumine clarius fulgente, auditoq; dolentis gemitu, descendisset in conditorium, vidissetque pulcerrimam mulierem, obstupuit primùm, nesciens, quæ facies & vndè sibi obiectaretur. Re omni tamen cognita vbi animum recepisset, allata in monumentum cœnula sua, disertissimis verbis tentauit pertinaci feminæ primò luctum excutere, tum cibum persuadere. Quam cum frustrà precibus aliquantisper fatigasset, randem ancillæ luctus consciæ pertinacia à milite odore vini expugnatur. Illa igitur potu ciboque refecta dominæ iuxtà ferociam muliebribus blandimentis debellare aggressa, tandem victoriam obtinuit, adeoque cibum potumq; affabrè persuasit. Verum (vt est vitium genris humanæ) miles quibus machinis luctum excusserat, ad victumque & genium reduxerat inedia se se consumentem, iisdem etiam paulò post pudicitiam feminæ tentauit. Nec non & hâc victoriâ potitus est. Postquam igitur tantùm non illa nocte, qua fecerant nuptias, Veneri suæ litassent, verùm etiam secunda tertiaq; die vsque eo libidini vtriusque satisfactum esset, euenit, vt, laxata custodia, quidam è cruce suffixorum à parentibus intereà detractus supremo afficeretur officio. Verùm enim verùm, prout nulla ferè lætitia consueuit esse diuturna, miles, cognito errore, vbi crucem cadauere vacuam notauit, extremum supplicium veritus, mulieri fortunam suam exponit, rogatque, vt se vnà cum defuncto eodem sepulcro componeret, quippe qui iudicis sententiam minimè exspectaturus, sed gladio potius ignauiæ suæ finem facturus foret. Ad quæ mulier, non minus iam misericors, quàm pudica anteà, apud quam desiderium prioris illius tàm improbè (si Diis placet) adamati mariti, secundarum nuptiarum interuentu, iam omnino deferbuerat: Istud vero Dii prohibeant, inquit, vt eodem tempore duorum mihi carissimorum duo funera intueat, malo mortuum in crucem agere, quàm viuum interimere. Qua audita optata sententia cadauer ex arca tollitur, atque in crucem illico agitur.

Hem tibi nunc inexpugnabilem mulieris pudicitiam! hem admirandam inusitatamque fidem! Quæ prius præ dolore defuncti inedia quinque dierum se penè consumpserat, paulo post militi, ad patibulum excubias agenti, nunquam anteà viso, tàm leuiter & nulla de caussa succumbit, neq; tantum succumbit turpiter, imo vero etiam cadauer mariti in crucem agi patitur. Sed quid dico patitur? imo vult, iubet, mandat. O bellam mulierum, inquam, constantiam. Rectè *Q. Cicero* inter *fragmenta Petronianorum*, sequens *Epigramma* Mulierum leuitati dicauit:

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis,
Namq; est feminea tutior vnda fide.
Femina nulla bona est: &, si bona contigit vlla,
Nescio quo fato res mala facta bona est.

Mulierem itaque omnem esse malam, perquam venuste indigetauit *Lacon* quidam, qui cum vxorem duxisset perpusillam, dicebat è malis quod minimum esset, eligendum. Hinc *Adagio* illo vix quicquam tritius: πῦρ, καὶ θάλαττα, καὶ γυνὴ, κακὰ τρία: Id est,

Id est: *Ignis, Mare, Mulier, tria mala.* Vide *Des. Erasmum Chil.* II. *Cent.* II. XLIIX. Simile præcedenti illud quoque vulgarum est, nisi maiorem quoque in recessu efficaciam habet: *Mulieri ne credas, ne mortuæ quidem.* Sic fertur statua nouercæ sepultæ, priuignum, serto illam coronaturum, oppido interemisse. In quod *Callim ubi*, præter *Erasm. Roterod. Bu[...]ent. Vulcanium, C. Vrsin. Velium, Ioan. Sleidanum, Ioan. Lauterbachium, Nicod. Frischlinum, Ioan. Seterum, Othmar. Luscinium, Hieron. Megiserum,* qui omnes *Callimachiaanum* illud è *Græcis* transtulere, eleganter ac eruditè *Thomas Morus:*

Flore nouercalem cingit priuigne columnam,
Morte ratus mores interiisse malos.
Te tamen illa premit subitò inclinata: nouercæ,
Si priuigne sapis, ipsa sepulcra fuge.

Rectè igitur *Des. Erasmus in Chiliadd. Ego, adeo* (inquit) *non est fidendum mulieri, vt etiam si mortuam videas, putes fingere.* Idem eandem fertuè in sententiam *Chil.* II. *Cent.* X. *Mulieres omnium ferè calamitatum autores fuisse viris dicuntur, testis Pandora Hesiodia, testis bellum Troianum, testis Hercules à Deianira extinctus, testis Danaidum fabula, testis Lemniarum mulierum historia, testis Cleopatra, testis Eua, prorsus infamis apud omnes Christianos.* Nata igitur exindè prouerbialis formula: *γυναικῶν ἄλεθρος: Mulierum exitia.*

Fallor? autem, an imprimis magni momenti est, quod hanc in rem sapientissimus *Hippocrates* prodidit, nunquam satis fidendum esse feminæ, docens, vel exemplo propriæ vxoris suæ, cui in absentia *Dionysium*, tanquam pudicitiæ (vt vulgò) custodem, ac corycæum, præficit. Ita autem diuinus senex *in Epistola ad Dionysium: Domum meam* (inquit) *valdè peropportunam inhabitabis, cum mea vxor propter meam professionem apud parentes maneat, illius tamen vitam obserua, quo pudicè degat, & ne ob viri absentiam alios viros vsurpet. Modesta ab initio fuit, & probos habuit parentes, patrem autem mirum in modum virilem, & vehementer malos odio prosequentem, ac egregiè senem. Semper tamen eo, qui modestè coerceat, mulier opus habet. Natura enim insitam intemperantiam habet, quæ nisi quotidie resecetur, velut arbores superuacuis frondib. & inutili fructificatione luxuriat. At ego amicum parentibus diligentiorem in muliere custodienda existimo. Neque enim hic, velut illi, beneuolentiæ affectu cum ea coniunctus est, quæ plerumque admonitioni tenebras offundunt. In omni autem re, quod sine affectu, prudentius est, quod nimir. beneuolentia frangi non possit.*

Philip. Camerarius medit. histor. part. I. *cap.* XCVII. citat *Epitaphium Meretriculæ Romanæ* extremè lasciuæ, quod *matronæ* huic *Ephesinæ* fors non admodum disconueniat:

D. M.

QVI ME VOLENT.
VALETE MATRONÆ MATRESQVE
FAMILIAS. VIXI ET VLTRA
VITAM NIHIL CREDIDI. ME
VENERI ALVMNÆ ADDIXI.
QVOS POTVI PELLEXI FILTRIS
ET ASTV. VIRO HVMATO
NON VIDVA FVI NEC MARITI
NOMEN ADEPTA. QVÆ O NON INVIDETE.
FORTIA FAMILIA EST VENERIS DOMVS
LICICIVM CVPIDINIS: CAVE VIATOR
NE ME DIV CALCATAM CALCES.

Ad propositam iam quæstionem quod attinet, qua quæritur: *Quomodo mulier, passa quinq; dierum inediam, potuerit militi succumbere, veneremq; exercere?* Pro eius resolutione, inquirendum prius est, quid, & quotuplex sit *Inedia*, & ex quibus potissimum caussis oriatur. Deindè, quænam à PETRONIO circà istud exemplum mulieris inediam patientis allegentur circumstantiæ?

Dicimus autem initiò inediam esse cum prorsus nihil neq; cibi, neq; potus assumitur, siue id fiat studio & de industria, siue ex natura ad morbum certo modo disposita, vndè fastidium cibi oboritur. Et hęc propriè & strictè inedia dicitur. Alia verò latius dicitur, vt cum certa quædam ad victum præscribuntur, exclusis cibis multis, licet suauibus, sed ad valetudinem minus conuenientibus.

Duplex igitur est Inedia: Alia, quæ certis saltem cibis potibusq; atque ad vires conseruandas ipsamq; valetudinem necessariis, vtitur, atq; hæc abstinentia proprie indigetatur, quæ ad diætam potissimmum spectat. Quanquam hęc quoq; sanis, secundum *Hippocr.* v I. *Epid. sect.* I v. *aph.* xx. præscribi possit, dum eo loci inquit: *Sanitatis studium est, non satiari cibis: Plinius* etiam *lib. natur hist.* xIIx. *c.* v. in cibis, ad sanitatis conseruationem, temperantiam, ceu rem longe vtilissimam, commendat: vsus tamen, nescio, an abusus, magis inualuit, vt hodie parum, quoad diætandi rationem, aut abstinentiam, ita vocatam, Medici opera apud sanos requiratur. Hominem autem sanum, iuxtà *C. Celsi* mentem, suæ spontis esse debere pleriq; contendunt; qui in hæc verba *lib.* I. *c.* I. *Sanus homo* (inquit) *qui & benè valet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet, ac neq; Medico, neq; iatralipta egere.* Rectè itaque eo magis *Hippocrates* sanis hominibus medicinis interdicit purgantibus, *lib.* II. *aph.* xxxvII. *Qui secura sanitate fruuntur, hos purgare graue est.* Et ibidem *aph.* xxxvI. præcedenti. *Qui sano sunt corpore, dum pharmacia purgantur, celeriter exoluuntur, atq; hi, qui prauo vtuntur, nutricatu.* Idem pariter confirmat *lib.* I v. *aph.* XLVI. *Helleborus calamitosus est iis, qui sunt integra valetudine; nam conuulsionem affert.* Ad quem locum doctissimus *Ioan. Heurnius: Vidi* (ait) *quos in perniciem traxit solum simplexq; apozema purgatorium ex fumaria cum Senæ foliis temere exhibitum. Nam corpus totum in colliquantem fluxum traxit.*

Licet autem diuinus Senex, atque ipse *Celsus*, sano homini pharmacis, purgantibus maximè, interdicant, diæta tamen & victus ratio, cùm abindè morborum colluuies proueniat, etiam rectè valentibus accuratius obseruata initaq;, non tantùm valetudinem præsentem tueri ac conseruare, sed imò ab imminentibus morbis vtiliter corpus præseruare apta est.

Abstinentiam itaque siue Inediam làtius acceptam, potissimum iis præscribimus, tum qui cum morbis conflictantur, tum qui à morbis iam conualescunt. Inprimis autem in *Acutis* affectibus, qui Crisi iudicantur, maximi momenti est diæta, vel abstinentia, quæ ritè obseruata, ægrum, si signa alia adsint salutaria, secundum DEVM, liberare, secus adhibita eundem facilè strangulare potest. Ideoque Dictator tam accuratus est in præscribenda Dięta, præsertim in morbis *acutis*, vt vid. rect. *lib.* I. *aph.* Iv. v. vII. IIx. Ix. x. & *libro* peculiari, cui titulus, *de victus ratione in Acutis.* Aliam siquidè præscribit diætam in morbis chronicis, aliã in morbis *Acutis*: aliam similiter in ipsis *Acutis*, si febris sit vehemens, atque status, seu vigor morbi immineat: aliam, si febris longiusculè à statu adhuc absit. In status igitur tenuissima diæta vtitur: in iis verò, qui à statu ac vigore len-

longiusculè absunt, pleniorem paulò victum commendat, ne vires intereà deficiant, donec ad morbi statum ventum sit. Sic aliam itidem diætam in febribus valdè *Acutis*, alias *Per-acutis*: aliam in *simpliciter Acutis* iniungit. In his *tenui*, in illis verò *tenuissima diæta* vtitur, prout videre est *lib.1. aph.* VII. Vt vero sciatur quid, & quotuplex hic sit *diæta tenuis*, doctissimi illius *Hippocratis* interpretis, *Heurnii* nostri, verba in medium afferemus: *Diæta* (inquit) *tenuis, est triplex, tenuis simpliciter, tenuissima, & exquisitè tenuissima. Exquisitè tenuissima debetur his morbis, qui quarto die finiuntur, & hæc est abstinentia in totum, modo æger ferat. Tenuissima diæta præscribitur his morbis, qui septimo die suam absoluunt historiam: hac vtitur Mellicrato, oxymelite, succo ptisanæ. Tenuis simpliciter diæta debetur illis morbis, qui in decimum quartum diem excurrunt: ptisana integra his dicata est. Si longius excurrat morbus, appellatur is Acutus ἐκ μεταπτώσεως, hoc est, ex degeneratione; hic ita dicitur, dum quadragesimum diem attigerit: huic præbetur, ptisana integra. Qui vltrà hos repunt, longi vocantur.*

Porrò in paroxysmis *Febrium Intermittentium* quoque damno non vacat, si cibus tum præbeatur: prout Dictator disertè asserit *lib.1. aph.* XI. *In paroxysmis à cibo abstinendum est, nam eius accessio damno est.* Imò etiam in aliis morbis chronicis, qui circuitus certasque habent exacerbationes, tempore paroxysmi cibare noxium est: vt eodem aph. innuitur: *Quinetiam* (ait) *qua periodis quibusdam ingrauescunt, in horum paroxysmis abstinere oportet.*

Verùm isthæc omnia ferè, & quæcunque de hac abstinentia plura dici possunt, pendent ab arbitrio atque industria Medici & ægroti, neque sunt de necessitate. Multi enim morbi dantur, in quibus æger victum, id est, potum, cibumque interdum, appetit, quem Medicus de industria prohibet: sicut accidit in *Catarrhis, febribus, arthritide, podagra, Lue venerea, Scabie* & morbis id genus aliis, præsertim etiam in *Hydrope*, vbi æger citrà voluntatem, cogitur abstinere cibis ac potibus tantopere desideratis. *Podagrici* hoc, aut similibus, solari sese solent, ac debent:

Est virtus placitis abstinuisse bonis.

Et hæc huc-vsque de *Inedia*, quæ verius *Abstinentia* vocatur.

Alia verò est *Inedia*, qua, non requirente morbo, nihil prorsus nec cibi nec potus assumitur, quam Græci ἀσιτίαν appellant, Latini *Inediam*, vel *Indigentiam*. Ea autem rursus duplex est, vel voluntaria; vt si quis studio sibi inediam præscribat: vel melancholia, luctu, mærore, aut grauibus de caussis aliis agitatus; velut hîc apud PETRONIUM de industria egit *matrona Ephesina*, quæ, sana alioquin, quintum diem, præ dolore inusitato, ex obitu mariti concepto, voluntaria inedia sese macerabat.

Alia verò *Inedia* contingit insuper citrà voluntatem, quæ non nunquam sanis, aliquando conualituris accidit, qua quidam homines, mulieres præsertim, obseruati sunt, sine naturali aliqua sufficiente caussa, plures annos, absque omni cibi potusque fruitione, inedia prorsus exquisita, extremaque vitam transegisse.

Hæc autem *Inedia* rectè *miraculosa* appellatur; quod sine sufficientibus naturalibus caussis, miraculosè desuper eueniat, & DEI manus arbitranda sit; cuius rei plura exempla in historiis medicinalibus apud autores sunt obuia; sicut paulò infrà attingemus.

Caussæ *Inediæ* præter miraculosas, abditasque, quæ hîc sub discussum non veniunt, ad duas classes redigi possunt, suntque aut ἐσωτερικαὶ, aut ἐξωτερικαί. Inter *Internas* caussas recensentur, humores crudi, temperamentum phlegmaticum, & id genus; atq; hæc, quatenus in sanis. Ii enim, quibus corpus crudis humoribus abundat, facilè inediam tolerant, quod ex phlegmatica ista exuperantia, in defectu alterius alimenti, concoctio celebrari, atque indè nutritio fieri possit.

Siquidem, cum velut ex dimidio isti humores sint cocti, parum alterati, atq; in sanguinem transmutati, corpus nutrire possunt, sicut habet *Leonh. Fuchsius lib. II. Instit. sect. v. cap.* XXXVII. Et hinc corpora phlegmatica facilè inediam tolerant prout apparet in feminis, quæ crudis eiusmodi humoribus redundant, id quod vel ex menstrui sanguinis superfluitate atque stata euacuatione liquidissimum est. *Hippocrates* de iis, qui facilius inediam ferunt itâ pronunciat *lib. I. aph.* XIII. *Senes* (inquit) *quibus est cruda viridisq; senectus, inediæ patientissimi sunt; mox homines constantis ætatis; nequaquam adolescentes; maximeq; omnium pueri: atq; omninò, qui id ætatis fuerint alacriores.* Hac itaque ratione viri, quod sint naturâ & temperamento calidiores, mulieribus difficilius inediam sustinent, præsertim ex iis hoc minus pati possunt, qui sunt natura biliosi, raræ texturæ ac πικρόχολοι: Qui calorem ad igneam naturam procliuem habent, & in quibus facile febris suscitatur, aut morsus vel rosio stomachi oritur. Quod si verò non aliud euinceret, mulierum genus inediæ, virorum respectu, patientissimum esse, certè sufficerent hîc medicinales illæ historiæ, de inediis admirandis, *Marcell.* scilicet *Donati, Ioan. Schenckii, Georg. Horstii*, & aliorum, in quibus nunquam ferè viros (quod equidem meminerim) semper autem puellas, femellasque inediis istis miraculosis affectas fuisse omninò intuemur. Sic *Langius libr. II. Epistol. cap.* XXVII. historiam *puellæ Spirensis* recenset triennalem inediam passæ. Sic de *Abstinenti Confolentana* scribit libello peculiari *Franc. Citesius*. Sic *Schenckius libr. III. obseruat. x. de puella Tullensi* per triennium ieiunante refert. Sic *Matthæus Hessus*, & *Henr. Smetius libr. x. miscell. Medic.* meminerunt *puellæ Palatinæ* omnino abstemiæ.

Sic *Quercetanus Constanensem* quoque *viraginem* allegat, quæ IV. annos nata, per sesquiannum tum tempor. sine potu ciboque perstiterat. Sic de *puella Heluetia* illa *Apollonia Schreiera*, decennali inedia celebri, multa & miraculosa inculcat, præter *Paul. Lentulum, Cl. v. Guilh. Fabritius Hildanus, in obseruat. Chirurgicis, & Amplis. v. Georg. Horstius*, in *libr.* VII. *ad Marcell. Donatum*. Sic denique de historia *puellæ Belgicæ*, *Morsensis* illius, quæ diuturnam inediam miraculosè passa est, *Dn. Georg. Horstius*, loco citato, & multi alii autores multa. Vt vel ex his exemplis liquidum sit, sicut etiam naturaliter euenire inedia diuturnior possit, quando calor debilis parum appetit, interno nutrimento per collectionem (vt supra diximus) pituitosæ materiæ subministrato, cuius copia olim sufficere queat, quod parum etiam in eius-modi corpore quotidiana caloris actione deperdatur, vt autores sunt *Laurent. Ioubertus, Io. Langius*, & *Franc. Citesius*, teste Cl. V. *Georg. Horstio*.

Hoc loco *Cl. D. Sennertus* eorum sententiæ accedere videtur, qui corpora talia penè indissolubilia, nihilque aut parum ex iis exhalare, aut insensibiliter exspirare tradunt: quod humore tenaci, benè concreto compactoque atque actioni caloris nutrimentum depascentis, minimè cedente, &, quod vno verbo dici potest, fixo & stabili constent: calorem, que mitissimum esse & placidissimum, nec multum alimenti requi-

requirere, atque ita ex alimento benè confecto tenaciterque retento, longo tempore conseruari animal: verba sunt præfati autoris *libr. Instit. II. part. III. sect. II. cap. I.* Quæ omnia, quantumuis satis speciosa, & probabilia, ad diuturnam tamen, & aliquot in annos sese porrigentem miraculosam inediam sufficientia minimè esse videntur.

Quâ quidem occasione non videmus, quo pacto *Fuchsius* loco suprà citato *famem* cum *Inedia*, vel inediam cum τῷ λιμῷ, vt habet *Hippocrates*, confundat. Alia enim est *Inediæ*, aliæ *Famis* definitio. Et cùm *Inedia* vt plurimum, quantumuis maximè propriè accepta, ab arbitrio hominis dependeat, ac voluntaria sit, ecquis mortalium est, qui famem, quà fames, tolerare studio velit, aut, si velit maximè, possit.

Fames enim est velut quædam rabies, præsertim si intensa sit, à nimia ventriculi suctione & stimulatione, ex alimenti defectu, excitata. De qua appositè, sicut in omnibus suis, Elegiaci carminis magister, *Naso* noster, *Metamorph. libr. VIII.*

——Furit ardor edendi
Perq; auidas fauces, immensaq; viscera regnat.

Et quæ eo loci super horrendâ *Erisichthonis fame* plura affert, Poëtarũ ingeniosissimus, horrendam eam esse rabiem perhibentia. Porro *fames* etiam caussis omnino ab *Inedia* differt, vel abstinentiâ. Hæc enim fit nullo suctionis argumento, sed potius phlegmatici humoris à lentore ac tenacitate. Illa verò ab acris humoris aciditate, austeritateque, imò ab exquisita stomachi vellicatione, suctioneque; vnde etiam *canina fames*, βουλίμος dicta, à quibusdam humori cuidam atrabilario vitiosoque asscribitur. Alia tamen res est in ægris, & febricitantibus, qui à biliosis putridisque humoribus, in ventriculum effusis *fame* non corripiuntur, licet corripiantur inedia cùm isthîc toto etiam corpore exuperante calore febrili, calor innatus, roburque & vis coctrix ventriculi eneruata sit, adeo vt nullus ciborum appetitus, cupido verò rei humidæ, vel potus, ratione caloris, multa excitetur; id quod in *Æstate* quoque. itemque ab vsu *Balnearum calidarum*, ratione æstus exsiccantis, accidere videmus. His adde dolores, vigilias, inquietudines, atque alia morborum accidentia, quæ omnia cibi appetitum imminuunt, profligantque.

Ad externas *Inediæ* caussas quod facit, ad eas ipsas, inquam, haud immerito referimus forinsecus accidentia, vt sunt animi παθήματα, v. gr. *metus, timor, sollicitudo, curæ, tristitia, & luctus*, de quo hîc nobis inprimis sermo. Inter cæteros autem *Ios. Quercetanus diætet. Polyhist. lib. I. cap. IX.* *tristitiæ* affectum effectumque describit: *Quicunque* (inquit) *huius-modi symptomate afficitur, hunc sæpenumerò licet videre omnis prorsus quietis expertem, dies ac noctes insomnes transigentem: lentis gressibus incedentem, obstipo capite humum transfigentem, circa sepulcra & deserta loca errantem, vberes lacrymas ex oculis emittentem, aures cuilibet passim consolationi occludentem, nilq; nisi suspiria ore effundentem. Manibus is pectus liuidum pertundit. lucem refugit, & latebras quæritat remotiores. se seq; ab humano secernens consortio, solâ gaudet solitudine; cum vultu sereno fronteq; prius exporrectâ vigeret, nunc iisdem liuet, & corrugatur: si habitu corporis præstabat antea validissimo, tabescit sensim atq; liquescit.* Et paulò post: *Deniq; stomachus malè affectus & nauseabundus, in probum chylum cibos ingestos minus potest transmittere, sic confecti inæstimâ. facultatum animalium nullam propè norunt exercere functionem, nullum ministerium.* Hæc, inter alia, *Quercetanus*.

Cùm itaque tam potens sit affectus *tristitia*, quis eam cibi contemptum caussare inficias ibit, cùm sæpenumero & vitam ipsam contemnat præcipitetque? Sic de *Octauia*,

Imp. Augusti sorore, legimus, eam ob obitum *Marcelli*, filii sui, tantum dolorem concepisse, vt nullâ humanâ consolatione, nulloque penè remedio placati eius tristitia potuerit. Sic, inter multa exempla alia, acutissimus Philosophus & Medicus, *Ioan. Fernelius*, qui vniuersam Medicinam disertissimâ eruditissimâque methodo complexus est, Medicorum Gallicanorum lumen, ex obitu coniugis dulcissimæ tàm implacabili animi luctu affectus est, vt vitam cum morte exinde commutârit. Indicat id ipsum *Thorii Bellionis* distichon numerale, quo continetur tempus & caufa obitus *Fernelii*:

ConIVge FerneLIVs raptâ perCVLsVs Vt aVLæ,
Vt LVCIs fatVr, Vt noMInIs InterIIt.

Obiit autem *Fernelius* 1558. VI. *Cal. Maias.*

Quò autem ad ipsam quæstionem, præmissis istis hypothesibus, propiùs accedamus, quâ interrogatur: *An, & quomodo Mulier, quinq; dierum inediam passa, Venerem sustinere potuerit?* Respondemus porrò: *Inediam* aliam veram, aliam fucatam simulatamque esse; sicut luctus alius verus, alius fictus est. Sic *Ægyptii*, autoribus *Diodoro*, & *Herodoto*, Regum Principumque suorum exequias celebribus quibusdam ceremoniis prosequebantur, idque ad speciem ac pompam externam, sicut hodierno adhùc tempore penes Magnates in vsu est. Sic *Græci* & *Romani* antiquiores planctus suos in celebrandis funeribus à *Chaldæis Ægyptiisq;* mutuati sunt, in quibus multa erant absurda ac ridicula. *Alexander ab Alexand. lib.* III. *cap.* VII. & *Cal. Rhodiginus lib.* XVI. *lect. antiq.* Muliercularum meminerunt, quæ ab antiquis pretio conducebantur, vt flebili cantu, funebrique næniâ mortuos deflerent, vitamque & res gestas eorum ὠδικῶς concelebrarent; quales *Præficæ*, & *Carinæ* olim dicebantur, eo quòd luctui præessent. Hæ autem & similes id genus emptitiæ personæ, eos, quos etiam nunquam viderant, ære conductæ, publicè lamentabantur, lacrymas pretio extorquebant, imò planctus, vlulatus, comarum capillorumque direptiones, pectoris contusiones instituebant, vt ingeniosis hisce ac commentitiis lacrymis tristitia fingeretur, ad captandam auram popularem.

Quæ cum *Romanis*, more Græco, (prout ipse PETRONIVS astipulatur in textu præsenti) in vsu fuerint, quis dubitet, *Ephesinam* istam *matronam*, nullo quantumuis pretio conductam, lasciuiâ præeunte, ad captandam auram popularem, eundem fucum fecisse, artificioséque cum luctum, tum inediam mentitam fuisse? Quodsi enim fictus ac simulatus exstitit istius luctus, certè etiam inedia non sine fraude constitit. Quodsi hoc ita: per Venerem! sine incommodo ac difficultate tantùm abest, vt militi succubuerit, vt magis isthoc nocturnum sacrum ac Veneris peruigilium insuetâ ita lugendi consuetudine, sed fictâ prorsus, studiosè quæsiuerit. Multi enim, imò multæ, (feminæ, inquam) aliter agendo illud agunt, vt, quod de industria venantur, tanquam ex accidente, aut improuiso incurrisse videantur.

At esto! concedatur etiam, *Mulierem* illam, formosam, atque aliàs benè habitam, per quinque dies ieiunâsse. An iccircò omnes perdidit vires, præsertim cùm sana esset, & voluntariam faceret sibi inediam? Quæ igitur superiùs allegauimus, femellas, ob colluuiem humorum crudorum, pituitosorumque, qui paulatim in nutimentum

rum abeunt, itemque, quæ de calore feminei generis imbecilliori attulimus, si, ea, inquam, huc referantur, non difficile sit demonstrare, femellas alioquin & naturâ & temperamento inediæ tolerantissimas esse. Et licet obtendere aliquis possit, *coitum* vires eò magis dissoluere, quæ prius ab inedia languidæ erant: Ei hoc reponimus: Illud quidem potissimum verum esse in viris, non illicò in feminis; quæ, tantum abest, vt è congressu, ceu viri, debilitentur, vt potius corroborentur, emergant, imò, vt habet notissimus autor *Leuinus Lemnius*, lassentur potius, quàm satientur, præsertim cum tanto desiderio mulierum cohors appetat mares, sicut materia ad formam fertur, teste *Aristotele in Physicis*. Imo verò etiam, cum muliebre genus ad patiendum natum fermè sit, interque omnes actus Venereâ passione nihil quicquam accidere illis gratius possit, inprimis, cùm in concubitu ipsæ non agant, sicut mares, multo minus tantum virium insumant, aut dissoluantur, ecquis dubitabit, libidinosam istam *Ephesinam* damnum abinde prorsus nullum, sed magis emolumentum accepisse?

Ne quis autem porro obiiciat: Ieiunium quinque dierum isthoc exercitium, id est, Venerem, non admittere, cum *Hippocrates* ità enunciet in contrarium *lib. II. aphor. XVI.* *Corpore* (ait) *inediâ confecto non est laborandum*: quæ verba sic explicat *Heurnius* noster: *Exhaustis* (addit) *non est præscribenda purgatio, nec venæ sectio, nec sudoris euacuatio, nec quicquam tale*: audiat is ipsum PETRONIVM, qui *matronam Ephesinam* prius cibo potuque refectam esse scribit, antequàm Veneri suæ litaret. Sic enim habet textus: *Itaque mulier aliquot dierum abstinentia sicca, passa est frangi pertinaciam suam: nec minus auidè repleuit se cibo, quàm ancilla, quæ prior victa est.* Et paulò post: *Quibus blanditiis impetrauit miles, vt matrona viuere vellet, iisdem etiam pudicitiam eius aggressus est.* Quidni igitur mulier libidinosa, etsi vel verè, vel ad speciem simulanter inediam aliquo-usque passa, vbi potu ciboque anteà se confirmâsset, actum tantoperè sibi desideratum sustinere queat?

Quid? quòd *Ephesinam* eandem illam, ad speciem duntaxat pudicam probamque, intus verò atque in cute lasciuissimam capellam fuisse, indicium faciunt vel ea ipsa verba, quæ *Eumolpus* apud PETRONIVM *pag.* 38. de feminarum in vniuersum leuitate aspergit. Ad cuius propositi confirmationem insignem deinceps isthanc historiam, orditur, vtpote quâ luculentissimè contestetur; Mulieres, tametsi alioquin continentiâ graues ac spectatas, in recessu dataque occasione facilè extremam in leuitatem deuolui. Sic autem verba *Satyrici* de *Eumolpo*: *Caterùm Eumolpus & periclitantium aduocatus, & præsentis concordiæ auctor, ne sileret sine fabulis hilaritas, multa in leuitatem muliebrem cœpit iactare: quàm facilè adamarent: quàm citò & filiorum obliuiscerentur: nullamque esse feminam tàm pudicam, quæ non peregrinâ libidine vsque ad furorem aucrteretur: nec se Tragœdias veteres curare, aut nomina sæculis nota, sed rem suâ memoriâ factam: quam expositurum se esse, si vellemus audire. Conuersis igitur omnium in se vultibus auribusque, sic orsus est: Matrona* (inquit) *Ephesina*, &c.

Luctum quapropter, imo ipsum ieiunium falsum fictitiumque, feminam verò istam ferocis vsque eo libidinis fuisse, ad oculum patebit porro ex circumstantiis, quales eodem in textu apud ARBITRVM describuntur.

I. Primum enim, Græco more, corpus defuncti humauit, instituitque ceremonias funebres

funebres, in quibus multa committebantur absurda, atque à ratione prorsus aliena, prout eo temporis moris erat, annotante, inter cæteros, *Ios. Quercetano dietet. polyhistor. lib. 1. cap. IX.* Sic autem de ceremoniis funerum, more Græco, ab *Ephesina* ista viragine institutis, ARBITER *pag. ead. Hæc ergo* (inquit) *cum virum extulisset, non contenta vulgari more funus passis prosequi crinibus, aut nudatum pectus in conspectu frequentiæ plangere, in conditorium etiam prosecuta est defunctum, positumque in hypogæo Græco more corpus custodire, ac flere totis noctibus diebusque cœpit.* Ex quo testimonio apparet, istam mulierem non contentam fuisse vulgaribus ceremoniis, neque satis famosis, tum etiam non solum pectus coram populo publice contudisse, verùm etiam defunctum in conditorium prosecutam esse, corpusque custodisse ac plorasse totis noctibus diebusque, Græco more præsertim, id est, absurde, luxuriose, mendaciterque velut.

II. Deinde, annon hæc genuina muliebris leuitatis indicia in *Ephesina* illa? Quæ tàm acerbum præ se ferens dolorem videbatur prius nullum, velut luctui remedium admissura, mox nacta illius trium literarum hominis, patibularii excubitoris, pudibundam ad vocem illicò obtemperat, cibo non tantùm se se infarciens ex manu stratiotæ grassatoris, imò etiam ad nutum triobolarii hominis obtemperans.

III. Neque eo facto acquiescit astuta atque indomita ceruix, posteaquam militi ad colloquium nutumque aures commodasset, quod excusari in quantum poterat, sed (quod auditu infame) amoris illius coniugalis, defuncti recens mariti, omnisque imò pudoris turpiter oblita, in loco diis manibus sacro, atque ab istius sceleris contaminatione merito immuni, fit prostibulum, furiosæque libidinis plena patibulario erroni, qui cruces custodiebat & furcas, tàm leui, quod fertur, brachio, leuissimâ mente succumbit, inque obscœnam deuoluitur Venerem. Hoccine est, per hominum fidem, maritum conceptissimis ploratibus lugeré, atque omnem velut consolationem super defuncto excutere? Hem! quæ extrema isthæc libido? quis furor insignis huius feminæ impurissimæ? Ità verò autor *Satyrici pag. 39. Itaque* (inquit) *mulier aliquot dierum abstinentiâ sicca, passa est frangi pertinaciam suam: nec minus auide repleuit se cibo, quàm ancilla, quæ prior victa est. Cæterùm, scitis, quid tentare plerumque soleat humanam satietatem? Quibus blanditiis impetrauerat miles, vt matrona viuere vellet, iisdem etiam pudicitiam eius aggressus est.* Et dein: *Ne hanc quidem mulier partem corporis abstinuit, victorque miles vtrumque persuasit.* Elegans per cupidinem! castitas, in ipso funere, in ipso quinetiam conditorio, loco sacro, atque inuiolabili, fucatam pudicitiam prodere, luctum falsum atque egregiè mentitũ obscœnis fornicationibus, ac Venere nefastâ contaminare: Sed audiamus grauiora.

IV. Imò verò neque tam execrabili scelere semel admisso perhorruit lasciuiæ mulieris improbitas: verùm enim verùm sedentes in limine Diras, vltricemque Nemesin, nequicquam morata, velut anteà artificiosè, ac de industria finxerat luctus acerbitatem, ità tam-nunc præmeditatè, operâ ac studio id agit, vt, nactâ tàm opportunâ occasione, se se totam Veneris illecebris immergat, inexhaustæ inprimis libidini suæ strenuè operetur. Quis enim non ex instituto illam peccasse arbitretur, cùm non vnâ nocte contenta fuerit, sed & posterâ die & tertiâ idem sacrificium Veneri reiterauerit? Sic autem PETRONIVS ipse confirmat: *Iacuerunt ergò vnà, non tantum illa nocte, quâ nuptias fecerunt, sed postero etiam & tertio die, præclusis videlicet conditorii foribus, vt quisquis ex notis ignotisque ad monimentum venisset, putasset exspirasse super corpus viri pudicissimam vxorem.* Delectis itaque qui studio immoratur, is alioquin insignem malitiam præsupponit,

nit, atque electiuè ac de consilio grauius peccat. Ita verò excusatio hîc nulla afferri potest, ac velut à milite (vt plerumque prætendere id genus solet) vi oppressa, aut vino prius corrupta admiserit imprudenter tam inexcusabile aliâs facinus.

V. Præterea impuræ lasciuiæ feminam fuisse, si quis attendat, è verbis præallegatis euidentiùs intelliget, dum Thais tum demum conditorium præclusit, vbi militem iam intromisisset, recepissetque, foribus antea de industriâ, instar decipulæ alicuius reseratis atque apertis. *Iacuerunt ergò* (inquit ARBITER) *vna, non tantùm illâ nocte, quâ nuptias fecerunt, sed postero etiam, & tertio die, præclusis videlicet conditorii foribus.* Cur, si proba erat, conditorium initio non præcludebat, ne miles, aut alius aliquis accedere propiùs, aut sacra ipsius, luctumque turbare posset? Sed, vt in triuiis allegant:

Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

Elegans igitur fecit aucupium astutissima mulier, dum tum demum decipulam suam præclusit, vbi militem, id est, prædam tantis gemitibus desideratam hamo cepisset.

VI. Denique, vt vt isthæc præcedentia auditu infamia esse protulimus, certè, quæ sequuntur, cogitatu, nedum relatu, horrenda ferè esse, faxo, comperiemus. Quid autem isthîc atrocius fingi potest, quod non muliebris tentet atque exequatur temeritas? Militem in conditorium, vel nunquam visum, admittere, cum eo inter funebres gemitus epulari, imò denique (quod turpissimum) concumbere, imò id ipsum non semel tantùm, sed toties totiesque per integrum triduum continuare, quamuis nullâ excusatione hoc facinus palliari mereatur, veniâque haudquaquam dignum sit; nihilo-minus tamen insuper animus ad tam crudele scelus mulieris furiosæ lasciuiæ horret, quæ quoque maritum ipsum, modo defunctum, atque in hypogæo, more istius temporis positum, nec-non tantoperè à se, licet falsissimis ploratibus defletum, extemporaneo militis patibularii præ amore, contra omnium gentium sacra ac mores ex arca tolli, imò in ipsam patibulariam crucem agi patitur: imò, quid, inquã, patitur, sententiam, nondum ea de re rogata, vltro illicò fert, iubet, mandat, imperatque velut mortui cadauer ex arca tolli, suffigi, atque è patibulo suspendi. Quis ô hominum fidem! quæso, non exhorrescat barbaram istius tri-veneficæ feritatem? Istíne tui elegantes ploratus? Istíne graues gemitus, bipedum iniquissima? Sed audiamus atrocis istius facti historiam, *pag* 40. *Cæterùm, delectatus miles & formâ mulieris, & secreto, quicquid boni per facultates poterat, coemebat: & primâ statim nocte in monumentum ferebat. Itaque cruciarii vnius parentes vt viderunt laxatam custodiam, detraxêre nocte pendentem, supremóque mandauerunt officio. At miles circumscriptus dum residet, vt postero die vidit vnam sine cadauere crucem, veritus supplicium, mulieri, quid accidisset, exponit; nec se expectaturum iudicis sententiam, sed gladio ius dicturum ignauiæ suæ; commodaret modò illa perituro locum, ac fatale conditorium familiari ac viro faceret.* Hæc desperabundus velut miles: qui per se quidem nunquam rogare fuisset ausus, quod ab amica vltro obtinuit. Sed quid illa, cui nullum facinus est, sæuire in mortuum, ne dicam, virum? At confestim sic excipit: *Mulier* (inquit ARBITER) *non minus misericors, quàm antea pudica: Nec istud, inquit, Dii sinant, vt eodem tempore duorum mihi carissimorum hominum duo funera spectem: malo mortuum impendere, quàm viuum occidere. Secundum hanc orationem, iubet corpus mariti sui tolli ex arca, atq; illi, quæ vacabat, cruci affigi. Visus est miles inge-*

nio prudentissima femina; posteroq́; die populus miratus est, quâ ratione mortuus isset in crucem. Non itaque tantùm scelesta mulier consilium de viro mortuo in crucem agendo militi, nouo amasio, dedit, verùm ipsamet potius lictoris ac carnificis vices obiisse videtur, quando ex arca virum illico tolli, atque cruci vacanti affigi iubet, imperat. Quapropter, vetus è Græcis ac sapiens, *Simonides. Poëta, in Iambicis* haud immerito cecinisse videtur multis antea seculis; *Iouem* quasdam feminas creasse ex hispida & setosa *sue*; quasdam è scelesta *vulpe*; quasdam è *cane*; quasdam è *terra*; quasdam è *mari*; quasdam è *mustela*; quasdam ex *equa*; quasdam è *simia*; vtpote quæ omnes ac singulæ singulatim horum animalium mores, itemque maris fluctus, procellas, atque inconstantiam apprimè referant. Illas verò contrà, quas ex *Ape Iupiter* produxisset, tum demum viros fortunatos reddere commeminit, quòd eædem nullis criminibus aut vitiis penè sint obnoxiæ, sed vitam longam ac floridam viris faciant, carisque maritis caræ ac fœcundæ coniuges feliciter consenescant. Sed nihil, aut parum nocuerit, integrum *Simonidis Poëta* carmen, tanquam è fonte suo, adducere, quod interprete *G. Buchanano* sequens est:

Primùm seorsum à femina mentem Deus
Creauit: illam ex hispida setis sue,
Cui cuncta cœno fœda sordido, domi
Humi supellex turpiter prouoluitur:
Illota & ipsa veste turpis squalidâ
Pinguescit alto desidens in stercore.
Aliam è scelesta vulpe formauit Deus,
Quæ cuncta nouit, nec boni quicquam aut mali
Ignorat: hoc in genere plurimum boni
Inest, maliq́; plurimum; ac sæpè temerè
Modò huc, modò illuc flectit ira mobilis.
Alia parentem moribus refert canem,
Maledicta, cuncta audire, cuncta cernere
Intenta, & acri cuncta figens lumine,
Passim errat: & si neminem conspexerit,
Oblatrat: hanc vir nec minis compescere
Queat, nec irâ turgidus si excusserit
Ei silice dentes: nec suaui blandiens
Sermone, nec si sedeat inter hospites:
Sed pertinaci iurgio incassum furit.
Hanc fabricârunt terream dii, inutile
Onus marito, nec boni quicquam aut mali
Quæ norit: vnum id docta tantùm, gnauiter
Comesse: & algens bruma cum induxit niues
Horrens, sedile propius ad focum admouet.
Nunc animum ad illam verte, quæ nata est mari.
Modò læta totum gaudet ac ridet diem,
Vt hospes illam laudet intuens domi,
Nullamq́; inter feminam vsquam gentium

Boni-

Bonis honestisq́; hâc priorem moribus.
Alias nec vlli facilis aspici, neq́;
Patiens adiri propius, indomitum furit,
Ceu fœta catulis accubans teneris canis,
Insuauis, aspra, tristis, ex æquo hostibus
Eadem atq́; amicis: instar instabilis freti,
Quod nunc per æstum leniter stratum iacet
Fluctu quieto, & gaudium nautis parit:
Plerumq́; vasto sæuiens cum murmure
Attollit vndas: illius planè refert,
Quæ nata ponto femina est, imaginem,
Ingenio, & irâ, ceu fretum, mutabili.
E cinere & asina exercita molestiis
Effecta, tandem vix coacta vi & minis
In officio erit desidens in angulo
Noctem diemq́; se cibis ingurgitat,
Ad Veneris autem furta amicum quemlibet
Aduentantem suscipit promiscuè.
Mustela genuit aliud infelix genus,
Miserumq́;, formæ nulla cui sit gratia,
Nil suaue, nulla illecebra, nil amabile,
Inane amoris, atq́; mansuetudinis,
Et coniugalis negligens tori, viro
Præsente, acerbo nauseat fastidio:
Furtiuq́; multis noxia est vicinia,
Necdum immolatis vescitur etiam sacris.
Aliam equâ molli genuit exultans iubâ:
Fugitans laboris & operum hæc seruilium est:
Nec admouebit aut molæ manum, aut cribrum
Tollet, domo nec efferet sordes, neq́;
Furno assidebit, verita ne fuligine
Contaminetur: se coacta coniugi
Simulat amicam: bis quotidie, interim
Ter abluit se, & spargit vnguentis comam
Densam per humeros fusa, flore verticem
Vmbrata, pulcrum cæteris spectaculum,
Miserum marito: ni tyrannus quispiam
Sit, rexve, gaudens apparatu huius-modi.
Hæc à parente simia est: quâ Iupiter
Non tribuit homini pestilentius malum.
Huic singularis oris est deformitas:
Gradiens per vrbem risui est passim omnibus,
Ceruice circum vix caput flectit breui,
Depygis, arens osseis crurum artubus.

O tale monstrum quisquis amplexu fouet,
Miserum maritum! callet instar simiæ
Mentesq; moresq; omnium: nec soluere
Risu ora curat, nec studet quicquam boni
Facere: sed vnum id cogitat totum diem
Secumq; versat, arte quâ tandem scelus
Designet aliquod maximè nefarium.
Ex ape creatæ coniugis felix vir est,
Quæ sola nulli criminiest obnoxia,
Vitamq; longam & floridam facit viro,
Charoq; chara consenescit coniugi,
Fœcundæ pulcræ & splendida propaginis:
Interq; cunctas feminas spectabilem
Decore circum gratiâ ambit vndiq;
Diuinâ: segnes nec frequentat circulos,
Vbi de venereis fabulantur feminæ.
Tales mulieres Iupiter longè optimas
Et singulari præditas prudentiâ
Præbet benignus & fauens mortalibus.
At reliqua genera callido Iouis dolo
Creata cuncta sunt, & apud homines manent;
Has nempè pestem Iupiter grauissimam
Produxit, etiam vt ferre si quid commodi
Videantur, ipsum id sit marito incommodum.
Nec integrum vnquam transiget lætus diem,
Qui cum muliere degit vna: nec famem
Diram à familia contubernalem, deumq;
Hostem repellet facilè: quum vir maximè
Animo videtur lætus, aut fato deûm,
Aut hominis ergò, tum repertâ criminis
Occasione comparat se prœlio.
Nam sicubi ædes vxor vllas incolit,
Nunquam hospes hilarè poterit illic excipi.
Quodsi qua frugi existimetur maximè,
Longè suprà omnes illa damnosissima est,
Nempè oscitante coniuge: at vicinia
Lætatur errore eius, & nuptam ad suam
Animum retorquens, quisque laudat propriam,
Culpat alienam coniugem cum cæteris
Nec esse parili sortes nos cognoscimus.
Nam maximum istud Iupiter genuit malum,
Vinclumq; nodo strinxit insolubili,
Vndè explicauit Pluto morte plurimos,
Mulieris ergò conserentes dexteras.

Ex hac

Ex hac *Simonidis γυναικογονίᾳ*, *Ephesinam matronam* illis, quæ ex *Asina* à *Ioue* productæ essent, feminis, eleganter quadrare, patet, cum illæ in angulis desidentes noctes atque dies tantum non cibis vinisque sese ingurgitent, sed etiam ad Veneris furta amicum quemlibet aduentantem promiscuè suscipiant.

Et hæc quidem super propositâ hûc- vsque ex historia *matronæ Ephesinæ*, quæstione, paulò fusius.

Caput VI.

OMne nimium, iuxtà *Hippocratem*, Naturæ inimicum. Hinc celebre illud veterum Sapientum: Ne Qvid Nimis. Quod, ob dignitatem, variis autoribus assignatur. In nimietate vbique peccatur, præterquam in amore Dei, qui nimius esse nequit. Damna repletionis cibi in sanis. Multi, alioquin sani, ex-nimia cibi ingurgitatione, illicò mortui. eorumque exempla. Cur pueris voracitas minus periculosa? Repletio cibi in ægris, ac conualescentibus præsertim, magis nocens. Conualescentes quo pacto cibandi? Repletio cibi in cacochymicis quid noceat? Repletio potus minus noxia quàm cibi. Nihilo-minus multi è vino atque crapula illicò moriuntur. Vinum generosum *Anni* superioris *M. DC. XXIV.* liberalius potum, multos strangulauit. Exempla eorum, qui vino, inter pocula, perierunt. Vinum alioquin facilius excernitur, & ad vesicam descendit. Aliter hic locus paulò explicandus, secundum mentem Petronii. Qui referri potest ad locum *Physicum de fato, & fortuna.* Suspicio mendæ in textu *Petroniano.* Exempla eorum, qui, inter comedendum, casu suffocati sunt.

MInimè simplex, sed gemina est quæstio, quæ *pag.* 42. è *Satyrico* nobis proponitur his verbis:

Cibus auidum strangulauit; abstinentem frugalitas.

Quæ cum diuersi sint saporis, oppositamque mortem, aliam ex voracitate, aliam ex abstinentia coarguant, prius videndum erit, quænam damna sint ingluuiei ac repletionis. Aureum autem inprimis est illud, diuini *Hippocratis* γνώμη: πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον: *Omne nimium Naturæ inimicum.* Id quod *lib.* II. *aph.* 51. disertissimè ità explicat: *Plurimum & repentè vacuare, aut replere, aut calfacere, vel refrigerare, vel quouis alio modo corpus temerè mouere, periculosum. Omne enim nimium Naturæ bellum indixit.* Et contrà: *Quod autem* (addit) *fit sensim & vicißim, periculi expers est, idque cum aliâs, tum si quis ab vno ad aliud se conuertat.*

Quæ ipsa licet de *natura particulari*, deque subiecto humano propriè intelligenda sint, eadem tamen cum illis coincidere videntur, quæ *Physici* in genere de *natura* quoque *vniuersali* inculcant, ex quibus sunt: *Natura non facit saltum, sed operatur successiuè. Motus fit successiuè, non in momento. Moderata durant: violenta autem non sunt diuturna:* & quæ id genus theoremata alia cum ex vniuersali, tum particulari natura hûc faciunt complura. Quo respectu *Hippocr. aphorismus*, modò allegatus, quà Medicinam practicam, vniuersalis est, cum in genere atque in omni occasione nimium, tanquam Naturæ aduersum, sanitate, (de sanitate enim, tanquam de fine suo, propriè agit *Medicus*) non possit non officere. Isthinc vnanimi omnium seculorum consensu in adagium concessit, atque in omnem ætatem transiit, quod in triuiis fertur: μηδὲν ἄγαν: Ne Qvid Nimis. Quòd cum celebratissimum semper fuerit summis Philosophis, tàm vetustæ originis

 est,

est, quem primitus autorem habuerit, ipsa penè vetustas videatur ignorasse. Litigant itaq; super eiusdem inventore autores non pauci, sicut de *Homeri* patria contendisse IX. *Graciæ* ciuitates celeberrimas ex historiis innotuit. *Aristoteles v. libr. III. Rhetor.* illud *Bianti* ascribit. *Diogenes Laërtius Pythagoræ* esse contendit. Sunt, qui ad *Thaletem*, sunt, qui ad *Solonem* referant. *Plato* ex *Euripide* adducit. Multi ex *Homero*, tanquã omnis humanæ sapientiæ fonte, deriuare malunt. Inter cæteros, *Des. Erasmus*, vir maximus, ad *Hesiodum* spectare asserit, illumq; maximè libellum, qui inscribitur *Opera & Dies*. Vndè hunc adducit versiculum:

> Μέτρα φυλάσσεσθαι, καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος:
> *Mensuram serua, modus in re est optimus omni.*

Quò alludit quoque *Horatius:*

> *Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,*
> *Quos vltra citraq; nequit consistere rectum.*

Idem *Phocylides* Græcè reddidit: πάντων μέτρον ἄριστον: quod *Plautus in Pœnulo* Latinè: *Modus omnibus in rebus est optimus.* Grauiter itaq; ad *Pindarum Plutarchus*: σοφοὶ δ' ἄγαν τὸ μηδὲν ἄγαν ἐπῄνεσαν, id est: *Sapientes hoc verbum*, NE QVID NIMIS, *præter modum laudarunt.*

Ex quibus omnibus pulcrè euidens fit omne nimium Naturæ hostiliter aduersari; contrà temperantiam, modum, commoderationemq, omnium rerum optimam vtilissimamq; esse. In tota itaq; rerum vniuersitate omne nimium meritò auersandum esse sapientes prodiderunt, addita ea duntaxat aurea exceptione, vbiq; & semper in nimietate peccari, præterquàm in amore Dei, qui, si fieri eius possit à nobis etiã suprà omnẽ humanam moderationem mediocritatemque vsque eò augeri atq; excedere debebat.

Atq; hæc ex occasione *Hippocratici canonis* de omni in genere nimietate, autoritatibus summorum Philosophorum, obiter illustrasse sat esto. Iam ad particularia, & quidem nostra.

Quantum autem cibi inprimis copia damnum sanis in corporibus pariat, fallor? an è recentiorib. Medicis eleganter describit *Cl. D. Sennertus Inst. lib. II. par. II. c. II. Cum* (inquit) *cibi ad humores* ἀναλογίαν *habent, nisi alimentum rectè sese habeant, morbis naturam præbet ac suggerit. Peccat autem alimentum qualitate, vtendi modo, ac tempore, tum quantitate. Si nimiâ cibi copiâ ventriculus obruitur, tum neq; rectè clauditur, neq; cibos rectè complectitur, atque ità hiante orificio ventriculi, calor sensim exhalat, & languidior redditur, & propterea cibus non rectè coquitur: simul etiam sursum magna halituum ac vaporum copia ad cerebrum fertur, qui illud replent. Repleto cerebro, & vaporibus frigiditate cerebri densatis, oriuntur fluxiones, quæ se se diffundunt posteà, ac intra cranium petunt, fauces, ventriculum, pulmones, spinam dorsi, & principium neruorum, effunduntur in venas & arterias, in quibus efficiuntur cruditates, curatu difficiles: aut effundunt se se extra cranium in musculos & articulos, ibiq; dolores, aut alia mala excitant. Ex eadem materia putrescente nonnunquam vermes oriuntur. In mesenterio quoq; obstructiones plurimæ excitantur, & concepta putredine accenduntur febres, obstructoq; Epate hydropes generantur. Quod si ista non eueniant, debilitatur tamen & languescit virtus epatis: vndè cachexia, & alia mala ortum habent, humoresq; omnino vitiosi cumulantur, secundum illud vulgatum: Vitia concoctionis primæ non corriguntur in secunda.*

Quodsi quis verò, canis instar famelici, & plus æquo solitoque ciborum ingerat, quam Natura perferre possit, eaque ratione tantum non stomachum grauet, calorem-

que

quæ natiuum (velut copia lignorum extinguitur ignis culinarius) opprimat peſſundetque penitus, ſæpenumerò præſentiſſimam exindè ac velut temerariam mortem inſecutam eſſe autores obſeruarūt. Ipſe enim *Hippocrates, lib. 1. aph. 111. de athletarum euexia*, ſummas refectiones periculi plenas eſſe prodidit. Inter cæteros alioquin *Fel. Platerus, obſeruat. Medicinal. lib. 1. pag.* CCCCIX. ſequentia exempla, quæ hūc faciunt, recenſet. *Puer* (inquit) *quidam famelicus, cum panes albos, qui denario venduntur, duodecim ſe vna vice deuorare poſſe cum alio deponeret, & penè omnes deuoraſſet, tanto diſtendente cordis dolore angi cœpit, ſimul in ſuffocationis periculo verſatus, vt vix mortem inſtantem euaſerit.* Et eodem loco hiſtoriam mulieris nobilis ſubiicit, quæ nimiâ carne confeſtim ſe ſe implens ſuffocata periit. Sic enim porrò refert. *Matrona quædam nobilis, vetula, deuota admodum, cum per totam quadrageſimam ab eſu carnium abſtinuiſſet, cum die Paſchatis prandii horam exſpectare non poſſet, ſummo manè in templo, miſſa audita, domum reuerſa, carnem coctam auidè comedit, vti & poſteà rurſum in prandio ea ſe adeò repleuit, vt non ſolum grauamen circà ventriculi regionem, ſed & ſummam pectoris anguſtiam, difficilemque reſpirationem indè paſſa ſit. Vocatus ad eam, cum ob loci diſtantiam, quæ erat vnius diei, tardius adueniſſem, inueni eam hoc biduo adeo debilitatam, & ob retentum cibum incoctum obſtructam, vt nec Clyſteribus, nec exhibitis per os, infrà ſupraq; excretio promoueri potuerit, & ſic veluti ſuffocata extincta fuit.*

Sic *Euſebius* autor eſt, *Domitium Aphrum* cibi ſuperfluitate ſe ſe replentem in cœna periiſſe. *Sic Septimius Seuerus Imp.* dum, præ dolore membrorum omnium, maximè pedum, intolerabili, loco veneni, cibum plurimæ carnis incoctæ auidius deuoraret, quod concoquere iſtam cruditatem nequiret, exſpirauit, ſcribente *Sexto Aurelio*. Sic *Imper. Valentinianus*, eodem tradente, ex eadem cibi intemperantia atque ingluuie defunctus eſt. Sic *Imper. Iouianus* quoque è ciborum incoctorum in ſtomacho cruditate animam efflauit, vt teſtis *Bapt. Egnatius*. Sic *Childericus Saxo*, cum aliquando ad ambas vſque aures cibis ſe ſe ingurgitaſſet, iiſdem ſuffocatus atque in lecto mortuus fuit repertus, vt ſcribit *Georg. Turonenſis*. Sic deniq; Attila, Hunnorum ille Imperator, orbis flagellū, & Germanorum carminibus celebris, dum vino largius indulget, ſanguine è naribus erumpente, ſtertens in lecto ſuffocatus eſt, vt Iornandes & Bonfinius memorant.

Sed obiiciat aliquis, infantes ac pueros voraciſſimos eſſe, neque tamen indè facilè perire. Ad quod reſpondemus: aliter ſe ſe rem habere, *Hippocratis* teſtimonio, cum pueris. Illi enim quia creſcunt, inprimis calore naturali abundant, ideoq; voraciores ſunt, & facilius tolerant: quanquam tamen multiplices etiam paſſiones ex repletione ſibi accerſant. Sic autem *lib. 1. aph.* XIV. ſcriptum habetur: *Quæ corpora incrementis augeſcunt, plurimum habent calidi innati, proptereaque plurimo egent alimento, alioquin horum corpus tabeſcit.*

Cum igitur homines ſani alioquin, è cibis ad ingluuiem ingeſtis, in grauiſſimos affectus, imò in ipſam repentinam ſtrangulationem ac mortem præſentiſſimam deuoluantur, eò facilius cogitari poteſt, quæ ſumma atque extrema mala ex voracitate, imò etiam ſatietate ciborum in valetudinariis atque ægrotis oboriantur. De quibus ſpeciatim *Hippocrates lib. 1. aph.* IV. *Vt vacuationes* (inquit) *ad ſummum ductæ periculi plenæ ſunt: ſic rurſus ſummæ refectiones periculoſæ*: vt ſenſus ſit, in conualituris, vel in iis, qui in morbi declinatione verſantur, nam licet morbo ſuperiori, cibum tamen copioſius, pro reſtauratione corporis ex morbo atq; inedia morbifica exhauſti, exhibitum periculo minimè vacare; Natura enim repentinam iſtam mutationem ab ocio ad negotium, ab abſtinentia ad edacitatem, ægerrimè ferre conſueuit.

Siqui-

est, & quem primitus autorem habuerit, ipsa penè vetustas videatur ignorasse. Litigant itaq; super eiusdem inuentore autores non pauci, sicut de *Homeri* patria contendisse IX. *Græciæ* ciuitates celeberrimas ex historiis innotuit. *Aristoteles* v. *libr.* III. *Rhetor.* illud *Bianti* asscribit. *Diogenes Laërtius Pythagoræ* esse contendit. Sunt, qui ad *Thaletem*, sunt, qui ad *Solonem* referant. *Plato* ex *Euripide* adducit. Multi ex *Homero*, tanquā omnis humanæ sapientiæ fonte, deriuare malunt. Inter cæteros, *Des. Erasmus*, vir maximus, ad *Hesiodum* spectare asserit, illumq; maximè libellum, qui inscribitur *Opera & Dies*. Vndè hunc adducit versiculum:

> Μέτρα φυλάσσεσθαι, καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος:
> *Mensuram serua, modus in re est optimus omni.*

Quò alludit quoque *Horatius:*

> *Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,*
> *Quos vltra citraq; nequit consistere rectum.*

Idem *Phocylides* Græcè reddidit: πάντων μέτρον ἄριστον: quod *Plautus in Pœnulo* Latinè: *Modus omnibus in reb. est optimus.* Grauiter itaq; ad *Pindarum Plutarchus:* σοφοὶ δὲ καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν ἔπος αἴνεσαν περισσῶς: id est: *Sapientes hoc verbum*, NE QVID NIMIS, *præter modum laudarunt.*

Ex quibus omnibus pulcrè euidens fit, omne nimium Naturæ hostiliter aduersari; contrà temperantiam, modum, commoderationemq; omnium rerum optimam vtilissimamq; esse. In tota itaq; rerum vniuersitate omne nimium meritò auersandum esse sapientes prodiderunt, addita ea duntaxat aurea exceptione, vbiq; & semper in nimietate peccari, præterquàm in amore Dei, qui, si fieri eius possit à nobis etiā suprà omnē humanam moderationem mediocritatemque vsque eò augeri atq; excedere debebat.

Atq; hæc ex occasione *Hippocratici canonis* de omni in genere nimietate, autoritatibus summorum Philosophorum, obiter illustrasse sat esto. Iam ad particularia, & quidem nostra.

Quantum autem cibi inprimis copia damnum sanis in corporibus pariat, fallor? an è recentiorib. Medicis eleganter describit Cl. D. *Sennertus Inst. lib.* II. *par.* II. *c.* II. *Cum* (inquit) *cibi ad humores ἀναλογίαν habent, nisi alimentum rectè sese habeant, morbis naturam præbet ac suggerit. Peccat autem alimentum qualitate, vtendi modo, ac tempore, tum quantitate. Si nimiā cibi copiā ventriculus obruatur, tum neq; rectè clauditur, neq; cibos rectè complectitur, atque ità hiante orificio ventriculi, calor sensim exhalat, & languidior redditur, & propterea cibus non rectè coquitur: simul etiam sursum magna halituum ac vaporum copia ad cerebrum fertur, qui illud replent. Repleto cerebro, & vaporibus frigiditate cerebri densatis, oriuntur fluxiones, quæ se se diffundunt postea, ac intrà cranium petunt, fauces, ventriculum, pulmones, spinam dorsi, & principium neruorum, effunduntur in venas & arterias, in quibus efficiuntur cruditates, curatu difficiles: aut effundunt se se extra cranium in musculos & articulos, ibiq; dolores, aut alia mala excitant. Ex eadem materia putrescente nonnunquam vermes oriuntur. In mesenterio quoq; obstructiones plurimæ excitantur, & concepta putredine accenduntur febres, obstructoq; Epate hydropes generantur. Quod si ista non eueniant, debilitatur tamen & languescit virtus epatis: vndè cachexia, & alia mala ortum habent, humoresq; omnino vitiosi cumulantur, secundum illud vulgatum: Vitia concoctionis primæ non corriguntur in secunda.*

Quodsi quis verò, canis instar fameliei, & plus æquo solitoque ciborum ingerat, quam Natura perferre possit, eaque ratione tantum non stomachum grauet, calorem-

que

que natiuum (velut copia lignorum extinguitur ignis culinarius) opprimat pessundetque penitus, sæpenumerò præsentissimam exinde ac velut temerariam mortem insecutam esse autores obseruarunt. Ipse enim *Hippocrates, lib. 1. aph. III. de athletarum euexia*, summas refectiones periculi plenas esse prodidit. Inter cæteros alioquin *Fel. Platerus, obseruat. Medicinal. lib. 1. pag. CCCCIX.* sequentia exempla, quæ huc faciunt, recenset. Puer (inquit) *quidam famelicus, cum panes albos, qui denario venduntur, duodecim se vna vice deuorare posse cum alio deponeret, & penè omnes deuorasset, tanto distendente cordis dolore angi cœpit, simul in suffocationis periculo versatus, vt vix mortem instantem euaserit.* Et eodem loco historiam mulieris nobilis subiicit, quæ nimiâ carne confertim se se implens suffocata periit. Sic enim porrò refert. *Matrona quædam nobilis, vetula, deuota admodum, cum per totam quadragesimam ab esu carnium abstinuisset, cum die Paschatis prandii horam exspectare non posset, summo manè in templo, missa audita, domum reuersa, carnem coctam auidè comedit, vti & posteà rursum in prandio ea se adeò repleuit, vt non solum grauamen circà ventriculi regionem, sed & summam pectoris angustiam, difficilemque respirationem indè passa sit. Vocatus ad eam, cum ob loci distantiam, quæ erat vnius diei, tardius aduenissem, inueni eam hoc biduo adeo debilitatam, & ob retentum cibum incoctum obstructam, vt nec Clysteribus, nec exhibitis per os, infrà supraq; excretio promoueri potuerit, & sic veluti suffocata extincta fuit.*

Sic *Eusebius* autor est, *Domitium Aphrum* cibi superfluitate se se replentem in cœna periisse. *Sic Septimius Seuerus Imp.* dum, præ dolore membrorum omnium, maximè pedum, intolerabili, loco veneni, cibum plurimæ carnis incoctæ auidius deuoraret, quod concoquere istam cruditatem nequiret, exspirauit, scribente *Sexto Aurelio*. Sic *Imper. Valentinianus*, eodem tradente, ex eadem cibi intemperantia atque ingluue defunctus est. Sic *Imper. Iouianus* quoque è ciborum incoctorum in stomacho cruditate animam efflauit, vt testis *Bapt. Egnatius*. Sic *Childericus Saxo*, cum aliquando ad ambas vsque aures cibis se se ingurgitasset, iisdem suffocatus atque in lecto mortuus fuit repertus, vt scribit *Georg. Turonensis*. Sic deniq; Attila Hunnorum ille Imperator, orbis flagellū, & Germanorum carminibus celebris, dum vino largius indulget, sanguine è naribus erumpente, stertens in lecto suffocatus est. vt Iornandes & Bonfinius memorant.

Sed, obiiciat aliquis, infantes ac pueros voracissimos esse, neque tamen indè facilè perire. Ad quod respondemus: aliter se se rem habere, *Hippocratis* testimonio, cum pueris. Illi enim quia crescunt, inprimis calore naturali abundant, ideoq; voraciores sunt, & facilius tolerant: quanquam tamen multiplices etiam passiones ex repletione sibi accersant. Sic autem *lib. 1. aph. XIV.* scriptum habetur: *Quæ corpora incrementis augescunt, plurimum habent calidi innati, proptereaque plurimo egent alimento, alioquin horum corpus tabescit.*

Cum igitur homines sani alioquin, è cibis ad ingluuiem ingestis, in grauissimos affectus, imò in ipsam repentinam strangulationem ac mortem præsentissimam deuoluantur, eò facilius cogitari potest, quæ summa atque extrema mala ex voracitate, imò etiam satietate ciborum in valetudinariis atque ægrotis oboriantur. De quibus speciatim *Hippocrates lib. 1. aph. IV. Vt euacuationes* (inquit) *ad summum ductæ periculi plenæ sunt: sic rursus summæ refectiones periculosæ*: vt sensus sit, in conualituris, vel in iis, qui in morbi declinatione versantur, natura licet morbo superiori, cibum tamen copiosius, pro restauratione corporis ex morbo atq; inedia morbifica exhausti, exhibitum periculo minimè vacare; Natura enim repentinam istam mutationem ab ocio ad negotium, ab abstinentia ad edacitatem, ægerrimè ferre consueuit.

Siqui-

est, quem primitus autorem habuerit, ipsa penè vetustas videatur ignorasse. Litigant itaq; super eiusdem inuentore autores non pauci, sicut de *Homeri* patria contendisse IX. *Græciæ* ciuitates celeberrimas ex historiis innotuit. *Aristoteles* v. *libr.* III. *Rhetor.* illud *Bianti* adscribit. *Diogenes Laërtius Pythagoræ* esse contendit. Sunt, qui ad *Thaletem*, sunt, qui ad *Solonem* referant. *Plato* ex *Euripide* adducit. Multi ex *Homero*, tanquā omnis humanæ sapientiæ fonte, deriuare malunt. Inter cæteros, *Des. Erasmus*, vir maximus, ad *Hesiodum* spectare asserit, illumq; maximè libellum, qui inscribitur *Opera & Dies*. Vndè hunc adducit versiculum:

> Μέτρα φυλάσσεσθαι, καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος:
> *Mensuram serua modus in re est optimus omni.*

Quò alludit quoque *Horatius*:

> *Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,*
> *Quos vltra citraq; nequit consistere rectum.*

Idem *Phocylides* Græcè reddidit: πάντων μέτρον ἄριστον: quod *Plautus in Pœnulo* Latinè: *Modus omnibus in rebus est optimus.* Grauiter itaq; ad *Pindarum Plutarchus*: σοφοὶ δὲ καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν ἔπος αἴνεσαν περισσῶς: id est: *Sapientes hoc verbum*, NE QVID NIMIS, *præter modum laudarunt.*

Ex quibus omnibus pulcrè euidens fit, omne nimium Naturæ hostiliter aduersari; contrà temperantiam, modum, commoderationemq, omnium rerum optimam vtilissimamq; esse. In tota itaq; rerum vniuersitate omne nimium meritò auersandum esse sapientes prodiderunt, addita ea duntaxat aurea exceptione, vbiq & semper in nimietate peccari, præterquàm in amore Dei, qui, si fieri eius possit à nobis etiā suprà omnē humanam moderationem mediocritatemque vsque eò angeri atq, excedere debebat.

Atq; hæc ex occasione *Hippocratici canonis* de omni in genere nimietate, autoritatibus summorum Philosophorum, obiter illustrasse sat esto. Iam ad particularia, & quidem nostra.

Quantum autem cibi inprimis copia damnum sanis in corporibus patiat, fallor? an è recentiorib. Medicis eleganter describit *Cl. D. Sennertus Inst. lib.* II. *par.* II. *c.* II. *Cum* (inquit) *cibi ad humores* ἀναλογίαν *habent, nisi alimentum rectè sese habeant, morbis naturam præbet ac suggerit. Peccat autem alimentum qualitate, vtendi modo, ac tempore, tum quantitate. Si nimiâ cibi copiâ ventriculus obruatur, tum neq; rectè clauditur, neq; cibos rectè complectitur, atque ità biante orificio ventriculi, calor sensim exhalat, & languidior redditur, & propterea cibus non rectè coquitur: simul etiam sursum magna halituum ac vaporum copia ad cerebrum fertur, qui illud replent. Repleto cerebro, & vaporibus frigiditate cerebri densatis, oriuntur fluxiones, quæ se se diffundunt posteà, ac intra cranium petunt, fauces, ventriculum, pulmones, spinam dorsi, & principium neruorum, effunduntur in venas & arterias, in quibus efficiuntur cruditates, curatu difficiles: aut effundunt sese extra cranium in musculos & articulos, ibiq; dolores, aut alia mala excitant. Ex eadem materia putrescente nonnunquam vermes oriuntur. In mesenterio quoq; obstructiones plurimæ excitantur, & concepta putredine accenduntur febres, obstructoq; Epate hydropes generantur. Quod si ista non eueniant, debilitatur tamen & languescit virtus epatis: vnde cachexia, & alia mala ortum habent, humoresq; omnino vitiosi cumulantur, secundum illud vulgatum: Vitia concoctionis primæ non corriguntur in secunda.*

Quodsi quis verò, canis instar famelici, & plus æquo solitoque ciborum ingerat, quam Natura perferre possit, eaque ratione tantum non stomachum grauet, calorem-

que

que natiuum (velut copia lignorum extinguitur ignis culinarius) opprimat pessundetque penitus, sæpenumerò præsentissimam exindè ac velut temerariam mortem insecutam esse autores obseruarunt. Ipse enim *Hippocrates, lib. 1. aph. 111. de athletarum euexia*, summas refectiones periculi plenas esse prodidit. Inter cæteros alioquin *Fel. Platerus, obseruat. Medicinal. lib. 1. pag. ccccix.* sequentia exempla, quæ hûc faciunt, recenset. *Puer* (inquit) *quidam famelicus, cum panes albos, qui denario venduntur, duodecim se vna vice deuorare posse cum alio deponeret, & penè omnes deuorasset, tanto distendente cordis dolore angi cœpit, simul in suffocationis periculo versatus, vt vix mortem instantem euaserit.* Et eodem loco historiam mulieris nobilis subiicit, quæ nimiâ carne confertim se se implens suffocata periit. Sic enim porrò refert. *Matrona quædam nobilis, vetula, deuota admodum, cum per totam quadragesimam ab esu carnium abstinuisset, cum die Paschatis prandii horam exspectare non posset, summo manè in templo, missa audita, domum reuersa, carnem coctam auidè comedit, vti & posteà rursum in prandio ea se adeò repleuit, vt non solum grauamen circà ventriculi regionem, sed & summam pectoris angustiam, difficilemque respirationem indè passa sit. Vocatus ad eam, cum ob loci distantiam, quæ erat vnius diei, tardius aduenissem, inueni eam hoc biduo adeo debilitatam, & ob retentum cibum intestinum obstructam, vt nec Clysteribus, nec exhibitis per os, infrà supraq; excretio promoueri potuerit, & sic veluti suffocata extincta fuit.*

Sic *Eusebius* autor est, *Domitium Aphrum* cibi superfluitate se se replentem in cœna periisse. *Sic Septimius Seuerus Imp.* dum, præ dolore membrorum omnium, maximè pedum, intolerabili, loco veneni, cibum plurimæ carnis incoctæ auidius deuoraret, quod concoquere istam cruditatem nequiret, exspirauit, scribente *Sexto Aurelio.* Sic *Imper. Valentinianus*, eodem tradente, ex eadem cibi intemperantia atque ingluuie defunctus est. Sic *Imper. Iouianus* quoque è ciborum incoctorum in stomacho cruditate animam efflauit, vt testis *Bapt. Egnatius.* Sic *Childericus Saxo*, cum aliquando ad ambas vsque aures cibis se se ingurgitasset, iisdem suffocatus atque in lecto mortuus fuit repertus, vt scribit *Georg. Turonensis.* Sic deniq; Attila, Hunnorum ille Imperator, orbis flagellū, & Germanorum carminibus celebris, dum vino largius indulget, sanguine è naribus erumpente, stertens in lecto suffocatus est. vt Iornandes & Bonfinius memorant.

Sed, obiiciat aliquis, infantes ac pueros voracissimos esse, neque tamen indè facilè perire. Ad quod respondemus: aliter se se rem habere, *Hippocratis* testimonio, cum pueris. Illi enim quia crescunt, inprimis calore naturali abundant, ideoq; voraciores sunt, & facilius tolerant: quanquam tamen multiplices etiam passiones ex repletione sibi accersant. Sic autem *lib. 1. aph.* xiv. scriptum habetur: *Quæ corpora incrementis augescunt, plurimum habent calidi innati, propterecaque plurimo egent alimento, alioquin horum corpus tabescit.*

Cum igitur homines sani alioquin, è cibis ad ingluuiem ingestis, in grauissimos affectus, imò in ipsam repentinam strangulationem ac mortem præsentissimam deuoluantur, eò facilius cogitari potest, quæ summa atque extrema mala ex voracitate, imò etiam satietate ciborum in valetudinariis atque ægrotis oboriantur. De quibus speciatim *Hippocrates lib. 1. aph.* iv. *Vt vacuationes* (inquit) *ad summum ducta periculi plena sunt: sic rursus summæ refectiones periculosæ*: vt sensus sit, in conualituris, vel in iis, qui in morbi declinatione versantur, natura licet morbo superiori, cibum tamen copiosius, pro restauratione corporis ex morbo atq; inedia morbifica exhausti, exhibitum periculo minimè vacare; Natura enim repentinam istam mutationem ab ocio ad negotium, ab abstinentia ad edacitatem, ægerrimè ferre consueuit.

Siqui-

est, quem primitus autorem habuerit, ipsa penè vetustas videatur ignorasse. Litigant itaq; super eiusdem inventore autores non pauci, sicut de Homeri patria contendisse IX. Græciæ ciuitates celeberrimas ex historiis innotuit. *Aristoteles* v. *libr.* III. *Rhetor.* illud *Bianti* adscribit. *Diogenes Laërtius Pythagoræ* esse contendit. Sunt, qui ad *Thaletem*, sunt, qui ad *Solonem* referant. *Plato* ex *Euripide* adducit. Multi ex *Homero*, tanquā omnis humanæ sapientiæ fonte, deriuare malunt. Inter cæteros, *Des. Erasmus*, vir maximus, ad *Hesiodum* spectare asserit, illumq; maximè libellum, qui inscribitur *Opera & Dies*. Vndè hunc adducit versiculum:

> Μέτρα φυλάσσεσθαι, καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος:
> *Mensuram serua, modus in re est optimus omni.*

Quò alludit quoque *Horatius*:

> *Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,*
> *Quos vltra citraq; nequit consistere rectum.*

Idem *Phocylides* Græcè reddidit: πάντων μέτρον ἄριστον: quod *Plautus in Pœnulo Latinè*: *Modus omnibus in rebus est optimus*. Grauiter itaq; ad *Pindarum Plutarchus*: σοφοὶ δὲ καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν ἔπος αἴνεσαν περισσῶς: id est: *Sapientes hoc verbum*, NE QVID NIMIS, *præter modum laudarunt*.

Ex quibus omnibus pulcrè euidens fit, omne nimium Naturæ hostiliter aduersari; contrà temperantiam, modum, commoderationemq; omnium rerum optimam vtilissimamq; esse. In tota itaq; rerum vniuersitate omne nimium meritò auersandum esse sapientes prodiderunt, addita ea duntaxat aurea exceptione, vbiq; & semper in nimietate peccari, præterquàm in amore Dei, qui, si fieri eius possit à nobis etiā suprà omnē humanam moderationem mediocritatemque vsque eò augeri atq; excedere debebat.

Atq; hæc ex occasione *Hippocratici canonis* de omni in genere nimietate, autoritatibus summorum Philosophorum, obiter illustrasse sat esto. Iam ad particularia, & quidem nostra.

Quantum autem cibi inprimis copia damnum sanis in corporibus pariat, fallor, an è recentiorib. Medicis eleganter describit *Cl. D. Sennertus Inst. lib.* II. *par.* II. *c.* II. *Cum* (*inquit*) *cibi ad humores ἀναλογίαν habent, nisi alimentum rectè sese habeant, morbis naturam præbet ac suggerit. Peccat autem alimentum qualitate, vtendi modo, ac tempore, tum quantitate. Si nimiâ cibi copiâ ventriculus obruatur, tum neq; rectè clauditur, neq; cibos rectè complectitur, atque ità hiante orificio ventriculi, calor sensim exhalat, & languidior redditur, & propterea cibus non rectè coquitur: simul etiam sursum magna halituum ac vaporum copia ad cerebrum fertur, qui illud replent. Repleto cerebro, & vaporibus frigiditate cerebri densatis, oriuntur fluxiones, quæ se se diffundunt posteà, ac intra cranium petunt, fauces, ventriculum, pulmones, spinam dorsi, & principium neruorum, effunduntur in venas & arterias, in quibus efficiuntur cruditates, curatu difficiles: aut effundunt se se extra cranium in musculos & articulos, ibiq; dolores, aut alia mala excitant. Ex eadem materia putrescente nonnunquam vermes oriuntur. In mesenterio quoq; obstructiones plurima excitantur, & concepta putredine accenduntur febres, obstructoq; Epate hydropes generantur. Quod si ista non eueniant, debilitatur tamen & languescit virtus epatis: vndè cachexia, & alia mala ortum habent, humoresq; omnino vitiosi cumulantur, secundum illud vulgatum: Vitia concoctionis primæ non corriguntur in secunda.*

Quodsi quis verò, canis instar famelici, & plus æquo solitoque ciborum ingerat, quam Natura perferre possit, eaque ratione tantum non stomachum grauet, calorem-

que

que natiuum (velut copia lignorum extinguitur ignis culinarius) opprimat pessundetque penitus, sæpenumero præsentissimam exindè ac velut temerariam mortem insecutam esse autores obseruarunt. Ipse enim *Hippocrates, lib. 1. aph. III. de athletarum euexia*, summas refectiones periculi plenas esse prodidit. Inter cæteros alioquin *Fel. Platerus, obseruat. Medicinal. lib. 1. pag. ccccix.* sequentia exempla, quæ huc faciunt, recenset. *Puer* (inquit) *quidam famelicus, cum panes albos, qui denario venduntur, duodecim se vna vice deuorare posse cum alio deponeret, & penè omnes deuorasset, tanto distendente cordis dolore angi cœpit, simul in suffocationis periculo versatus, vt vix mortem instantem euaserit.* Et eodem loco historiam mulieris nobilis subiicit, quæ nimiâ carne confertim se se implens suffocata periit. Sic enim porrò refert. *Matrona quædam nobilis, vetula, deuota admodum, cum per totam quadragesimam ab esu carnium abstinuisset, cum die Paschatis prandii horam exspectare non posset, summo manè in templo, missa audita, domum reuersa, carnem coctam auidè comedit, vti & posteà rursum in prandio ea se adeò repleuit, vt non solum grauamen circà ventriculi regionem, sed & summam pectoris angustiam, difficilemque respirationem indè passa sit. Vocatus ad eam, cum ob loci distantiam, quæ erat vnius diei, tardius aduenissem, inueni eam hoc biduo adeo debilitatam, & ob retentum cibum intestinum obstructam, vt nec Clysteribus, nec exhibitis per os, infrà supraq; excretio promoueri potuerit, & sic veluti suffocata extincta fuit.*

Sic *Eusebius* autor est, *Domitium Aphrum* cibi superfluitate se se replentem in cœna periisse. *Sic Septimius Seuerus Imp.* dum, præ dolore membrorum omnium, maximè pedum, intolerabili, loco veneni, cibum plurimæ carnis incoctæ auidius deuoraret, quod concoquere istam cruditatem nequiret, exspirauit, scribente *Sexto Aurelio*. Sic *Imper. Valentinianus*, eodem tradente, ex eadem cibi intemperantia atque ingluue defunctus est. Sic *Imper. Iouianus* quoque è ciborum incoctorum in stomacho cruditate animam efflauit, vt testis *Bapt. Egnatius*. Sic *Childericus Saxo*, cum aliquando ad ambas vsque aures cibis se se ingurgitasset, iisdem suffocatus atque in lecto mortuus fuit repertus, vt scribit *Georg. Turonensis*. Sic deniq; Attila, Hunnorum ille Imperator, orbis flagellū, & Germanorum carminibus celebris, dum vino largius indulget, sanguine è naribus erumpente, stertens in lecto suffocatus est. vt Iornandes & Bonfinius memorant.

Sed, obiiciat aliquis, infantes ac pueros voracissimos esse, neque tamen indè facilè perire. Ad quod respondemus: aliter se se rem habere, *Hippocratis* testimonio, cum pueris. Illi enim quia crescunt, inprimis calore naturali abundant, ideoq; voratiores sunt, & facilius tolerant: quanquam tamen multiplices etiam passiones ex repletione sibi accersant. Sic autem *lib. 1. aph. XIV.* scriptum habetur: *Quæ corpora incrementis augescunt, plurimum habent calidi innati, propterea que plurimo egent alimento, alioquin horum corpus tabescit.*

Cum igitur homines sani alioquin, è cibis ad ingluuiem ingestis, in grauissimos affectus, imò in ipsam repentinam strangulationem ac mortem præsentissimam deuoluantur, eò facilius cogitari potest, quæ summa atque extrema mala ex voracitate, imò etiam satietate ciborum in valetudinariis atque ægrotis oboriantur. De quibus speciatim *Hippocrates lib. 1. aph. IV. Vt vacuationes* (inquit) *ad summum ducta periculi plenæ sunt: sic rursus summæ refectiones periculosæ*: vt sensus sit, in conualituris, vel in iis, qui in morbi declinatione versantur, natura licet morbo superiori, cibum tamen copiosius, pro restauratione corporis ex morbo atq; inedia morbifica exhausti, exhibitum periculo minimè vacare; Natura enim repentinam istam mutationem ab ocio ad negotium, ab abstinentia ad edacitatem, ægerrimè ferre consueuit.

Siqui-

O tale monstrum quisquis amplexu fouet,
Miserum maritum! callet instar simiæ
Mentesq; moresq; omnium: nec soluere
Risu ora curat, nec studet quicquam boni
Facere: sed vnum id cogitat totum diem
Secumq; versat, arte quâ tandem scelus
Designet aliquod maximè nefarium.
Ex ape creatæ coniugis felix vir est,
Quæ sola nulli criminiest obnoxia,
Vitamq; longam & floridam facit viro,
Charoq; chara consenescit coniugi,
Fœcundæ pulcræ & splendidæ propaginis:
Interq; cunctas feminas spectabilem
Decore circum gratiâ ambit vndiq;
Diuinâ: segnes nec frequentat circulos,
Vbi de venereis fabulantur feminæ.
Tales mulieres Iupiter longè optimas
Et singulari præditas prudentiâ
Præbet benignus & fauens mortalibus.
At reliqua genera callido Iouis dolo
Creata cuncta sunt, & apud homines manent;
Has nempè pestem Iupiter grauissimam
Produxit, etiam vt ferre si quid commodi
Videantur, ipsum id sit marito incommodum.
Nec integrum vnquam transiget lætus diem,
Qui cum muliere degit vna: nec famem
Diram à familia contubernalem, deumq;
Hostem repellet facilè: quum vir maximè
Animo videtur lætus, aut fato deûm,
Aut hominis ergò, tum repertâ criminis
Occasione comparat se prœlio.
Nam sicubi ædes vxor vllas incolit,
Nunquam hospes hilarè poterit illic excipi.
Quodsi qua frugi existimetur maximè,
Longè suprà omnes illa damnosissima est,
Nempè oscitante coniuge: at vicinia
Lætatur errore eius, & nuptam ad suam
Animum retorquens, quisque laudat propriam,
Culpat alienam coniugem cum cæteris
Nec esse parili sortes nos cognoscimus.
Nam maximum istud Iupiter genuit malum,
Vinclumq; nodo strinxit insolubili,
Vndè explicauit Pluto morte plurimos,
Mulieris ergò conserentes dexteras.

Ex hac

Ex hac *Simonidis γυναικογονία*, *Ephesinam matronam* illis, quæ ex *Asina* à *Ioue* productæ essent, feminis, eleganter quadrare, patet, cum illæ in angulis desidentes noctes atque dies tantum non cibis vinisque sese ingurgitent, sed etiam ad Veneris furta amicum quemlibet aduentantem promiscuè suscipiant.

Et hæc quidem super propositâ hûc-vsque ex historia *matronæ Ephesinæ*, quæstione, paulò fusius.

Caput VI.

OMne nimium, iuxtà *Hippocratem*, Naturæ inimicum. Hinc celebre illud veterum Sapientum: Ne Quid Nimis. Quod, ob dignitatem, variis autoribus assignatur. In nimietate vbique peccatur, præterquam in amore Dei, qui nimius esse nequit. Damna repletionis cibi in sanis. Multi, alioquin sani, ex nimia cibi ingurgitatione, illicò mortui. eorumque exempla. Cur pueris voracitas minus periculosa? Repletio cibi in ægris, ac conualescentibus præsertim, magis nocens. Conualescentes quo pacto cibandi? Repletio cibi in cacochymicis quid noceat? Repletio potus minus noxia quàm cibi. Nihilo-minus multi è vino atque crapula illicò moriuntur. Vinum generosum *Anni* superioris *M. DC. XXIV.* liberalius potum, multos strangulauit. Exempla eorum, qui vino, inter pocula, perierunt. Vinum alioquin facilius excernitur, & ad vesicam descendit. Aliter hic locus paulò explicandus, secundum mentem Petronii. Qui referri potest ad locum *Physicum de fato, & fortuna*. Suspicio mendæ in textu *Petroniano*. Exempla eorum, qui, inter comedendum, casu suffocati sunt.

MInimè simplex, sed gemina est quæstio, quæ *pag.* 42. è *Satyrico* nobis proponitur his verbis:

Cibus auidum strangulauit; abstinentem frugalitas.

Quæ cum diuersi sint saporis, oppositamque mortem, aliam ex voracitate, aliam ex abstinentia coarguant, prius videndum erit, quænam damna sint ingluuiei ac repletionis. Aureum autem inprimis est illud, diuini *Hippocratis* γνώμη: πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον: *Omne nimium Naturæ inimicum.* Id quod *lib. II. aph.* 51. disertissimè ità explicat: *Plurimum & repentè vacuare, aut replere, aut calfacere, vel refrigerare, vel quouis alio modo corpus temerè mouere, periculosum. Omne enim nimium Naturæ bellum indixit.* Et contrà: *Quod autem* (addit) *fit sensim & vicissim, periculi expers est, idque cum aliàs, tum si quis ab vno ad aliud se conuertat.*

Quæ ipsa licet de *natura particulari*, deque subiecto humano propriè intelligenda sint, eadem tamen cum illis coincidere videntur, quæ *Physici* in genere de *natura* quoque *vniuersali* inculcant, ex quibus sunt: *Natura non facit saltum, sed operatur successiuè. Motus fit successiuè, non in momento. Moderata durant: violenta autem non sunt diuturna:* & quæ id genus theoremata alia cum ex vniuersali, tum particulari natura hûc faciunt complura. Quo respectu *Hippocr. aphorismus*, modò allegatus, quà Medicinam practicam, vniuersalis est, cum in genere atque in omni occasione nimium, tanquam Naturæ aduersum, sanitate, (de sanitate enim, tanquam de fine suo, propriè agit *Medicus*) non posse non officere. Isthinc vnanimi omnium seculorum consensu in adagium concessit, atque in omnem ætatem transiit, quod in triuiis fertur: μηδὲν ἄγαν: Ne Quid Nimis. Quòd cum celebratissimum semper fuerit summis Philosophis, tàm vetustæ originis

 est,

que natiuum (velut copia lignorum extinguitur ignis culinarius) opprimat pessundetque penitus, sæpenumerò præsentissimam exindè ac velut temerariam mortem insecutam esse autores obseruarunt. Ipse enim *Hippocrates, lib. 1. aph. III. de athletarum euexia*, summas refectiones periculi plenas esse prodidit. Inter cæteros alioquin *Fel. Platerus, obseruat. Medicinal. lib. 1. pag.* CCCCIX. sequentia exempla, quæ hũ faciunt, recenset. *Puer* (inquit) *quidam famelicus, cum panes albos, qui denario venduntur, duodecim se vna vice deuorare posse cum alio deponeret, & penè omnes deuorasset, tanto distendente cordis dolore angi cœpit, simul in suffocationis periculo versatus, vt vix mortem instantem euaserit.* Et eodem loco historiam mulieris nobilis subiicit, quæ nimiâ carne confertim se se implens suffocata periit. Sic enim porrò refert. *Matrona quædam nobilis, vetula, deuota admodum, cum per totam quadragesimam ab esu carnium abstinuisset, cum die Paschatis prandii horam exspectare non posset, summo manè in templo, missa audita, domum reuersa, carnem coctam auidè comedit, vti & posteà rursum in prandio ea se adeò repleuit, vt non solum grauamen circà ventriculi regionem, sed & summam pectoris angustiam, difficilemque respirationem indè passa sit. Vocatus ad eam, cum ob loci distantiam, quæ erat vnius diei, tardius aduenissem, inueni eam hoc biduo adeo debilitatam, & ob retentum cibum incoctum obstructam, vt nec Clysteribus, nec exhibitis per os, infrà supraq; excretio promoueri potuerit, & sic veluti suffocata extincta fuit.*

Sic *Eusebius* autor est, *Domitium Aphrum* cibi superfluitate se se replentem in cœna periisse. *Sic Septimius Seuerus Imp.* dum, præ dolore membrorum omnium, maximè pedum, intolerabili, loco veneni, cibum plurimę carnis incoctæ auidius deuoraret, quod concoquere istam cruditatem nequiret, exspirauit, scribente *Sexto Aurelio*. Sic *Imper. Valentinianus*, eodem tradente, ex eadem cibi intemperantia atque ingluuie defunctus est. Sic *Imper. Iouianus* quoque è ciborum incoctorum in stomacho cruditate animam efflauit, vt testis *Bapt. Egnatius*. Sic *Childericus Saxo*, cum aliquando ad ambas vsque aures cibis se se ingurgitasset, iisdem suffocatus atque in lecto mortuus fuit repertus, vt scribit *Georg. Turonensis*. Sic deniq; Attila, Hunnorum ille Imperator, orbis flagellũ, & Germanorum carminibus celebris, dum vino largius indulget, sanguine è naribus erumpente, stertens in lecto suffocatus est, vt Iornandes & Bonfinius memorant.

Sed, obiiciat aliquis, infantes ac pueros voracissimos esse, neque tamen indè facilè perire. Ad quod respondemus: aliter se se rem habere, *Hippocratis* testimonio, cum pueris. Illi enim quia crescunt, inprimis calore naturali abundant, ideoq; voraciores sunt, & facilius tolerant: quanquam tamen multiplices etiam passiones ex repletione sibi accersant. Sic autem *lib. 1. aph.* XIV. scriptum habetur: *Quæ corpora incrementis augescunt, plurimum habent calidi innati, proptereaque plurimo egent alimento, alioquin horum corpus tabescit.*

Cum igitur homines sani alioquin, è cibis ad ingluuiem ingestis, in grauissimos affectus, imò in ipsam repentinam strangulationem ac mortem præsentissimam deuoluantur, eò facilius cogitari potest, quæ summa atque extrema mala ex voracitate, imò etiam satietate ciborum in valetudinariis atque ægrotis oboriantur. De quibus speciatim *Hippocrates lib. 1. aph.* IV. *Vt vacuationes* (inquit) *ad summum ductæ periculi plenæ sunt: sic rursus summæ refectiones periculosæ*: vt sensus sit, in conualituris, vel in iis, qui in morbi declinatione versantur, natura licet morbo superiori, cibum tamen copiosius, pro restauratione corporis ex morbo atq; inedia morbifica exhausti, exhibitum periculo minimè vacare; Natura enim repentinam istam mutationem ab ocio ad negotium, ab abstinentia ad edacitatem, ægerrimè ferre consueuit.

Siqui-

Siquidem à repentina ista naturalis œconomiæ immutatione, in temperamento, habitu, atque actione oboriuntur cruditates à ventriculi oppressione, quæ oppressio, præsertim in ægris ac conualituris non potest non esse maximè noxia, cum etiam in sanis corporibus suffocationem repentinam, prout suprà adduximus, inferre satagat. Huic superiori effato *Hippocratico* respondet eiusdem *aph.* VII. *lib.* II. *Quæ longo tempore extenuata sunt corpora, lentè reficere oportet, quæ verò breui, celeriter.* Hoc loci itaque explicat Dictator, quomodo restaurationes, vel renutritiones, ratione cum morbi, potissimum acuti tum corporis exhausti instituendæ sint. *Subitaria* (inquit *Heurn.*) *cibi satietas est admodum periculosa ab inedia.* *Hippocrates* 1. *Epidem.* meminit mulieris, quæ septimâ die perfectissimè iudicata fuerat excretione critica, in qua nulla desiderabatur circumstantia, nullo superstite empyreumate, nullaq; materiâ morbifica. Hæc cum se liberalius cibo inuitasset, postridie obiit. Cibi itaque quantitas semper conferri debet cum corpore, cui exhibetur, ipsiusque naturâ & tolerantia. Eadem enim ratio neutiquam est cibandi hominem sedentarium aliquem, atque agricolam. Quò respexit diuinus senex vel hoc eleganti *aphor.* XVII. *lib.* II. *Vbi* (inquit) *nutrimentum vltrà naturam capitur, morbum facit: argumento est ipsa sanatio.* Id est, vbicunque cibus vel quantitate, vel qualitate, vel frequentiâ, vel præpostero assumendi ordine peccat, ibi necessariò naturæ velut vires opprimuntur. *Cum itaq;* (eleganter addit *Heurnius*) *vltrà naturam quis pastum init, grauis calamitas toti corpori imminet. Totum corpus diuidimus in triplicem regionem, nimirum aluinam, venosam, atq; habitum corporis. Quid negotii afferat his vltra naturam cibus? Sanè cùm eius euictioni par non sit aluus, crudos succos profert, vndè venti, qui opprimunt diaphragma ac respirationem anxiam faciunt, vel in putredinem degenerant, vnde ab acri ichore exeduntur intestina, hinc tenesmi ac diarrhoeæ. Venosum etiam genus fatigat infarctu, vndè putrescunt succi nutricii, hinc causi. Habitum etiam corporis fœdat macie, ac vlceribus.* Hæc *Heurnius.*

Quodsi itaq; isthæc obseruanda veniunt in convalituris, vbi morbus à Natura edomitus est, atque vbi vires cum calore natiuo necessariâ restauratione opus habent, quid faciendum iis in morbis, morbidisque corporibus, vbi vires atque calor naturalis à crudorum ferociumque humorum congestione, aut cachexia pressa veluti fatiscunt? Ad illud autem optimè respondet optimus *Hippocrates lib.* II. *aph.* IX. *Corpora* (ait) *impura quò plus alimenti assumunt, eò pluribus damnis augentur.* Ratio est: quod cacochymia in corpore morbido abundante subiectum ipsum, atque natura iam quasi succumbant, tùm omnis œconomiæ naturalis virtus aggrauata, debilitataque sit, vt (quod in ægris vsu venit) nihil neque cibi appetant, neque si appetant, concoquere possint: ideoque rectè ait diuinus senex quo plus corpora impura alimentis infarcies, eò impuro magis impurum superaddes, imò damnum noxamq; conduplicabis. Cibus itaque, si conueniens esse debet, calori corporis subiecti natiuo semper respondeat.

Cæterùm, quem in modum ex *aph.* XI. *lib.* II. in propatulo est, *Facilius esse potu refici, quam cibo:* quod alimentum liquidum, citius penetret, quàm crassum, tùm quod liquida plerumque exquisitarum sint vitium, sicut est vinum generosum, spiritus vini, oleum succini, cinnamomi, vitrioli, camphoræ, & id genus alia, præ esculentis, quæ crassa multum terrestreitatis in se continent, neque ità accuratarum virium sunt: ità pariter fermè comparatum est, vt alimenta liquida, quamuis copiose atq; vltrà naturæ mediocritatem assumpta, minus damni inferant, quàm alimenta crassa solidaq;. Quod ipsum si non alia ratione illicò probari possit, saltem hoc euincat, quod ebrietas, ac nimia

mia

mia vini, atque præter naturam facta, ingurgitatio, non tàm facilè ac tàm subitò homines suffocet strangületque, atque accidit à nimia cibi repletione, quæ momentanea pariter suffocatione homines è medio tollit.

Quanquam tamen ebrietas ac crapula suis incommodis minimè vacet, adeoque etiam mille malorum, imò repentinę aliquando obmutescentiæ, (quod ipsum tamen in vim narcoticam, qua vinum præditum est, potius, quam copiam eiusdem referendum) ipsiusque mortis caussa sit, prout *Hippocrates* noster *aph.v.lib.v.* disertè innuit: *Si quis* (inquit) *ebrius repentè obmutescat, conuulsus moritur: nisi febris incidens eum corripiat, aut, quo tempore crapulæ solui solent, vocem edat.* Cuius euentus historias aliquot isthîc allegare possemus, quæ superiori *Anno M. DC. XXIV.* post vindemiam vini admodum generosi, ob insignem vini illius efficaciam ac narcosin, potissimum apud nostrates in hoc *Mœni Rheniq;* tractu acciderunt, vbi homines ex crapula vini recentis subitò extincti sunt. Quem in modum *Archesilaus* olim *Prytanæus* immodico vini haustu periisse, narratur ab *Hermippo* apud *Diogenem*. Sic *Andobuntus, Rex Anglorum*, in cœna aliquando tantum vini potasse scribitur, vt eo suffocatus repentè vita excesserit, referente *Rauisio*; Sic de *Attila, Hunnorum Rege*, notissimum est, eum inter pocula cum sanguine animam euomuisse, teste *Heurnio*. Nihilo-minus tamen, prout subintulimus, copia vini, alimentorumque liquidorum facilius vt plurimum toleratur, quàm solidorum; quod facilius id, quod liquidum, ac tenuium est partium, dispergatur, eque corpore excernatur. Quo quidem opportunè facit ex *Hippocrate aphor.* VIII. *libr.* II. *Eorum, quæ affatim, & celeriter nutriunt, celeres etiam existunt excretiones.* Excretiones autem fiunt vel per aluum, vel vrinam, vel sudorem, transpirationemque, vel vomitum. Sic in nimio vini potu, præsertim tenuis, & diuretici, vinum, tanquam substantiam liquidam tenuiumq; partium, facilè vergere ad Renes ac vesicam, vndè etiam inter potandum lotium copiosum, ac multis bibonibus sæpius meiendum, notissimum est. Id exercitium Bacchicum, si protrahatur, sequitur somnus profundior, quo per sudores, vaporem atque exhalationem insensibilem multa ex potulentis eius-modi ingurgitata materia digeritur, excernitúrque.

Et isthæc hactenus de incommodis nimiæ repletionis, tàm cibi, quàm potus, tam in sanis, quam ægris, quæ affatim indè caussari possunt, è præscripto diuini *Hippocratis*, atque secundum Medicorum Scholam, disseruisse sufficiat.

Alia interim hîc sententia & mens ARBITRI nostri. Is enim, cum suo more, id est, politicè, demonstraturus foret varias hominum aduersitates, rerum vicissitudines, atque inexspectato sæpissimè, atque inter calicem, vt aiunt, supremaque labra, incidentes casus, nihil sub Sole constans, nihil stabile, nihil idem ac diuturnum esse, cui tuto certoque inniti possis, docere instituit. Referri itaque hæc non inepte possunt ad locum *Physices*, de *fortuna* fato aut *casu*: quæ sunt caussæ, sine caussis, id est, fortuita, ac mere contingentia. *Sic enim ipse in textu palam loquitur pag. 42. Ite* (inquit) *nunc mortales, & magnis cogitationibus pectora implete. Ite cauti, & opes fraudibus captas per mille annos disponite.*

Mox rationem ab exemplo submersi cuiusdam subiicit hanc: *Nempè hic proximâ luce patrimonii sui rationes inspexit: nempè diem etiam, quo venturus esset in patriam, animo suo fixit. Dii Deæq;, quam longè à destinatione suâ iacet.* Non autem in mari solum multa secus opinantibus incommoda casusque euenire coarguit, sed etiam in terris habitan-

tibus spes nequicquam esse ratas, subitoque alia atque alia vitæ discrimina exspectanda esse contendit. *Sed* (addit) *non sola mortalibus maria hanc fidem præstant. Illum bellantem arma decipiunt. illum diu vota reddentem penatum suorum ruina sepelit: ille vehiculo lapsus properantem spiritum excussit.* (Illum) *cibus auidum strangulauit:* (illum) *abstinentem frugalitas. Si benè calculum ponas, vbique naufragium est.*

Cum igitur hoc loco comparatiuè de ingluuie ac frugalitate disseratur, videtur, hæc nobis periodus omnino corrupta esse, vtpote quæ verbis præcedentibus non cohæreat. Siquidem enim in præmissis per anaphoram semper præponatur, repetaturque *illum, ille,* hîc quoque pariter atque hoc pacto legendum esse arbitramur: (illum) *cibus auidum strangulauit:* (illum) *abstinentem frugalitas.* De quibus accuratius cogitare *Grammaticorum* ac *Criticorum* erit.

Sensus quapropter est verborum ARBITRI: multos interim, dum auidè cibum petunt, præter infinitos propè casus alios, hominibus non mari solum, sed & terrâ accidentes, ex improuiso fortunâ ac casu derepentè strangulari; multos quoque abstinentes similiter ac frugales (de quibus cap. sequenti videbimus) nihilo minus sæpenumerò subito quoque extingui, ità vt, vbicunque calculum ponas, nunquam homini satis constet, quomodo casus hos vel illos declinare sustineat. Vulgatum illud *Poëtæ* hîc locum meretur:

Quod quisq; vitet,
Nunquam homini satis cautum est in horas.

Sicut & illud:

Multa cadunt inter calicem, supremaq; labra.

Coronidem hanc exempla illustrent. Sic *Anacreon Poëta*, (à quo *Anacreontica* nomen habent) vini alioquin appetentior, acino vuæ passæ repentè suffocatus est, dum aliquanto liberius Baccho vacaret: autoribus *Plinio*, & *Val. Maximo*. Sic *Thimagenes Alexandrinus* sub *Pompeio* captiuus *Romam* ductus, ex vomitu post cænam periit: referente *Volaterrano*. Sic sutorem ac ciuem Coloniensem inter confabulandum ex corii frusto, quod ore continebat, & inter risum hianti gutturi se se insinuauerat, propemodum oppido suffocatum fuisse recenset *Dn. Guilhelm. Fabritius Hildanus, obs. Chirurg. Cent. 1. obs.* XXXI. Idem mulierem *Hildenæ* ex officulo casu deuorato, penè suffocatam fuisse, quod septimo tandem die egessit, refert *Cent. 1. obs.* XXXII. Ibidem ex deglutitis inter edendum fortè fortunâ piscium spinis ac craticulis, aliquando etiam aciculis, horrenda symptomata, ipsamq; penè non mortem stupendam ac miseram insecutam esse recenset: qualia nos quoque exempla cum stupore meminimus. Verissimum igitur *Petronianum* illud: Cibum etiam, inter multiplices, ac penè infinitos casus alios, quibus homo obnoxius est, non raro auidos strangulare.

Caput

Caput VII.

ABstinentia, siue *Inedia*, quomodo vacuet? *Inedia* tempestiuæ commoda. Eâ *febres Intermittentes* non nunquam curantur. Eadem, sed modica, concoctionem atque appetitum Ventriculi promouet. Inediæ coorta intempestiuæ ac nimiæ incommoda. Inedia, secundum ætates, à quibus ratione temperamenti, feratur tutius? Inediam præscripturus Medicus circumspectione opus habet, præsertim in *febribus Acutis*. Contrà tutius eadem præscribitur in *febr. Intermittentibus*. *Frugalitas* apud PETRON. quomodo accipiatur? Sensus verborum ARBITRI explicatur. Historiæ eorum, qui abstinentiâ perierunt, partim voluntariâ, partim coactâ. *Fames Hierosolymitana*, *Melia*, *Saguntina*, *Perusina* &c. memorabiles. Veteres *famem virgis* ex ædibus eiiciebant. *Fames* (vt in prouerbio) multa docet.

SVperiori capite de repletione ex cibis dictum fuit: præsenti vero discursu iam de abstinentia, vel inanitione, nobis dispiciendum erit, idque ex eodem themate *Petroniano*, vbi distinctæ inuicem ac contrariæ quæstiones proponuntur *pagina* superius allegata 42. qua inquit: *Cibus auidum strangulauit, abstinentem frugalitas.*

Etsi vero *prauior omni fame* existat *satietas*, prout enunciat, Rhetorum facilè optimus, *Quintilianus*: fames item, si modum, ac terminos suos non excedat, in multis atque grauibus morbis pro remedio sit, nihilo-minus tamen, cum ea ipsa inedia, si auctior existat, cum ipsa corpora, tum vires omnino exhauriat, ob id etiam præsentissimos morbos, ipsamq; mortem caussare satagit. Prout enim in communi, morbi ex repletione, sic contrà etiam ex inanitione subnasci oppido consueuerunt. Hinc *Medicina* rectè definitur ab *Hippocrate nihil aliud esse, quam additio & ablatio*: additio scilicet eorum, quæ deficiunt, vt in inanitionibus, ablatio vero eorum, quæ superflua sunt, vt in repletionibus. Iam vero cum *Inedia*, *abstinentia*, siue *fames*, inter ea à veteribus recenseantur, quæ corpus humanum tàm sanum, quam ægrum vacuant, inaniuntque, consequens fuerit, ex ipsa illa abstinentia, siue euacuatione nimia, morbos, imo interdum ipsam mortem, progenerari. Notandum autem est, *Inediam* omnem non quidem primario & per se vacuare, sed per accidens. Nam sicubi nullum alimentum in eiusce locum, quod assumptum, vel vacuatum fuit, successerit, fit, vt *Inedia* vacuet: prout docet *Galenus sect.* II. *aph. comment.* XVII. & *sect.* IV. *comment.* II. Rectè igitur diuinus *Hippocrates* vacuationes ad summũ ductas, etiam in sanis, & athleticis corporibus, periculi plenas esse prones ad summũ prodidit: Sic enim *libr.* I. *aph.* III. ad finem: *Porrò autem vt vacuationes* (ait) *ad summum ductæ periculi plenæ sunt: sic rursus summæ refectiones, periculosæ.* Et *libr.* II. *aph.* IV. tanquam ex tripode isthæc enunciat: *Neque satietas, neque nimia cibi abstinentia, neque aliud quippiam salutare, quod suprà naturam fuerit.* Ex hoc aphorismo, si non aliundè, satis innotescit, abstinentiam nimiam vt noxiam, & periculosam, sic moderatam vice versa salutarem esse. *Hinc*, autore *Fuchsio*, *tempestiua abstinentia vt summas in secunda valetudine sibi partes vendicat, ità quoque in aduersa plurimum momenti habet. Sanat enim plenitudinem, nimium obesos, pituitosos, vitiaque ex pituita nata, Apoplexiam, Epilepsiam, Comata, vertigines, cruditates & id genus alia multa*; vt habet *libr. institut.* II. *sect.* V. *cap.* XXXVII.

 Sic

Sic in *Febribus Quotidianis*, & *Tertianis nothis*, quæ potissimum à pituitosis humoribus ac cruditatibus ventriculi originem ducunt, cum fructu aliquando præscribimus vnius diei inediam, vt ea mediante, prout diximus, ceu vacuatione, calor natiuus fortior reddatur, ad reliquas cruditates facilius debellandas. Mulieres verò non-nullæ superstitioni hîc litant, quæ febricitantibus istis aliquando in *die Veneris* abstinentiā inediamque imperant, qui si fortè fortunâ liberantur, certis diebus acceptum ferunt, quod inediæ simpliciter tribuendum, etiam quouis facilè extrà paroxysmum die institutæ. Inedia hîc verò, si conferre debet, latius extendenda non est, siquidem, secus adhibita, grauissimis incommodis minime vacat. Apposite itaque hunc ad locum Phocylides:

> Μέτρῳ μὲν φαγεῖν καὶ πιεῖν, καὶ μυθολογεύειν:
> Πάντων μέτρον ἄριστον. ὑπερβασίη δ' ἀλιτρά.
> *Moderatè cibum potumq; sumas, & loquaris:*
> *Modus omnium optimus. Excessus autem vitandus.*

Schola Salernitana, *libr. de conseruanda valetudine, cap.* VI. monet, antequam aliquis comedat, prius vt famem ceu quandam, siue appetitum, cibis prioribus rite digestis, sibi conciliet:

> *Tu nunquam comedas, stomachum ni noueris esse*
> *Purgatum, vacuumq; cibo, quem sumpseris antè.*
> *Ex desiderio id poteris cognoscere certo,*
> *Hæc sint signa tibi, subtilis in ore diæta.*

Quâ occasione non immerito inter apophthegmata Socratica celebratur: *optimum condimentum fames. Athenæus enim libr.* IV. autor est, *Socratem* aliquando ad multam vesperam antè ædes suas ambulare solitum, interrogatum fuisse, ecquid illîc ageret? *Obsonium*, respondit, *ad cœnam comparo.* Nihil autem suauius edi, quam quod ab esuriente editur, verissimum est. *Famem itaq; cibus, sitim potus exspectet, auiditas vtriusq; superfit, fastidium & securitas procul absit:* prout eleganter *Henr. Rantzouius de conseru. valetud. c.* VII. Interea, eodem docente, non vsque adeo ieiunandum, vt stomachus præ auiditate quæcunque abripiat, prout in fuga *Dario Persarum Regi* contigisse accepimus, vt, cum turbidam & cadauerum sordibus inquinatam bibisset aquam, negarit se vnquam bibisse dulcius ac gratius nectar.

Præter id vero *inedia*, vel *abstinentia* intempestiua, *incautè & stultè si adhibeatur, ventriculum pessimis humoribus Galeno etiam lib.* III. *de natural. facultatibus suffragante, biliosis ac serosis succis implet, fastidia creat, ventriculi robur dissoluit, & labefactat, appetentiam eripit, & deniq; atrocibus morbis totum corpus obnoxium facit. Siquidem biliosis & siccis corporibus animi defectiones, syncopes, tabem, & marasmos conciliat. Sic vt non minus grauia abstinentiæ, quam intemperantiæ incommoda existant:* sicut disputat loco allegato *Fuchsius.* Eandem in sententiā *Dn. Sennertus* totidem penè verbis habet *libr. Instit.* II. *part.* II. *c.* II. *Sicut* (ait) *immodica cibi & potus copia varios morbos excitat: ita etiam inedia longior plurima incommoda secum affert. Absumit enim in corpore sano bonos, atq; vtiles humores, corpusque exsiccat ac consumit, vt est apud Hippocratē lib.* I. *aph.* XLVI. *In corpore verò cacochymico & impuro mouet & agitat corruptos humores, ac pars illorum in defectu alimenti boni ad ventriculū trahitur, qui inde non leuiter perturbatur,*

& per

& per consensum Cerebrum ac Cor affliguntur, adeò, vt aliquãdo lipothymia, aut epilepsia, subsequatur. In specie si bilis exsuperet, regurgitat illa in inedia ad ventriculum, atq; ità καρδιαλγία oritur, & fumi ad cor & cerebrum transmittuntur. Si pituita abundat, accedunt cibi fastidia, nausea, ructus, vomitus, animi deliquia, & totius corporis grauitas. Si melancholia exsuperet, excitatur oris aciditas, vigiliæ, mœror, & similia: hæc ille *Instit. libr. II. part. II. cap. II.* Imò *fame tollitur ventriculi habitus, hypochondria suspenduntur, nidorulenta eructantur, biliosa ad caput attrahuntur:* vt habet *Heurnius Comment. in Aphor. XIV. libr. II.*

Oportebit itaque Medicum in eo cautum esse, vt diligenter quibus ac quando inediam præscribat, dispiciat, ne immodica inde fiat euacuatio. Alii enim aliis inediam ferunt facilius. *Hippocrates* adolescentes, maximè verò pueros, & præsertim, qui ex iis sunt vegetiores, inediæ impatientissimos esse pronunciat, contra homines constantis ætatis, maximè verò senes (quibus cruda est senectus) tolerantissimos, vt videre est *lib. I. Aphor. XIII. Senes* (inquit) *quibus est cruda viridisq; senectus, inediæ patientissimi sunt; mox homines constantis ætatis; nequaquam adolescentes: maximeq; omnium pueri: atq; omninò, qui id ætatis fuerint alacriores.* Et in sequenti ibidem aphorismo pueros plurimo alimento opus habere contendit, quòd crescant, & plurimum habeant calidi innati: ideoque eo minus illi inediam sustinere possunt. *Qui crescunt* (inquit) *plurimum habent calidi innati, proptereaq; plurimo egent alimento, alioqui horum corpus tabescit. Senibus verò parum caloris superest: quo fit, vt paucis fomitibus contenti sint, nam copiâ extingueretur facile,* &c. Contrà verò *senes,* qui in extrema & decrepita senecta sunt constituti, inediam tolerare minus queunt, qui ob id crebro & modicè sunt reficiendi. Et hæc de ætatibus.

Quoad ipsas temperaturas, *Galen. lib. v. de temperament.* ità annotauit: *Qui angustas venas habent, exigui sunt sanguinis, nec longam inediam ferunt. Quibus latæ, iis copia sanguinis est, & citrà noxam cibo abstinent.* Biliosi itaque, picrocholi, & raræ texturæ homines, adeoque ii, qui calorem ad igneam naturam procliuem habent, inediam minimè sustinent. In iis enim ab inedia febres accenduntur, humores biliosiores, amarulentioresque redduntur, frequentes caussantur stomachi morsus, cardialgiæ, deliquia animi, vigiliæ, inquietudines, aluinæque obstructiones, imò omnia etiam excreméta corporis acria, exusta, atque maligna magis efficiuntur. Vice-versâ *Inediam* leuius ferunt, qui denso sunt corporis habitu, venis amplis, viribus inprimis robustis, quique etiam obesi, aut crudis humoribus circumfluunt, quòd ex iis humoribus, dum in alimenti defectu concoquuntur, corpus ali possit: prout superius in *historia matronæ Ephesinæ* prolixiùs enarrauimus. Vt igitur abstinentia præscribatur, circumspectione opus habet. Ea enim tempestiuè, & iis, quibus vtilis est, imperata, prout conducit plurimùm: ita vicissim intempestiuè, atque iis, quibus non confert, adhibita, maximè obest. Hâc occasione *Dictator* noster, neque etiam in *Acutis* licet affectibus abstinentiam, aut tenuissimam diætam facilè præscribit, cùm vt plurimùm in tenui victu magis peccetur, quàm in paulò pleniori; prout in *Aphorismis* passim hinc-inde prolixius inculcat: ità enim *lib. I. aph. IV. Diætæ tenues & accuratæ cum in morbis diuturnis in totum periculosæ, tum etiam in Acutis morbis maximè si loco & iure non præscribantur. Iterum extremè tenues diætæ periculo plenæ.* Et *aphor. V.* ibidem: *Quinetiam in diæta tenui in vitio sui sunt ægri, propterea dannis augentur. Omninò enim magis tenui diætâ (loco non adhibitâ) quàm paulò pleniori peccatur: Quæ caussa etiam est, cur tenuis admodum stata & accurata diæta sanis etiam sit periculosa, quòd eius delicta grauius illi ferant. Ergò tenuis, accurataq; diæta paulò pleniori, vt plurimum est periculosa magis.* Nihilo-minus

Bbb 3

His Cæsar Perusina fames, Mutinæq; labores
Accedat fatis ———

Sicut autem illis, qui de consilio inediam sibi imperârunt, voluntas atque electio, sic his, qui extremâ præ penuriâ aliter non potuerunt, necessitas fatalem diem imposuit.

Vtinam verò hodiernâ tempestate Germania nostra decennali isto bello, nec-dum proh dolor! finito, miserè multis in regionibus pressa vetustum illum Græcorum morem tantùm non nudâ imitatione, sed reipsâ potiùs atque efficaciter exprimere possit, vt *Virgis ex ædibus* vndique (quod Græcis olim in more erat) *fames*, imò furcis etiam expelleretur. Clamabant itaque *Græci* in *famis* expiatione: Ἔξω βούλιμον, ἔσω πλοῦτον καὶ ὑγίειαν: *Foràs famem, intrò diuitias ac sanitatem. Athenienses* quondam grauissimis dubio procul bellis afflicti, præsertim extremâ fame laborantes, *Pythiâ* consulto ac monente, *famem* certis ceremoniis loco ac piaculo placârunt: ità vt peculiaris Campus, qui λιμοῦ πεδίον dicitur, post ærarium illi dicatus fuerit. Hodie quoque, hem Christianam barbariem! tantùm non campus aliquis, imò totæ ac complures regiones à militibus extremè exhaustæ, fami velut dedicatæ miserandum in modum comperiuntur, vt nunc non magis nouum sit hoc seculo, quod adagione fertur, *Mazam ac Nasturtium edere esurienti dulce esse*, imò *Famem multa*, aliquando absurda, *docere*: etenim πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος: *Fames complurium artium magistra est.*

Caput VIII.

APologia pro poëtica. Poëtices origo antiquissima: ab *Hebræis* primùm inuenta; ab *Ethnicis* exculta; ab vtrisque sancta semper habita. *Orphei, Amphionis, Arionis,* &c. *Poëtarum* vetustissimorum laudes omninò stupendæ. *Poëta* nascuntur, non fiunt: insanientes iccirco non sunt: vbi *Polydor. Virgilius*, atque alii notantur. *Carmen* à cantu oriundum. *Sibyllæ* & *Oracula* olim carminibus locuta. *D. Apostolus Paulus* exemplis gentilium *Poëtarum* vsus. *Poëtices* subiectum nobilissimum. Eiusdem genera quinque. *Poëtica* Philosophia antiquissima. *Poëta* solus sapiens, secundùm *Strabonem*. Idem morum corrector ac vitæ communis. *Poëta* plerumque *Regum*, atque *Imperatorum* præceptores fuerunt: à quibus ad summas dignitates euecti. Adulari nesciunt. Summi honores ab omni æuo *Poëtis* decreti, ad hodiernum vsque diem. *Poëtica* ex speculatione ac praxei conflata. Etiam *Prophetæ, Imperatores, Reges, Pontifices, Cardinales, Principes, Episcopi,* &c. *Poëta* nomen non detrectârunt. *Poëta* carminibus totam *Encyclopædiam* expediuerunt. Obiectiones quædam circa hoc propositum diluuntur. Notantur *Pseudo-Poëtæ*. *Poëta* quatenus vtantur Diis, Deabus, & Semideis? Amoribus plerumque sunt dediti: Vnde leues dici possunt cum PETRONIO. Locus PETRONIANVS in *adulatores poëtastros* quadrat. Idem iocosè interpretandus venit: sicut *Ausonius poësin* per iocum *scabiem* indigetat. *Plato Poëtas*, præsertim *Comicos*, tanquam lasciuos, proscripsit. Ea tamen *lex Platonica*, *Poëtas* eloquio suo omnia facilè posse, arguit.

NE quis forsan existimet, PETRONIVM, Poëtam alioquin facundissimum, *pag.* 43. his in verbis: *Putabam ego* (inquit) *senem iocari leuitate poëtica*: Poëtas, tanquam leues, ridiculos, atque impostores publico contemptui aut ludibrio exponere, prolixiùs aliquantum in *Poëtarum* laudes ac honores consulto euagabimur, quò omnibus pareat, diuinam eam facultatem, ortu inprimis diuinam, diuinitate atque incremento admirandam, subiecto verò ac fine regiam nobilissimamque esse, nullamque facilè dari artem, quæ poëticæ huic nostræ

aut

aut qua præstantiam, aut qua dignitatem atque existimationem, conferri facile, nedũ præferri debeat. Quibus ordine consideratis, ad finem huiusce Apologiæ, PETRONIVM cum PETRONIO, tanquam *Platonem* cum *Platone*, ea, qua par est, fidelitate ac perspicuitate, conciliare conabimur. Sed ad propositum.

Si igitur vel originis antiquitate, vel subiecti nobilitate, vel denique finis pulcritudine; quibus potissimùm tribus artes & scientiæ inter se se mutuo cùm distingui, tum æstimari solent; standum sit, procul dubio *poësin* & ortu àntiquissimam, & rerum tractandarum materia, vel subiecto laudatissimam, atque vtilitate denique præstantissimam refectissimamque esse facilè comperiemus.

Et primum ortu illam antiquissimam esse ex *Eusebii libro* II. *de præparat. Euangel.* probat, inter alios, *Polydorus Virgilius*, ex quo eam etiam apud antiquissimos *Hebræorum*, qui multis seculis priores *Græcis* poëtis extitere, floruisse conspicuum fit. Magnus enim ille *Hebræorum* Imperator, MOYSES, cùm ex *Ægypto* vnà cum *Israëlitarum* turba digressus *Mare rubrum*, diuinitus velut exsiccatum, transgressus esset, *Pharaone* tyranno contra vnà cum omnibus copiis aquis refluentibus suffocato atque extincto, diuino Numine afflatus, *Hexametro* carminis genere DEO OPT. MAX. sospitatori gratias persoluit, prout autor est *Iosephus libr.* II. *de Antiquitat. Iudæorum.* Similiter Regius ille Propheta *David*, DEI Vates, *Hymnos* vario metri genere composuit; quod idem contestatur *Iosephus libr.* VII. *Antiquit. Iudaicar.* his verbis: *Expeditus* (inquit) *itaque David à præliis & periculis, cum pace iam altissimâ frueretur, cantica in DEVM Hymnosq́ue vario metro composuit, alios quidem trimetros, alios quidem quinquemetros.* Quibus eleganter astipulatur *D. Hieronymus Præfat. in Chronicon Eusebii: Denique* (scribit) *quid Psalterio canorius? quod in morem nostri Flacci, & Græci Pindari, nunc Iambo currit; nunc Alcaico personat, nunc Sapphico tumet, nunc Semipede ingreditur. Quid Deuteronomii & Esaiæ cantico pulcrius? Quid Salomone grauius? Quid perfectius Iob?* Rectè igitur superioribus accinit præfatus *Polydorus Virgilius*: *Non immeritò igitur* (inquit) *huius artis initium Hebræis acceptum referre debemus, veluti reliquarum propemodum disciplinarum.* Quo modo sanctam simulatque eiusce facultatis originem esse eodem tenore euincitur, quòd à sanctis *Prophetis* eadem cum inuenta, tum in vsus quoque sanctissimos, nimirum in DEI Opt. Max. laudes atque Hymnos cesserit.

Quod ad gentiles attinet, eiusdem *Poëtices* origo tàm vetusta est, vt Deastris, Apollini, itemque nouem Musis, asscribatur. Sic enim apud *Nasonem Metamorph: libr.* I. ipse *Apollo* de se:

> *Iuppiter est genitor: per me, quod eritq́ue, fuitq́ue,*
> *Estq́ue, patet, per me concordant carmina neruis.*

Accepisse is fertur citharam à *Mercurio*, & postmodum *Musis* præfuisse. Quo pacto ipsa origine gentilibus quoque sancta ac veneranda extitit poësis, vt qui eam minimè hominis, sed Deorum alicuius inuentum esse persuasissimum haberent. Hinc velut per traducem poëticos spiritus hauserunt *Linus*, poëta vetustissimus (*Apollinis* & *Vraniæ* filius) *Orpheus* similiter (*Apollinis* & *Calliopes* filius) & *Thamyras*, qui duo, vnà cum *Hercule*, *Lino* præceptore vsi sunt. Quid de *Arione, Amphione,* & *Musæo*, dicemus, poëtis simul antiquissimis? Eorum autem omnium diuinæ atque incomparabiles laudes tantum non obiter vulgariterque nobis commendatæ, verùm eum in modum æterno elogio perenni Cedro inscriptæ sunt, vt meritò, quid superaddi aut queat, aut debeat, quæri dubitarique possit. Etenim de omnibus istis non modo id ipsum memorabile refertur,

His Cæsar Perusina fames, Mutinæq; labores
Accedat fatis ———

Sicut autem illis, qui de consilio inediam sibi imperârunt, voluntas atque electio, sic his, qui extremâ præ penuriâ aliter non potuerunt, necessitas fatalem diem imposuit.

Vtinam verò hodiernâ tempestate Germania nostra decennali isto bello, nec-dum proh dolor! finito, miserè multis in regionibus pressa vetustum illum Græcorum morem tantùm non nudâ imitatione, sed reipsâ potiùs atque efficaciter exprimere possit, vt *Virgis ex ædibus* vndique (quod Græcis olim in more erat) *fames*, imò furcis etiam expelleretur. Clamabant itaque *Græci* in *famis* expiatione: Ἔξω βούλιμον, εἴσω πλοῦτον καὶ ὑγίειαν. *Foràs famem, intrò diuitias ac sanitatem. Athenienses* quondam grauissimis dubio procul bellis afflicti, præsertim extremâ fame laborantes, *Pythiâ* consulto ac monente, *famem* certis ceremoniis loco ac piaculo placârunt: ità vt peculiaris Campus, qui λιμοῦ πεδίον dicitur, post ærarium illi dicatus fuerit. Hodie quoque, hem Christianam barbariem! tantùm non campus aliquis, imò totæ ac complures regiones à militibus extremè exhaustæ, fami velut dedicatæ miserandum in modum comperiuntur, vt nunc non magis nouum sit hoc seculo, quod adagione fertur, *Mazam ac Nasturtium edere esurienti dulce esse*, imò *Famem multa*, aliquando absurda, *docere*: etenim πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος: *Fames complurium artium magistra est.*

Caput VIII.

Apologia pro poëtica. Poëtices origo antiquissima: ab *Hebræis* primùm inuenta; ab *Ethnicis* exculta; ab vtrisque sancta semper habita. *Orphei, Amphionis, Arionis*, &c. *Poëtarum* vetustissimorum laudes omninò stupendæ. *Poëtæ* nascuntur, non fiunt: insanientes ideircò non sunt: vbi *Polydor. Virgilius*, atque alii notantur. *Carmen* à cantu oriundum. *Sibyllæ* & *Oracula* olim carminibus loquuta. *D. Apostolus Paulus* exemplis gentilium *Poëtarum* vsus. *Poëtices* subiectum nobilissimum. Eiusdem genera quinque. *Poëtica* Philosophia antiquissima. *Poëta* solus sapiens, secundùm *Strabonem*. Idem morum correctorac vitæ communis. *Poëtæ* plerumque *Regum*, atque *Imperatorum* præceptores fuerunt: à quibus ad summas dignitates euecti. Adulari nesciunt. Summi honores ab omni æuo *Poëtis* decreti, ad hodiernum vsque diem. *Poëtica* ex speculatione ac praxei conflata. Etiam *Prophetæ, Imperatores, Reges, Pontifices, Cardinales, Principes, Episcopi*, &c. *Poëtæ* nomen non detrectârunt. *Poëtæ* carminibus totam *Encyclopædiam* expediuerunt. Obiectiones quædam circa hoc propositum diluuntur. Notantur *Pseudo-Poëtæ*. *Poëtæ* quatenus vtantur Diis, Deabus, & Semideis? Amoribus plerumque sunt dediti: Vnde leues dici possunt cum PETRONIO. Locus PETRONIANVS in *adulatores poëtastros* quadrat. Idem iocosè interpretandus venit: sicut *Ausonius poësin* per iocum *scabiem* indigetat. *Plato Poëtas*, præsertim *Comicos*, tanquam lasciuos, proscripsit. Ea tamen *lex Platonica*, *Poëtas* eloquio suo omnia facilè posse, arguit.

NE quis forsan existimet, PETRONIVM, Poëtam alioquin facundissimum, *pag.* 43. his in verbis: *Putabam ego* (inquit) *senem iocari leuitate poëtica*: Poëtas, tanquam leues, ridiculos, atque impostores publico contemptui aut ludibrio exponere, prolixiùs aliquantum in *Poëtarum* laudes ac honores consulto euagabimur, quò omnibus pateat, diuinam eam facultatem, ortu inprimis diuinam, diuinitate atque incremento admirandam, subiecto verò ac fine regiam nobilissimamque esse, nullamque facilè dari artem, quæ poëticæ huic nostræ aut

aut qua præstantiam, aut qua dignitatem atque existimationem, conferri facile, nedū præferri debeat. Quibus ordine consideratis, ad finem huiusce Apologiæ, PETRONIVM cum PETRONIO, tanquam *Platonem* cum *Platone*, ea, qua par est, fidelitate ac perspicuitate, conciliare conabimur. Sed ad propositum.

Si igitur vel originis antiquitate, vel subiecti nobilitate, vel denique finis pulcritudine; quibus potissimùm tribus artes & scientiæ inter se se mutuo cùm distingui, tum æstimari solent; standum sit, procul dubio *poësin* & ortu antiquissimam, & rerum tractandarum materia, vel subiecto laudatissimam, atque vtilitate denique præstantissimam refertissimamque esse facilè comperiemus.

Et primum ortu illam antiquissimam esse ex *Eusebii libro* II. *de præparat. Euangel.* probat, inter alios, *Polydorus Virgilius*, ex quo eam etiam apud antiquissimos *Hebræorum*, qui multis seculis priores *Græcis* poëtis extitere, floruisse conspicuum fit. Magnus enim ille *Hebræorum* Imperator, MOYSES, cùm ex *Ægypto* vnà cum *Israëlitarum* turba digressus *Mare rubrum*, diuinitus velut exsiccatum, transgressus esset, *Pharaone* tyranno contra vnà cum omnibus copiis aquis refluentibus suffocato atque extincto, diuino Numine afflatus, *Hexametro* carminis genere DEO OPT. MAX. sospitatori gratias persoluit, prout autor est *Iosephus libr.* II. *de Antiquitat. Iudæorum.* Similiter Regius ille Propheta *Dauid*, DEI Vates, *Hymnos* vario metri genere composuit; quod idem contestatur *Iosephus libr.* VII. *Antiquit. Iudaicar.* his verbis: *Expeditus* (inquit) *itaque Dauid à prælius & periculis, cum pace iam altissimâ frueretur, cantica in DEVM Hymnosq́ue vario metro composuit, alios quidem trimetros, alios quidem quinquemetros.* Quibus eleganter astipulatur *D. Hieronymus Præfat. in Chronicon Eusebii: Denique* (scribit) *quid Psalterio canorius? quod in morem nostri Flacci, & Græci Pindari, nunc Iambo currit; nunc Alcaico personat; nunc Sapphico tumet, nunc Semipede ingreditur. Quid Deuteronomii & Esaiæ cantico pulcrius? Quid Salomone grauius? Quid perfectius Iob?* Rectè igitur superioribus accinit præfatus *Polydorus Virgilius*: *Non immeritò igitur* (inquit) *huius artis initium Hebræis acceptum referre debemus, veluti reliquarum propemodum disciplinarum.* Quo modo sanctam simulatque eiusce facultatis originem esse eodem tenore euincitur, quòd à sanctis *Prophetis* eadem cum inuenta, tum in vsus quoque sanctissimos, nimirum in DEI Opt. Max. laudes atque Hymnos cesserit.

Quod ad gentiles attinet, eiusdem *Poëtices* origo tàm vetusta est, vt Deastris, Apollini, itemque nouem Musis, ascribatur. Sic enim apud *Nasonem Metamorph. libr.* I. ipse *Apollo* de se:

> *Iuppiter est genitor: per me, quod eritq́ue, fuitq́ue,*
> *Estq́ue, patet, per me concordant carmina neruis.*

Accepisse is fertur citharam à *Mercurio*, & postmodum *Musis* præfuisse. Quo pacto ipsa origine gentilibus quoque sancta ac veneranda extitit poësis, vt qui eam minimè hominis, sed Deorum alicuius inuentum esse persuasissimum haberent. Hinc velut per traducem poëticos spiritus hauserunt *Linus*, poëta vetustissimus (*Apollinis* & *Vraniès* filius) *Orpheus* similiter (*Apollinis* & *Calliopes* filius) & *Thamyras*, qui duo, vnà cum *Hercule*, *Lino* præceptore vsi sunt. Quid de *Arione, Amphione, & Musæo*, dicemus, poëtis simul antiquissimis? Eorum autem omnium diuinæ atque incomparabiles laudes tantum non obiter vulgariterque nobis commendatæ, verùm eum in modum æterno elogio perenni Cedro inscriptæ sunt, vt meritò, quid superaddi aut queat, aut debeat, quæri dubitarique possit. Etenim de omnibus istis non modo id ipsum memorabile refertur,

His Cæsar Perusina fames, Mutinæq; labores
Accedat fatis ———

Sicut autem illis, qui de consilio inediam sibi imperârunt, voluntas atque electio; sic his, qui extremâ præ penuriâ aliter non potuerunt, necessitas fatalem diem imposuit.

Vtinam verò hodiernâ tempestate Germania nostra decennali isto bello, nec-dum proh dolor! finito, miserè multis in regionibus pressa vetustum illum Græcorum morem tantùm non nudâ imitatione, sed reipsâ potiùs atque efficaciter exprimere possit, vt *Virgis ex ædibus* vndique (quod Græcis olim in more erat) *fames*, imò furcis etiam expelleretur. Clamabant itaque *Græci* in *famis* expiatione: Ἔξω βούλιμον, ἔσω πλοῦτον καὶ ὑγίειαν: *Foràs famem, intrò diuitias ac sanitatem.* *Athenienses* quondam grauissimis dubio procul bellis afflicti, præsertim extremâ fame laborantes, *Pythiâ* consulto ac monente, *famem* certis ceremoniis loco ac piaculo placârunt: itâ vt peculiaris Campus, qui λιμοῦ πέδιον dicitur, post ærarium illi dicatus fuerit. Hodie quoque, hem Christianam barbariem! tantùm non campus aliquis, imò totæ ac complures regiones à militibus extremè exhaustæ, fami velut dedicatæ miserandum in modum comperiuntur, vt nunc non magis nouum sit hoc seculo, quod adagione fertur, *Mazam ac Nasturtium edere esurienti dulce esse*, imò *Famem multa*, aliquando absurda, *docere*: etenim πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος: *Fames complurium artium magistra est.*

Caput VIII.

A*Pologia pro poëtica*. Poëtices origo antiquissima: ab *Hebræis* primùm inuenta; ab *Ethnicis* exculta; ab vtrisque sancta semper habita. *Orphei, Amphionis, Arionis, &c. Poëtarum* vetustissimorum laudes omninò stupendæ. *Poëtæ* nascuntur, non fiunt: insanientes iccircò non sunt: vbi *Polydor. Virgilius*, atque alii notantur. *Carmen* à cantu oriundum. *Sibylla & Oracula* olim carminibus locuta. *D. Apostolus Paulus* exemplis gentilium *Poetarum* vsus. *Poëtices* subiectum nobilissimum. Eiusdem genera quinque. *Poëtica* Philosophia antiquissima. *Poeta* solus sapiens, secundùm *Stabonē*. Idem morum corrector ac vitæ communis. *Poëtæ* plerumque *Regum*, atque *Imperatorum* præceptores fuerunt: à quibus ad summas dignitates euecti. Adulari nesciunt. Summi honores ab omni æuo *Poëtis* decreti, ad hodiernum vsque diem. *Poëtica* ex speculatione ac praxei conflata. Etiam *Prophetæ, Imperatores, Reges, Pontifices, Cardinales, Principes, Episcopi, &c. Poëtæ* nomen non detrectârunt. *Poëtæ* carminibus totam *Encyclopadiam* expedinerunt. Obiectiones quædam circa hoc propositum diluuntur. Notantur *Pseudo-Poëtæ*. *Poëtæ* quatenus vtantur Diis, Deabus, & Semideis? Amoribus plerumque sunt dediti: Vnde leues dici possunt cum PETRONIO. Locus PETRONIANVS in *adulatores poëtastros* quadrat. Idem iocosè interpretandus venit: sicut *Ausonius poësin* per iocum *scabiem* indigetat. *Plato Poëtas*, præsertim *Comicos*, tanquam lasciuos, proscripsit. Ea tamen *lex Platonica, Poëtas* eloquio suo omnia facilè posse, arguit.

NE quis forsan existimet, PETRONIVM, Poëtam alioquin facundissimum, *pag.* 43. his in verbis: *Putabam ego* (inquit) *senem iocari leuitate poëtica*: Poëtas, tanquam leues, ridiculos, atque impostores publico contemptui aut ludibrio exponere, prolixiùs aliquantum in *Poëtarum* laudes ac honores consulto euagabimur, quò omnibus pateat, diuinam eam facultatem, ortu inprimis diuinam, diuinitate atque incremento admirandam, subiecto verò ac fine regiam nobilissimamque esse, nullamque facilè dari artem, quæ poëticæ huic nostræ

aut

aut qua præstantiam, aut qua dignitatem atque existimationem, conferri facile, nedũ præferri debeat. Quibus ordine consideratis, ad finem huiusce Apologiæ, PETRONIUM cum PETRONIO, tanquam *Platonem* cum *Platone*, ea, qua par est, fidelitate ac perspicuitate, conciliare conabimur. Sed ad propositum.

Si igitur vel originis antiquitate, vel subiecti nobilitate, vel denique finis pulcritudine; quibus potissimùm tribus artes & scientiæ inter se se mutuo cùm distingui, tum æstimari solent; standum sit, procul dubio *poësin* & ortu antiquissimam, & rerum tractandarum materia, vel subiecto laudatissimam, atque vtilitate denique præstantissimam refertissimamque esse facilè comperiemus.

Et primum ortu illam antiquissimam esse ex *Eusebii libro* II. *de præparat. Euangel.* probat, inter alios, *Polydorus Virgilius*, ex quo eam etiam apud antiquissimos *Hebræorum*, qui multis seculis priores *Græcis* poëtis extitere, floruisse conspicuum fit. Magnus enim ille *Hebræorum* Imperator, MOYSES, cùm ex *Ægypto* vnà cum *Israëlitarum* turba digressus *Mare rubrum*, diuinitus velut exsiccatum, transgressus esset; *Pharaone* tyranno contra vnà cum omnibus copiis aquis refluentibus suffocato atque extincto, diuino Numine afflatus, *Hexametro* carminis genere DEO OPT. MAX. sospitatori gratias persoluit, prout autor est *Iosephus libr.* II. *de Antiquitat. Iudæorum.* Similiter Regius ille Propheta *Dauid*, DEI Vates, *Hymnos* vario metri genere composuit; quod idem contestatur *Iosephus libr.* VII. *Antiquit. Iudaicar.* his verbis: *Expeditus* (inquit) *itaque Dauid à prælis & periculis, cum pace iam altissimâ frueretur, cantica in DEVM Hymnosq; vario metro composuit, alios quidem trimetros, alios quidem quinquemetros.* Quibus eleganter astipulatur *D. Hieronymus Præfat. in Chronicon Eusebii: Denique* (scribit) *quid Psalterio canorius? quod in morem nostri Flacci, & Græci Pindari, nunc Iambo currit, nunc Alcaico personat, nunc Sapphico tumet, nunc Semipede ingreditur. Quid Deuteronomii & Esaiæ cantico pulcrius? Quid Salomone grauius? Quid perfectius Iob?* Rectè igitur superioribus accinit præfatus *Polydorus Virgilius*: *Non immeritò igitur* (inquit) *huius artis initium Hebræis acceptum referre debemus, veluti reliquarum propemodum disciplinarum.* Quo modo sanctam simul atque eiusce facultatis originem esse eodem tenore euincitur, quòd à sanctis *Prophetis* eadem cum inuenta, tum in vsus quoque sanctissimos, nimirum in DEI Opt. Max. laudes atque Hymnos cesserit.

Quod ad gentiles attinet, eiusdem *Poëtices* origo tàm vetusta est, vt Deastris, Apollini, itemque nouem Musis, asscribatur. Sic enim apud *Nasonem Metamorph. libr.* I. ipse *Apollo* de se:

> *Iuppiter est genitor: per me, quod eritq; fuitq;,*
> *Estq;, patet, per me concordant carmina neruis.*

Accepisse is fertur citharam à *Mercurio*, & postmodum *Musis* præfuisse. Quo pacto ipsa origine gentilibus quoque sancta ac veneranda extitit poësis, vt qui eam minimè hominis, sed Deorum alicuius inuentum esse persuasissimum haberent. Hinc velut per traducem poëticos spiritus hauserunt *Linus*, poëta vetustissimus (*Apollinis* & *Vranies* filius) *Orpheus* similiter (*Apollinis* & *Calliopes* filius) & *Thamyras*, qui duo, vnà cum *Hercule*, *Lino* præceptore vsi sunt. Quid de *Arione*, *Amphione*, & *Musæo*, dicemus, poëtis simul antiquissimis? Eorum autem omnium diuinæ atque incomparabiles laudes tantum non obiter vulgariterque nobis commendatæ, verùm eum in modum æterno elogio perenni Cedro inscriptæ sunt, vt mirum, quid superaddi aut queat, aut debeat, quæri dubitarique possit. Etenim de omnibus istis non modo id ipsum memorabile refertur,

His Cæſar Peruſina fames, Mutinæq; labores
Accedat fatis ———

Sicut autem illis, qui de conſilio inediam ſibi imperârunt, voluntas atque electio, ſic his, qui extremâ præ penuriâ aliter non potuerunt, neceſſitas fatalem diem impoſuit.

Vtinam verò hodiernâ tempeſtate Germania noſtra decennali iſto bello, nec-dum proh dolor! finito, miſerè multis in regionibus preſſa vetuſtum illum Græcorum morem tantùm non nudâ imitatione, ſed reipsâ potiùs atque efficaciter exprimere poſſit, vt *Virgis ex ædibus* vndique (quod Græcis olim in more erat) *fames*, imò furcis etiam expelleretur. Clamabant itaque *Græci in famis* expiatione: Ἔξω βούλιμον, εἴσω πλοῦτον καὶ ὑγίειαν: *Foràs famem, intrò diuitias ac ſanitatem.* *Athenienſes* quondam grauiſſimis dubio procul bellis afflicti, præſertim extremâ fame laborantes, *Pythiâ* conſulto ac monente, *famem* certis ceremoniis loco ac piaculo placârunt: itâ vt peculiaris Campus, qui λιμοῦ πεδίον dicitur, poſt ærarium illi dicatus fuerit. Hodie quoque, hem Chriſtianam barbariem! tantùm non campus aliquis, imò totæ ac complures regiones à militibus extremè exhauſtæ, fami velut dedicatæ miſerandum in modum comperiuntur, vt nunc non magis nouum ſit hoc ſeculo, quod adagione fertur, *Mazam ac Naſturtium edere eſurienti dulce eſſe*, imò *Famem multa*, aliquando abſurda, *docere*: etenim πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος: *Fames complurium artium magiſtra eſt.*

Caput VIII.

Apologia pro poëtica. Poëtices origo antiquiſſima: ab *Hebræis* primùm inuenta; ab *Ethnicis* exculta; ab vtriſque ſancta ſemper habita. *Orphei, Amphionis, Arionis, &c. Poëtarum* vetuſtiſſimorum laudes omninò ſtupendæ. *Poëtæ* naſcuntur, non fiunt: inſanientes idcircò non ſunt: vbi *Polydor. Virgilius*, atque alii notantur. *Carmen* à cantu oriundum. *Sibyllæ & Oracula* olim carminibus locuta. *D. Apoſtolus Paulus* exemplis gentilium *Poëtarum* vſus. *Poëtices* ſubiectum nobiliſſimum. Eiuſdem genera quinque. *Poëtica* Philoſophia antiquiſſima. *Poëta* ſolus ſapiens, ſecundùm *Strabonẽ*. Idem morum corrector ac vitæ communis. *Poëtæ* plerumque *Regum*, atque *Imperatorum* præceptores fuerunt: à quibus ad ſummas dignitates euecti. Adulari neſciunt. Summi honores ab omni æuo *Poëtis* decreti, ad hodiernum vſque diem. *Poëtica* ex ſpeculatione ac praxei conflata. Etiam *Prophetæ, Imperatores, Reges, Pontifices, Cardinales, Principes, Epiſcopi, &c. Poëtæ* nomen non detrectârunt. *Poëtæ* carminibus totam *Encyclopædiam* expediuerunt. Obiectiones quædam circa hoc propoſitum diluuntur. Notantur *Pſeudo-Poëtæ*. *Poëtæ* quatenus vtantur Diis, Deabus, & Semideis? Amoribus plerumque ſunt dediti: Vnde leues dici poſſunt cum PETRONIO. Locus PETRONIANVS in *adulatores poëtaſtros* quadrat. Idem iocosè interpretandus venit: ſicut *Auſonius poëſin* per iocum *ſcabiem* indigetat. *Plato Poëtas*, præſertim *Comicos*, tanquam laſciuos, proſcripſit. Ea tamen *lex Platonica, Poëtas* eloquio ſuo omnia facilè poſſe, arguit.

NE quis forſan exiſtimet, PETRONIVM, Poëtam alioquin facundiſſimum, *pag.* 43. his in verbis: *Putabam ego* (inquit) *ſenem iocari leuitate poëtica:* Poëtas, tanquam leues, ridiculos, atque impoſtores publico contemptui aut ludibrio exponere, prolixiùs aliquantum in *Poëtarum* laudes ac honores conſulto euagabimur, quò omnibus pateat, diuinam eam facultatem, ortu inprimis diuinam, diuinitate atque incremento admirandam, ſubiecto verò ac fine regiam nobiliſſimamque eſſe, nullamque facilè dari artem, quæ poëticæ huic noſtræ aut

aut qua præstantiam, aut qua dignitatem atque existimationem, conferri facile, nedũ præferri debeat. Quibus ordine consideratis, ad finem huiusce Apologiæ, PETRONIVM cum PETRONIO, tanquam *Platonem* cum *Platone*, ea, qua par est, fidelitate ac perspicuitate, conciliare conabimur. Sed ad propositum.

Si igitur vel originis antiquitate, vel subiecti nobilitate, vel denique finis pulcritudine; quibus potissimùm tribus artes & scientiæ inter se se mutuo cùm distingui, tum æstimari solent; standum sit, procul dubio *poësin* & ortu antiquissimam, & rerum tractandarum materia, vel subiecto laudatissimam, atque vtilitate denique præstantissimam refectissimamque esse facilè comperiemus.

Et primum ortu illam antiquissimam esse ex *Eusebii libro* II. *de præparat. Euangel.* probat, inter alios, *Polydorus Virgilius*, ex quo eam etiam apud antiquissimos *Hebræorum*, qui multis seculis priores *Græcis* poëtis extitere, floruisse conspicuum fit. Magnus enim ille *Hebræorum* Imperator, MOYSES, cùm ex *Ægypto* vnà cum *Israëlitarum* turba digressus *Mare rubrum*, diuinitus velut exsiccatum, transgressus esset; *Pharaone* tyranno contra vnà cum omnibus copiis aquis refluentibus suffocato atque extincto, diuino Numine afflatus, *Hexametro* carminis genere DEO OPT. MAX. sospitatori gratias persoluit, prout autor est *Iosephus libr.* I I. *de Antiquitat. Iudæorum.* Similiter Regius ille Prophèta *Dauid*, DEI Vates, *Hymnos* vario metri genere composuit; quod idem contestatur *Iosephus libr.* V I I. *Antiquit. Iudaicar.* his verbis: *Expeditus* (inquit) *itaque Dauid à præliis & periculis, cum pace iam altissimâ frueretur, cantica in DEVM Hymnosq́ vario metro composuit, alios quidem trimetros, alios quidem quinquemetros.* Quibus eleganter astipulatur D. *Hieronymus Præfat. in Chronicon Eusebii: Denique* (scribit) *quid Psalterio canorius? quod in morem nostri Flacci, & Græci Pindari, nunc Iambo currit; nunc Alcaico personat, nunc Sapphico tumet, nunc Semipede ingreditur. Quid Deuteronomii & Esaiæ cantico pulcrius? Quid Salomone grauius? Quid perfectius Iob?* Rectè igitur superioribus accinit præfatus *Polydorus Virgilius*: *Non immeritò igitur* (inquit) *huius artis initium Hebræis acceptum referre debemus, veluti reliquarum propemodum disciplinarum.* Quo modo sanctam simularque eiusce facultatis originem esse eodem tenore euincitur, quòd à sanctis *Prophetis* eadem cum inuenta, tum in vsus quoque sanctissimos, nimirum in DEI Opt. Max. laudes atque Hymnos cesserit.

Quod ad gentiles attinet, eiusdem *Poëtices* origo tàm vetusta est, vt Deastris, Apollini, itemque nouem Musis, asscribatur. Sic enim apud *Nasonem Metamorph. libr.* I. ipse *Apollo* de se:

Iuppiter est genitor: per me, quod eritq́ fuitq́,
Estq́, patet, per me concordant carmina neruis.

Accepisse is fertur citharam à *Mercurio*, & postmodum *Musis* præfuisse. Quo pacto ipsa origine gentilibus quoque sancta ac veneranda extitit poësis, vt qui eam minimè hominis, sed Deorum alicuius inuentum esse persuasissimum haberent. Hinc velut per traducem poëticos spiritus hauserunt *Linus*, poëta vetustissimus (*Apollinis* & *Vraniæ* filius) *Orpheus* similiter (*Apollinis* & *Calliopes* filius) & *Thamyras*, qui duo, vnà cum *Hercule*, *Lino* præceptore vsi sunt. Quid de *Arione*, *Amphione*, & *Musæo*, dicemus, poëtis simul antiquissimis? Eorum autem omnium diuinæ atque incomparabiles laudes tantum non obiter vulgariterque nobis commendatæ, verùm eum in modum æterno elogio perenni Cedro inscriptæ sunt, vt meritò; quid superaddi aut queat, aut debeat, merito dubitarique possit. Etenim de omnibus istis non modo id ipsum memorabile refertur,

Sic in *Febribus Quotidianis*, & *Tertianis nothis*, quæ potissimum à pituitosis humoribus ac cruditatibus ventriculi originem ducunt, cum fructu aliquando præscribimus vnius diei inediam, vt ea mediante, prout diximus, ceu vacuatione, calor natiuus fortior reddatur, ad reliquas cruditates facilius debellandas. Mulieres verò non-nullæ superstitioni hîc litant, quæ febricitantibus istis aliquando in *die Veneris* abstinentiã inediamque imperant, qui si fortè fortunâ liberantur, certis diebus acceptum ferunt, quod inediæ simpliciter tribuendum, etiam quouis facilè extrà paroxysmum die institutæ. Inedia hîc verò, si conferre debet, latius extendenda non est, siquidem, secus adhibita, grauissimis incommodis minime vacat. Apposite itaque hunc ad locum Phocylides:

> Μέτρῳ μὲ φαγεῖν καὶ πιεῖν, καὶ μυθολογεύειν:
> Πάντων μέτρον ἄριστον. ὑπερβασίη δ' ἀλιτεῖν.
> *Moderatè cibum potumq́; sumas, & loquaris:*
> *Modus omnium optimus. Excessus autem vitandus.*

Schola Salernitana, *libr. de conseruanda valetudine, cap.* VI. monet, antequam aliquis comedat, prius vt famem ceu quandam, siue appetitum, cibis prioribus rite digestis, sibi conciliet:

> *Tu nunquam comedas, stomachum ni noueris esse*
> *Purgatum, vacuumq́; cibo, quem sumpseris antè.*
> *Ex desiderio id poteris cognoscere certo,*
> *Hæc sint signa tibi, subtilis in ore diæta.*

Quâ occasione non immeritò inter apophthegmata Socratica celebratur: *optimum condimentum fames. Athenæus enim libr.* IV. autor est, *Socratem* aliquando ad multam vesperam antè ædes suas ambulare solitum, interrogatum fuisse, ecquid illîc ageret? *Obsonium*, respondit, *ad cœnam comparo.* Nihil autem suauius edi, quam quod ab esuriente editur, verissimum est. *Famem itaq́; cibus, sitim potus exspectet, auiditas vtriusq́; superfit, fastidium & securitas procul absit:* prout eleganter *Henr. Rantzouius de conseru. valetud. c.* VII. Interea, eodem docente, non vsque adeo ieiunandum, vt stomachus præ auiditate quæcunque abripiat, prout in fuga *Dario Persarum Regi* contigisse accepimus, vt, cum turbidam & cadauerum sordibus inquinatam bibisset aquam, negarit se vnquam bibisse dulcius ac gratius nectar.

Præter id vero *inedia*, vel *abstinentia* intempestiua, *incautè & stultè si adhibeatur, ventriculum pessimis humoribus Galeno etiam lib.* III. *de natural. facultatibus suffragante, biliosis ac serosis succis implet, fastidia creat, ventriculi robur dissoluit, & labefactat, appetentiam eripit, & deniq́; atrocibus morbis totum corpus obnoxium facit. Siquidem biliosis & siccis corporibus animi defectiones, syncopes, tabem, & marasmos conciliat. Sic vt non minus grauia abstinentiæ, quam intemperantiæ incommoda existant:* sicut disputat loco allegato *Fuchsius.* Eandem in sententiã *Dn. Sennertus* totidem penè verbis habet *libr. Instit.* III. *part.* II. *c.* II. *Sicut (ait) immodica cibi & potus copia varios morbos excitat: ita etiam inedia longior plurima incommoda secum affert. Absumit enim in corpore sano bonos, atq́; vtiles humores, corpusque exsiccat ac consumit: vt est apud Hippocratẽ lib.* I. *aph.* XLVI. *In corpore verò cacochymico & impuro mouet & agitat corruptos humores, ac pars illorum in defectu alimenti boni ad ventriculũ trahitur, qui inde non leuiter perturbatur,*

& per

& per consensum Cerebrum ac Cor affliguntur, adeò, vt aliquãdo lipothymia, aut epilepsia, suboriatur. In specie si bilis exsuperet, regurgitat illa in inedia ad ventriculum, atq; ità καρδιαλγία oritur, & fumi ad cor & cerebrum transmittuntur. Si pituita abundat, accedant cibi fastidia, nausea, ructus, vomitus, animi deliquia, & totius corporis grauitas. Si melancholia exsuperet, excitatur oris aciditas, vigiliæ, mœror, & similia: hæc ille *Instit. libr.* II. *part.* II. *cap.* II. Imò *fame tollitur ventriculi habitus, hypochondria suspenduntur, nidorulenta eructantur, biliosa ad caput attrahuntur:* vt habet *Heurnius Comment. in Aphor.* XIV. *libr.* II.

Oportebit itaque Medicum in eo cautum esse, vt diligenter quibus ac quando inediam præscribat, dispiciat, ne immodica inde fiat euacuatio. Alii enim aliis inediam ferunt facilius. *Hippocrates* adolescentes, maximè verò pueros, & præsertim, qui ex iis sunt vegetiores, inediæ impatientissimos esse pronunciat, contra homines constantis ætatis, maximè verò senes (quibus cruda est senectus) tolerantissimos, vt videre est *lib.* I. *Aphor.* XIII. *Senes* (inquit) *quibus est cruda viridisq; senectus, inediæ patientissimi sunt; mox homines constantis ætatis; nequaquam adolescentes: maximeq; omnium pueri: atq; omninò, qui id ætatis fuerint alacriores.* Et in sequenti ibidem aphorismo pueros plurimo alimento opus habere contendit, quòd crescant, & plurimum habeant calidi innati: ideoque eo minus illi inediam sustinere possunt. *Qui crescunt* (inquit) *plurimum habent calidi innati, proptereaq; plurimo egent alimento, alioqui horum corpus tabescit. Senibus verò parum caloris superest: quo fit, vt paucis fomitibus contenti sint, nam copiâ extingueretur facilè,* &c. Contrà verò *senes,* qui in extrema & decrepita senecta sunt constituti, inediam tolerare minus queunt, qui ob id crebro & modicè sunt reficiendi. Et hæc de ætatibus.

Quoad ipsas temperaturas, *Galen. lib. v. de temperament.* ità annotauit: *Qui angustas venas habent, exigui sunt sanguinis, nec longam inediam ferunt. Quibus lata, iis copia sanguinis est, & citrà noxam cibo abstinent.* Biliosi itaque, picrocholi, & raræ texturæ homines, adeoque ii, qui calorem ad igneam naturam procliuem habent, inediam minimè sustinent. In iis enim ab inedia febres accenduntur, humores biliosiores, amarulentioresque redduntur, frequentes caussantur stomachi morsus, cardialgiæ, deliquia animi, vigiliæ, inquietudines, aluinæque obstructiones, imò omnia etiam excremẽta corporis acria, exusta, atque maligna magis efficiuntur. Vice-versâ *Inediam* leuius ferunt, qui denso sunt corporis habitu, venis amplis, viribus inprimis robustis, quique etiam obesi; aut crudis humoribus circumfluunt, quòd ex iis humoribus, dum in alimenti defectu concoquuntur, corpus ali possit: prout superius in *historia matronæ Ephesinæ* prolixiùs enarrauimus. Vt igitur abstinentia præscribatur, circumspectione opus habet. Ea enim tempestiuè, & iis, quibus vtilis est, imperata, prout conducit plurimùm: ita vicissim intempestiuè, atque iis, quibus non confert, adhibita, maximè obest. Hâc occasione *Dictator* noster, neque etiam in *Acutis* licet affectibus abstinentiam, aut tenuissimam diætam facilè præscribit, cùm vt plurimùm in tenui victu magis peccetur, quàm in paulò pleniori; prout in *Aphorismis* passim hinc-inde prolixius inculcat: ità enim *lib.* I. *aph.* IV. *Diætæ tenues & accuratæ cum in morbis diuturnis in totum periculosæ, tam etiam in Acutis morbis maximè si loco & iure non præscribantur. Iterum extremè tenues diæta periculo plena.* Et *aphor.* V. ibidem: *Quinetiam in diæta tenui in vitio sui sunt ægri, propterea damnis augentur. Omninò enim magis tenui diætâ (loco non adhibitâ) quàm paulò pleniori peccatur: Quæ caussa etiam est, cur tenuis admodum stata & accurata diæta sanis etiam sit periculosa, quòd eius delicta grauius illi ferant. Ergò tenuis, accurataq; diæta paulò pleniori, vt plurimum est periculosa magis.* Nihilo-mi-

nus tamen si morbus sit *peracutus*, symptomata adsint grauissima, & status morbique vigor præsens sit, ibi tum sine mora tenuis, imo tenuissima diæta, atque ipsamet abstinentia præcipienda est; sicur è sequentibus liquet, *libr.* I. *aphor.* VII. *Ergò* (inquit) *si morbus sit peracutus, in promptu laborum sunt summa omnia, ac tum quàm tenuissimâ diætâ est vtendum.* Similiter *aphor.* VIII. ibidem: *At verò cùm efflorescit morbi status, cumq́ ille viget maximè, cum pertenuissimâ diætâ vti fuerit perutile.* Idem confirmat *lib.* I. *aphor.* X. *Quibuscunque igitur morbi summus vigor in procinctu est, extemplò tenuem diatam victitent. Quibus verò serius futurus est morbi vigor, & eo ipso tempore, & paulò antè est deducendum. Antea verò liberalius indulgendum, vt æger par esse possit.*

In morbis verò non periculosis, & qui per circuitus recrudescunt, inedia, vel abstinentia, itemque tenuis diæta, commodè ac suo loco, maximè verò in paroxysmo, & ante crises, præscripta, magno sæpenumero emolumento est. Cùm enim hi morbi, inprimis etiam *Acuti*, euacuatione opus habeant, nihil vtilius illis inediâ atque abstinentia, vnde inanitio exspectanda, imperari potest. Sic enim *Dictator lib.* I. *Aphor.* XI. *In paroxysmis à cibo abstinendum est, nam eius accessio damnosa est. Quin etiam, quæ periodis quibusdam ingrauescunt, in horum paroxysmis abstinere oportet.* Itemque *aph.* XIX. ibidem: *In morbis* (ait) *qui per circuitus recrudescunt, nihil est exhibendum, neque vlla ratione adduci quis debet, vt aliquid exhibendum putet: sed contrà demenda cibi accessio antè crises.* Et huc-usque isthæc de *abstinentia* paucis, quid commodi aut incommodi illa non tàm in sanis, quàm ęgris, conferre possit, dicta sunto.

Quod autem PETRONIVS in textu *frugalitatem* indigetat, id nos temperantiam, vel parsimoniam cibi, appellamus. Quæ cum humani corporis εὐεξίαν ac τόνον magis conseruet, vitamque ipsam diutius tueatur, quàm crapula, intemperantia, atque ἀσωτία, meritò quæri possit, quomodo isthæc inuicem sint concilianda? PETRONIVS enim, tanquam *Medicus & Poëta* elegantissimus, ait ex *frugalitate abstinentem* strangulatum esse. Contrà *M. Tullius libr.* IV. *quæst. Tuscul. de frugalitate* ità differit: *Frugalitatis nomen tanquam ad caput referre volumus, quod nisi eo nomine virtutes continerentur, nunquam illud tàm peruulgatum esset, vt iam prouerbii locum obtineret: Homines frugi omnia rectè facere.* Ciceroni astipulatur *Valer. Maxim. lib.* II. *cap.* V. *Bonaq;* (inquit) *valetudinis eorum quasi quadam mater erat frugalitas, inimica luxuriosis epulis, & aliena nimiæ abundantiæ, & ab immoderato Veneris vsu auersa.* Hinc illud è *Cicerone adagio* nomen dedit: *Homines frugi omnia rectè facere:* quòd sensus sit: Hominem ingenuum ac probum perpetuo eundem esse, atque inculpatum: improbum verò & stultum contra quouis momento mutari, adeoque non eundem eum esse manè ac vesperi; vnde illud quoque paræmiali sermone vsurpatur: *Sapiens permanet vt Sol: stultus mutatur vt Luna:* de quo videri potest *Desid. Erasmus Chil.* II. *Centur.* II. LXII.

Ad ea subinferimus, ἀσωτίαν morborum nutriculam esse, contrà verò frugalitatem bonæ valetudinis matrem à *Valer. Maximo* non immerito vocari.

Temperantia enim & mediocritas omnium rerum optima, vel secundùm *Phocylidem*, cuius aureum illud apophthegma: πάντων μέτρον ἄριστον. Frugalitatis nomen igitur si proprio isthoc accipiatur significato, sanè tantum abest, vt mortem illa per se inferat, vt potius ab omni morborum insultu egregiè præseruet. Si verò latius paulum extendi velit frugalitatis significatio, accipiaturque pro eo, qui auarus est, & cibis, præ te-

præ tenacitate idoneis ac conuenientibus abstinet, itemque qui inopiâ laboret & præ egestate, aut alia quadam angustia idoneis alimentis immoderatè vesci nequeat: tunc certe ista notha, & spuria frugalitas plus damni, quàm commodi confert, adeoque crimine & vitio non vacat. Verùm, vt rectius sensum SATYRICI nostri indagemus, videtur ibi ARBITER ita velle: Non quidem frugalitatem per se aut proprie acceptam, abstinentem iugulare: sed æquè frugalem atque ebriosum pergræcatoremque interire, etiam sæpenumero ex inopinato, & nihil tale meditantem: ita vt easdem sub mortis leges ire cogantur Rex & agricola, Crœsus & Irus, ἄσωτος & frugalis, vt hîc neque Regem pecunia aut virtus, neque frugalem temperantia à fatali illo die eximere sustineat. Sic enim è textu expressè liquet: *Ite nunc* (inquit) *mortales, & magnis cogitationibus pectora implete. Ite cauti, & opes fraudibus captas per mille annos disponite. Nempe hic proximâ luce patrimonii sui rationes inspexit; nempè diem etiam, quo venturus esset in patriam, animo suo finxit. Dii Deæq́;, quàm longè à destinatione sua iacet! Sed non sola mortalibus maria hanc fidem præstant. Illum bellatorem arma decipiunt: illum diis vota reddentem penatum suorum ruina sepelit: ille vehiculo lapsus properantem spiritum excussit. Cibus auidum strangulauit, abstinentem frugalitas. Si benè calculum ponas, vbique naufragium est.* E quibus verbis, quid ARBITER omnino sentiat, disertissime declaratur. Eius verò rei exempla ex historiis non pauca afferri possunt. Hoc enim modo *Cleanthes Philosophus*, *Zenonis* discipulus, cum cibum sibi subtraheret, vt exin à morbo, quo laborabat, conualesceret, nimiâ frugalitate atque abstinentia peremptus fuit, referente *Diogene Laërtio*. Sic *Pomponius Atticus*, *Ciceronis* amicus, cùm in senectute morbo quodam affligeretur, cibi abstinentiâ seipsum iugulauit; testante *Cornel. Nepote*. Sic *Darii*, *Persarum* Regis, matrem, *Sisigamben* nomine, cùm cibo aliquantisper abstinuisset, inediâ exspirasse, annotauit *Qu. Curtius libr.* IV. *&* IX. *de gest. Alexandri*. Vt de aliis, qui fame ex necessitate, atque annonæ difficultate coacti perierunt, nihil aut parum isthîc afferamus, prout olim contigit in *obsidione Hierosolymitana*, à *Tito Vespasiano* suscepta, vbi tot *Iudæorum* millia fame misterrimè perierunt. Idem accidit *Melo*, oppido *Thessaliæ*, quod *Niceas*, *Atheniensium* dux, obsedit, expugnauitque non tàm machinis bellicis, quàm fame, teste *Suidâ*. Hinc *fames Melia* prouerbio nomen dedit: cuius, præter *Thucydiden libr*. v. meminit *Aristophanes in Auibus*:

> Τοὺς δ' αὖ θεοὺς ἀπολλῦντι λιμῷ Μηλίῳ:
>
> *Iterum Deos fame enecatis Melia.*

Idem contigit in oppidi Romani, *Casilini* scilicet, ab *Hannibale* obsidione, vbi vnicus musculus ducentis nummis veniit, isque, qui vendiderat, fame interiit, contrà, qui emerat, seruatus fuit, autore *Plinio libr.* VIII. *cap.* LVII. Idem quoque euenit in expugnatione *Sagunthi*, ciuitatis *Hispaniæ*, à diuturna *Pœnorum* obsidione, vbi inquilini eò famis redacti sunt, vt ciues extructo in foro igne, omnia sua in eum conicerent, seque ipsos propriosque liberos eodem rogo consumerent, ne vllo pacto in manus hostium inciderent. Hinc *Saguntbina fames* apud *Ausonium* celebris est:

> ——*iam iam peresam, iam*
>
> *Saguntbina fame Lucania cùm liberet.*

Similiter *Perusina fames* apud *Lucanum* quoque attingitur, à *Perusio*, *Italiæ* oppido, fame expugnato: in quo *Antonius* ab *Augusto* obsessus, cum extremâ fame conflictaretur, deditionem facere coactus est. Sic autem Lucanus:

His

His Cæsar Perusina fames, Mutinæq; labores
Accedat fatis ——

Sicut autem illis, qui de consilio inediam sibi impetrârunt, voluntas atque electio, sic his, qui extremâ præ penuriâ aliter non potuerunt, necessitas fatalem diem imposuit.

Vtinam verò hodiernâ tempestate Germania nostra decennali isto bello, nec-dum proh dolor! finito, miserè multis in regionibus pressa vetustum illum Græcorum morem tantùm non nudâ imitatione, sed reipsâ potiùs atque efficaciter exprimere posset, vt *Virgis ex ædibus* vndique (quod Græcis olim in more erat) *fames*, imò farcis etiam expelleretur. Clamabant itaque *Græci* in *famis* expiatione: Ἔξω βούλιμον, ἔσω πλοῦτον καὶ ὑγίειαν. *Foràs famem, intrò diuitias ac sanitatem.* *Athenienses* quondam grauissimis dubio procul bellis afflicti, præsertim extremâ fame laborantes, *Pythiâ* consulto ac monente, *famem* certis ceremoniis loco ac piaculo placârunt: itâ vt peculiaris Campus, qui λιμοῦ πεδίον dicitur, post ærarium illi dicatus fuerit. Hodie quoque, heu Christianam barbariem! tantùm non campus aliquis, imò totæ ac complures regiones à militibus extremè exhaustæ, fami velut dedicatæ miserandum in modum comperiuntur, vt nunc non magis nouum sit hoc seculo, quod adagione fertur, *Mazam ac Nasturtium edere esurienti dulce esse*, imò *Famem multa*, aliquando absurda, *docere*: etenim πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος: *Fames complurium artium magistra est.*

Caput VIII.

A*Pologia pro poëtica.* Poëtices origo antiquissima: ab *Hebræis* primùm inuenta; ab *Ethnicis* exculta; ab vtrisque sancta semper habita. *Orphei, Amphionis, Arionis,* &c. *Poëtarum* vetustissimorum laudes omninò stupendæ. *Poëtæ* nascuntur, non fiunt: insanientes idcircò non sunt: vbi *Polydor. Virgilius*, atque alii notantur. *Carmen* à cantu oriundum. *Sibylla* & *Oracula* olim carminibus locuta. *D. Apostolus Paulus* exemplis gentilium *Poëtarum* vsus. *Poëtices* subiectum nobilissimum. Eiusdem genera quinque. *Poëtica* Philosophia antiquissima. *Poëta* solus sapiens, secundùm *Strabonē.* Idem morum corrector ac vitæ communis. *Poëtæ* plerumque *Regum*, atque *Imperatorum* præceptores fuerunt: à quibus ad summas dignitates euecti. Adulari nesciunt. Summi honores ab omni æuo *Poëtis* decreti, ad hodiernum vsque diem. *Poëtica* ex speculatione ac praxei conflata. Etiam *Prophetæ, Imperatores, Reges, Pontifices, Cardinales, Principes, Episcopi,* &c. *Poëtæ* nomen non detrectârunt. *Poëtæ* carminibus totam *Encyclopædiam* expediuerunt. Obiectiones quædam circa hoc propositum diluuntur. Notantur *Pseudo-Poëtæ.* *Poëtæ* quatenus vtantur Diis, Deabus, & Semideis? Amoribus plerumque sunt dediti: Vnde leues dici possunt cum PETRONIO. Locus PETRONIANVS in *adulatores poëtastros* quadrat. Idem iocosè interpretandus venit: sicut *Ausonius poësin* per iocum *scabiem* indigetat. *Plato Poëtas*, præsertim *Comicos*, tanquam lasciuos, proscripsit. Ea tamen *lex Platonica*, *Poëtas* eloquio suo omnia facilè posse, arguit.

NE quis forsan existimet, PETRONIVM, Poëtam alioquin facundissimum, *pag.* 43. his in verbis: *Putabam ego* (inquit) *senem iocari leuitate poëtica:* Poëtas, tanquam leues, ridiculos, atque impostores publico contemptui aut ludibrio exponere, prolixiùs aliquantum in *Poëtarum* laudes ac honores consulto euagabimur, quò omnibus pateat, diuinam eam facultatem, ortu inprimis diuinam, diuinitate atque incremento admirandam, subiecto verò ac fine regiam nobilissimamque esse, nullamque facilè dari artem, quæ poëticæ huic nostræ

aut

aut qua præstantiam, aut qua dignitatem atque existimationem, conferri facile, nedũ præferri debeat. Quibus ordine consideratis, ad finem huiusce Apologiæ, PETRONIUM cum PETRONIO, tanquam *Platonem* cum *Platone*, ea, qua pareſt, fidelitate ac perſpicuitate, conciliare conabimur. Sed ad propoſitum.

Si igitur vel originis antiquitate, vel ſubiecti nobilitate, vel denique finis pulcritudine, quibus potiſſimùm tribus artes & ſcientiæ inter ſe ſe mutuo cùm diſtingui, tum æſtimari ſolent, ſtandum ſit, procul dubio *poëſin* & ortu antiquiſſimam, & rerum tractandarum materia, vel ſubiecto laudatiſſimam, atque vtilitate denique præſtantiſſimam reſertiſſimamque eſſe facilè comperiemus.

Et primum ortu illam antiquiſſimam eſſe ex *Euſebii libro* II. *de præparat. Euangel.* probat, inter alios, *Polydorus Virgilius*, ex quo eam etiam apud antiquiſſimos *Hebræorum*, qui multis ſeculis priores *Græcis* poëtis extitere, floruiſſe conſpicuum fit. Magnus enim ille *Hebræorum* Imperator, MOYSES, cùm ex *Ægypto* vnà cum *Iſraëlitarum* turba digreſſus *Mare rubrum*, diuinitus velut exſiccatum, tranſgreſſus eſſet, *Pharaone* tyranno contra vnà cum omnibus copiis aquis refluentibus ſuffocato atque extincto, diuino Numine afflatus, *Hexametro* carminis genere DEO OPT. MAX. ſoſpitatori gratias perſoluit, prout autor eſt *Ioſephus libr.* I. *de Antiquitat. Iudæorum.* Similiter Regius ille Propheta *Dauid*, DEI Vates, *Hymnos* vario metri genere compoſuit; quod idem conteſtatur *Ioſephus libr.* VII. *Antiquit. Iudaicar.* his verbis: *Expeditus* (inquit) *itaque Dauid à præliis & periculis, cum pace iam altiſſimâ frueretur, cantica in DEVM Hymnosq; vario metro compoſuit, alios quidem trimetros, alios quidem quinquemetros.* Quibus eleganter aſtipulatur *D. Hieronymus Præfat. in Chronicon Euſebii: Denique* (ſcribit) *quid Pſalterio canorius? quod in morem noſtri Flacci, & Græci Pindari, nunc Iambo currit, nunc Alcaico perſonat, nunc Sapphico tumet, nunc Semipede ingreditur. Quid Deuteronomii & Eſaiæ cantico pulcrius? Quid Salomone grauius? Quid perfectius Iob?* Rectè igitur ſuperioribus accinit præfatus *Polydorus Virgilius*: *Non immeritò igitur* (inquit) *huius artis initium Hebræis acceptum referre debemus, veluti reliquarum propemodum diſciplinarum.* Quo modo ſanctam ſimulatque eiuſce facultatis originem eſſe eodem tenore euincitur, quòd à ſanctis *Prophetis* eadem cum inuenta, tum in vſus quoque ſanctiſſimos, nimirum in DEI Opt. Max. laudes atque Hymnos ceſſerit.

Quod ad gentiles attinet, eiuſdem *Poëtices* origo tàm vetuſta eſt, vt Deaſtris, Apollini, itemque nouem Muſis, aſcribatur. Sic enim apud *Naſonem Metamorph. libr.* I. ipſe *Apollo* de ſe:

> *Iuppiter eſt genitor: per me, quod eritq; fuitq;,*
> *Eſtq;, patet, per me concordant carmina neruis.*

Accepiſſe is fertur citharam à *Mercurio*, & poſtmodum *Muſis* præfuiſſe. Quo pacto ipſa origine gentilibus quoque ſancta ac veneranda extitit poëſis, vt qui eam minimè hominis, ſed Deorum alicuius inuentum eſſe perſuaſiſſimum haberent. Hinc velut per traducem poëticos ſpiritus hauſerunt *Linus*, poëta vetuſtiſſimus (*Apollinis* & *Vraniæ* filius) *Orpheus* ſimiliter (*Apollinis* & *Calliopes* filius) & *Thamyras*, qui duo, vnà cum *Hercule*, *Lino* præceptore vſi ſunt. Quid de *Arione*, *Amphione*, & *Muſæo*, dicemus, poëtis ſimul antiquiſſimis? Eorum autem omnium diuinæ atque incomparabiles laudes tantum non obiter vulgariterque nobis commendatæ, verùm eum in modum æterno elogio perenni Cedro inſcriptæ ſunt, vt meritò, quid ſuperaddi aut queat, aut debeat, quæri dubitarique poſſit. Etenim de omnibus iſtis non modo id ipſum memorabile refertur,

quod singuli sua in arte, poësi scilicet, excellentes, & præclari extitissent; prout alioquin insignem aliquem artificem, vel præstantis ingenii virum meritis laudibus ornare possumus) verùm enim verum, quod rei huius caput est, tàm illustribus illi, imò tam incomparabilibus encomiis sunt ad amussim insigniti, qualia cùm omnem fermè fidem excedunt, tum humanum procul fugiant intellectum.

Inter cæteros diuinus *Orpheus*, melioris velut Naturæ miraculum, tantùm non arte canendi punctum omne (sicut *Horatius* requirit) tulit, aut vulgò alioquin dulcedine carminis admirandus extitit, quod ad laudes ipsius potuisset sufficere, imò verò tantâ ac tàm incredibili suauitate omne humanum fastigium supergressus esse scribitur, adeo vt eximia diuinæ modulationis iucunditate immanissimas, societatique humanæ infestissimas feras, *Tygres, pardos, leones, vrsos, apros*, & id genus alias, tantùm non cicurauerit, verùm etiam permulserit sibi vsque eo inuicem abblandientes. Præter ea, (quod omnem excedit credulitatem) *Fluuios* currentes à cursu suo auocâsse, atque immobiles fecisse, *Arbores* item, quibus natura gressum omnem pernegauit, supernaturali ceu quodam fascino, atque occulto Musices incantamento ad se se è sedibus propriis euocasse pertraxisseque disertè perhibetur. Quarum prædictarum *Arborum* numerus penes ingeniosissimum *Ouidium* nostrum, Romanum ceu Orphea alterum, *lib. x. Metamorph.* ità apprimè recensetur:

Vmbra loco deerat, quà postquàm parte resedit,
Diis genitus Vates, & fila sonantia mouit,
Vmbra loco venit: Non Chaonis absuit arbor,
Non nemus Heliadum, non frondibus Æsculus altis,
Nec Tilia molles, nec Fagus, & innuba Laurus,
Et Coryli fragiles, & Fraxinus vtilis hastu,
Enodisq; Abies, curuataq; glandibus Ilex,
Et Platanus genialis, Acerq; coloribus impar,
Amnicolaq; simul Salices, & aquatica Lotos,
Perpetuoq; virens Buxus, tenuesq; Myricæ,
Et bicolor Myrtus, & baccis cærula Ficus.
Vos quoq; flexibiles Hederæ venistis, & vnà
Pampineæ vites, & amictæ Vitibus Vlmi,
Orniq;, & Picea, pomoq; onerata rubenti
Arbutus, & lentæ victoru præmia Palmæ,
Et succincta comas, hirsutaq; vertice Pinus
Grata Deûm matri ———

Adde, quòd præter *Feras, Flumina*, atque *Arbores*, quas omnes hîc recensere longum foret, insuper ipsum *Erebum, Manes, Eumenidasq;*, implacabilemq; *Stygem* idem *Orpheus* permouisse perhibetur: sicut idem *Naso* habet in his:

Talia dicentem, neruosq; ad verba mouentem
Exangues flebant Animæ, nec Tantalus vndam
Captauit refugam, stupuitq; Ixionis orbis,
Nec carpsêre iecur volucres, vrnisq; vacârunt
Belides, inq; tuo sedisti, Sisyphe, saxo.
Tum primum lacrymis victarum carmine fama est

Eumeni-

Eumenidum maduisse genas, nec regia coniux
Sustinet oranti, nec, qui regit ima, negare,
Eurydicenq́, vocant ———

Quæ autem hîc fusè attingit *Naso*, eadem paucis, velut in compendio refert *lib. III. de Arte:*

Saxa, ferasq́, lyrâ mouit Rhodopeïus Orpheus,
Tartareosq́, lacûs, tergeminumq́, Canem.

Hæc de *Orpheo*: de cuius incredibili artis vi atque suauitate complurium vetustorum autorum numerus hîc adduci posset, nisi foret superuacaneum.

Arion quoque *Methymnæus*, cùm *Corinthum* petiturus esset, à nautis pecuniæ eius (quam citharâ ac carminis dexteritate sibi comparatat) insidiantib⁹ in profundissimũ pelagus abiectus fuit. Qui cùm vix ac ne vix quidem saluus emergere posset, ex tàm præsentissimo vitæ periculo citharæ nihilo-minus atque artis suæ præstantia euasit. Ecce enim *Delphini*, dulcedine modulantis allecti, allabuntur, vatemque dorso excipientes triumphali velut pompâ per vastum ac procellosum pelagus, nautis istis pisces longè humaniores, deferunt, inque litus ac *Tænarum* securè exponunt: autoribus *Herodoto libr. I.* & *Ouidio libr. II. Fastor. & libr. III. de Arte.*

Amphion pariter, *Iouis*, atque *Antiopes* filius, artis lyricæ adeo peritus fuisse proditur, vt sequentibus eantum immanibus saxis scopulisque, eo stratagemate *Thebarum* muros condiderit: sicut testis est *Horatius de Arte Poët.*

Dictus & Amphion, Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere sono testudinis, & prece blandâ
Ducere quo vellet ———

Quæ de vetustis illis *Poëtis* atque Musicis fabulæ etsi in triuiis sint decantatissimæ, nihilo-secius tamen isthoc euidenter coarguunt, tantùm diuinæ facultati, *Poëticæ* inquam, à primis illis & vetustissimis temporibus ad hæc vsque ferrea secula laudum atque encomiorum attributum fuisse, vt soli propemodum digni sint iudicati *Poëtæ*, qui quidem hâc sacerrimâ arte proximè ad Deos ipsos accederent: vsque eò, vt vel hinc nihil aut parum obstare possit, quo minus hodiernis adhuc temporibus eadem nobis & origine veneranda, & incremento, dignitate, atque autoritate admiranda veniat.

Illud autem omnium gentium omnium scriptorum penè testatur incredibilis consensus, *poëticam* tantùm non cæteras disciplinas omnes in se cõplecti, imò verò isthanc habere prærogatiuam, vt nedum à præceptoribus aut magistris, velut aliæ facultates, queat addisci propagarique, nisi illi, qui tàm diuinæ scientiæ se dedere cupiunt, *Naturâ duce, Ingenio comite*, ad id operis munerisque primitus sacrati, destinatique fuerint. Quam ob caussam communibus suff. agiis à sapientib⁹ conclusionem isthanc factam raramque esse nouimus: *Nasci, non fieri Poëtas*: prout ingenuè edisserit *Ioan. Hagius* in vita *P. Lotichii Secundi* mei. Quod eleganter excipit nobilis Poëta *P. Melissus* in *Epicedio Lotichiano:*

——— *Boni*
Nascuntur, haud fiunt Poëtæ.

Quòd ipsum fallor? an paulò luculentiùs exponit *Polydor. Virgil. libr. I. de rer. inuentor. cap. VIII.* vbi inquit: *Poëtica ars multùm mehercule de caussis reliquas antecellit disciplinas, vel quia homines nullam penè artem assequi possunt, nisi in illam diu incubuerint; vel quòd scientias, vt*

Strabo in primo Geographiæ aduersus Eratosthenem pulcrè demonstrat, in se continet omnes, vel demum, quòd ex omnibus artibus, quæ ab humani ingenii excellentia proficiscuntur, sola poëtica diuino furore percipitur. Nam poëtæ furore afflati res omni admiratione & stupore dignas canunt, sine quo, teste Cicerone in primo de Diuinatione, Democritus negabat magnos esse Poëtas, quippe qui, vt idem quoque Democritus & Plato aiebant, non arte, sed naturâ constant, tuncq; veri vates sunt, cùm insaniunt. Hæc ordine *Polydorus*, & rectè, excepto eo, quòd in fine *Poëtas*, tum demum veros Vates esse pronunciat, cùm insaniunt: id quod imprudenti ipsi excidisse arbitramur, qui aliàs *Poëtarum* laudes apprimè persecutus est. Etsi enim nullum (vt aiunt) facilè sit præclarum ac diuinum ingenium, cui non quippiam dementiæ admistum: maximè verò *Poëtæ* ea in parte vulgo insulso, ac Musarum mastigibus desipere dicantur, cùm velut vltrà supraque vulgarium hominum captum sapiunt, præsertim etiam, cùm pangendi carminis dexteritas hominem meditabundum, solitariumque requirat: nihilo-minus tamen lædi nobis in eo videtur *Poëtarum* optimorum maiestas autoritasque, quæ ab omni seculorum memoria sanctè æstimata fuit, sicubi aliquis, verum & grauissimum Philosophum, *Poëtam*, inquam, (intellige mente atque ingenio valentem) insanientem iccirco vocitare contendat. Nisi quis *Empedoclem*, *Poëtam Siculum*, merito insanum appellet, qui, vt immortalitatis nomen acquireret, in *Ætnam* se præcipitauit, autore *Horatio de art. Poët.*

> ——— *Deus immortalis haberi*
> *Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam*
> *Insiluit* ———

Insanus enim propriè *Poëta* quisquis is est, per Herculem, sicut *Helleboro* omnino indiget, ità neutiquam egregii carminis artificem repræsentare sustinet. Quod ipsum fallor? an olim *Sophocli* falso criminis obiectum fuit, prout historiæ loquuntur. Ille siquidem cùm coràm magistratu insaniæ, aut mentis imbecillitatis accusaretur, quâ rei familiari administrandæ non satis idoneus esset, illico *Poëta* Senatui *Tragœdiam*, à se paulò ante compositam, exhibuit, vt vel eo argumento superiores colligerent, insaniret ne ipse necne? Quæ cùm igitur accuratè scripta esset, publicam oppido coràm Patribus absolutionem meruit, atque aduersarios refutauit. Similiter ferè accidit cum ipso *Democrito, Philosopho*, (qui aliàs, *Horatio* teste, eiusdem de *Poëtis* sententiæ fertur, (*lib. de art. Poëtica*:

> *Ingenium miserâ quia fortunatius arte*
> *Credit, & excludit sanos Helicone Poëtas*
> *Democritus* ———

qui cùm senex esset, de *re poëtica duo & viginti* volumina scripsisse perhibetur. Is cùm à vulgo, imò etiam *Abderitanis Patribus* insanus esse temerè iudicaretur, communibus *Senatus P. Q. Abderitani* suffragiis ea de caussa, accersitus fuit è *Co Hippocrates*, Medicorum grauissimus, vt eundem *Helleboro*, vel *Veratro* propinato ab insania liberaret. Qui cùm vero longè secus, ac vulgus iudicabat, *Democritum* cognouisset, tanquam hominem in rerum naturalium, inprimis vero in anatomia animalium (quorum cadauera diligentissimè dissecando inuestigabat) sapientis animi sensus profunde exercētem, ipsa *αὐτοψίᾳ*, vt loquuntur, summaq; mentis constantia *S. P. Q. Abderitani* errorem tantum non ipse *Hippocrates*, quin-imo non modo verbis *Democritus*, sed scriptis disertissimis, quæ insaniæ ne tantillum quidem habebant, apertissimè confecit conuicitque; sicut suprà, ex *Epistolis Hippocratis, lib. 1. cap. xix. in historia Democriti*, pluribus dissertauimus.

Insanus

Insanus igitur *Poëta* nobis minimè vocabitur, quisquis, sanâ alioquin ac constanti mente, diuino suo ingenio carmina, nobis dederit *Helleboro* aut Anticyris nequicquam digna. Sed hæc isthûc extrà ferè oleas.

Audiamus potius, quid de *Poëtarum* non tàm diuinitate, quàm autoritate, nobis reliquit *M. Tullius*, qui, pro *Archia Poëta*, conceptis verbis in laudes *Poëtarum* descendit: *Atqui sic* (inquit) *à summis hominibus, eruditißimisq́, accepimus, cæterarum rerum studia & doctrinâ & preceptis, & arte constare, Poëtam naturâ ipsâ valere, & mentis viribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu afflari; quare suo iure noster Ennius sanctos appellat* (non insanos) *Poëtas, quod quasi Deorum aliquo dono, & munere commendati nobis esse videantur.* Quô maximè facit, (si hîc quoque Poëtæ audiendi sunt) quæ diuini ingenii vates, *Ouidius* noster habet non vnò loco. Sic enim in *Fastis libr. vi.*

Facta canam, sed erunt, qui me finxisse loquentur,
Nullaq́, mortali numina visa putent.
Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacra semina mentis habet.
Fas mihi præcipuè vultus vidisse Deorum,
Vel quia sum vates, vel quia sacra cano.

Idem *libr. I. de Ponto, Eleg. I.*

Ipsa mouent animos superorum numina nostros,
Turpe nec est tali credulitate capi.

Et ibidem:

Vaticinor, moneoq́, locum date sacra ferenti:
Non mihi, sed magno poscitur ille Deo.

Idem affirmat *libr. III. de Ponto, Eleg. IV.*

Ista Dei vox est, Deus est in pectore nostro,
Hoc duce prædico, vaticinorq́, Deo.

Denique *libr. III. de arte Am.* admodum eleganter:

Est Deus in nobis, sunt & commercia cœli,
Sedibus æthereis spiritus ille venit.

Quid? quòd, *Poëtarum* Epicorum Augustus, *Virgilius*, Poëtam Naturâ magis quàm Arte valere canit in *Eclogis*:

Pastores hederà crescentem ornate Poëtam.

Eandem in sententiam pedibus it, *Melpomenes* deliciæ, *Horatius d. art. Poët.*

Natura fieret laudabile carmen, an arte
Quæsitum est ———

Itemque *Sermon. libr. II. Satyr. V.*

Diuinare etiam magnus mihi donat Apollo.

Præter hæc *Socrates* apud *Platonem* furorem, vt vocat, Poëticum diuinitus immitti affirmat. *Plato* verò *libr. II. de Republ. Poëtas* Deorum filios, atque in *Lyside* eosdem sapientiæ patres ducesque nuncupat. Et alibi *Homerum* omnis sapientiæ ac Philosophiæ parentem indigetat his verbis: Ὅμηρος πρῶτος διδάσκαλος, καὶ ἡγεμὼν ἁπάντων τῶν καλῶν τραγικῶν: id est: *Homerus dux & magister fuit omnium laudum & virtutum tragicarum.* Quid? quòd ipse PETRONIVS quoque noster autor est, mentem neque concipere, neque edere partum Poëticum posse, nisi ingenti flumine literarum sit inundata. Iccircò *Poëtas*

 potius:

potius diuinè, quàm humanè, loqui statuit: prout ad finem huius capitis videbimus prolixius.

Quapropter quidam non indignè à cantu originem carminum ipsiusque poëseos deducunt. Cum enim cantu vetustas, tanquam elaborato magis sermone, sono, vocisque flexu peculiari affectus animi declarare niteretur, accidit, vt rudis primò ille sonus paulatim ac paulatim in artificium cederet. Quod sicubi eousq; excoleretur, vt etiam Deorum Heroumq; laudes certis carminibus aut rythmis celebrarentur, *poësis* nasci cœpit, quæ quidem à cantu verè ortum duxisse videtur, cum *Poëta* & iam nunc, vt eruditiores sentiunt, non loqui, non dicere (quod *Oratorum est*) sed canere perhibeatur. Qua de re apud priscos *Germanos*, gentē bellicosissimam, obseruatum fuisse legimus, vt Regum Ducumque res gestæ non alia ratione posteritati commendarentur, quàm certis quibusdam cantibus, cantilenis, aut carminibus, quibus aut res gestas militares extollerent, aut animos pugnātium in acie exsuscitarent. Sic apud *Polyænum lib. 1. stratagem.* legimus *Solonem* quoq; *Athenienses* in bella carmine instigasse: *Solon* (ait) *nihil prætermittens, legem abrogat hoc pacto: simulat insaniam, & progressus in concionem Elegeia cecinit. Elegeia vero erant patria carmina. His Athenienses ad pugnam excitauit: qui Musis & Marte perciti, confestim portu soluebant, cantus & vociferationes iuxtà edentes, atq; Megarenses vi ac robore superabant: & Salamis iterum Athenienfium ditioni facta est. Solon vero in summa admiratione habebatur, tum quod legem antiquasset furore, tum quod Musicâ bellum vicisset.*

Sic *Cretes* pariter ad citharæ modulos dimicasse, itemq; *Lacedæmones*, antequàm pugnam inirent, *Musis* prius litasse feruntur. Sic animosus Heros, *Matthias Rex Hungariæ*, ad heroum veterum res gestas fidibus decantatas non corpore solum, sed animis quoque exultasse scribitur, *Achillem* imitatus, qui Ducum insignium præconia citharâ exprimebat.

Ad vetustatem quoq; *Poëseos* facit, *Sibyllas* olim, inprimis Cumanā, aut *Erythræam*, vaticinia sua de D.N. CHRISTO IESV certis carminibus atq; Acrostichis comprehendisse.

Quis *Pythium Apollinem* versibus oracula edidisse ambigit? E quibus, inter alia, *Polienus lib. VI. stratagem.* sequentes versiculos citat, qui *Agnoni duci* à *Pythia* pro responso dati fuerant:

Multi iam nouiter quid vultis condere terram,
Palladis ciues, sine Diis res ardua vobis
Est: nec id ante licet, quam Troia ex vrbe feratis
Inuentam Rhesi stipulam, terraq; paterna
Mandetis sancte, tum tum decus inde legetis.

Similia apud *Herodotum* passim occurrunt, præsertim lib. 1. *Pythia Delphos* ad se, consilii causâ profectum, *Lycurgum*, ita alloquitur:

Ad mea venisti præpinguia templa Lycurge,
Grate Ioui & cunctis qui tecta tuentur Olympi,
Ambigo vaticiner, sis vtrum virne Deusne:
Sed multò magis esse Deum te credo, Lycurge.

Apud eundem *Herodotum*, inter complura alia, *Cnidiis Isthmum* perfodere cupientibus *Pythia* sequentibus *Senariis* edixit:

Isthmum neq; aggerate, neq; fodite:
Iupiter namq; ipse, si placuisset fecisset Insulam ———

Præ-

Præterea ex inscriptionibus, monumentis victoriarum, obeliscis, cippisque clarissimè elucescit, carmina peruetustam originem sapere. Quid? quod vetustissimi scriptores sententiis atque autoritatibus *Poëtarum, tanquam papauere ac sesamo*, vtuntur, quibus reliquus contextus eò suauior commendatiorque reddatur. Imò vero aiunt, gentium doctorem *D. Apostolum, Paulum*, ad coërcendam *Atheniensium* idololatriam, *Arati Poëtæ* non integro versiculo insaniam redarguisse. Eundem beatissimum *Apostolum*, quo *Christianos Corinthi* viuentes (vbi tum omnia deliciis diuitiisque humanis redundabant) à malorū contagio consortioq; absterreret, illud *Menandri, Poëtæ Comici*, vsurpasse ferunt:

Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

Et hæc obiter de diuina ac peruetusta *Poëtices* origine.

Quod porro ad subiectum *Poëseos*, vel rerum tractandarum materiam spectat, sciendum est, etsi omnes aliæ fermè artes amplissimum obtineant meditandi tractandique curriculum, *poëseos* tamen campum longè spatiosissimum esse. Ecquid enim est, quæso, in toto terrarum orbe, quod sub *poëseos* tractationem cadere nequeat? Sit quis, qui (quod inprimis *Christianis* conuenit) *Dei patris*, creatoris cœli & terræ, gratiam ac misericordiam ergà genus humanum celebrare, quantum humanitus licet, contendat: ecquisnam conuentiori facilè id ipsum perageret stylo, quàm ligato? Sit, qui incarnationem *Dei filii, D.N. & Seruatoris*, itemq; passionem, resurrectionem, ascensionem ad cœlos, inprimis redemtionem generis humani, quantum mortali conceditur ingenio, grato atq; humili animo decantare ouet, ecquisnam cultius, quis operosius, neruosiusque id peraget, quàm sacro dulcissimi lemmatis artificio? Sit denique, qui dona *Dei Spiritus sancti*, atq; indè Ecclesiæ ædificationem, contrà hostes pietatis præsidium, deprædicare ac petere annitatur, ecquisnam numerosius, neruosiusque id exsequetur, quàm *Poëta*? Vndè est, quod regius *Dei Opt. Max.* Psaltes ac vates, *Dauid*, non alio, quàm diuini carminis sacrificio *bono Deo* suo litauit. Vndè est, vt apud *Hebræorum* antiquissimos, atque sanctos viros veteris Ecclesiæ *Poëtas*, tot colligantur *Hymni*. Hinc tot jubila, tot dulcissimæ Patrum in nouo fœdere, imo *Poëtarum* respectiuè recentiorum meditationes factæ, carminibus, tanquàm te duratura atque perenni expressæ. Hinc denique tot suspiria, totidemque preces ardentissimæ, quæ è delicatissimo sacrorum *Poëtarum* penu, tanquam holocausta, ad *Spiritus S.* aras offeruntur. Hinc insuper (si sacris licitum miscere *Prophana*) tot gentilium *Poetarum* in *Ioues* suos fictitios, *Mercurios* item, *Apollines*, & id genus innumeros penè deastros, hymni, tot Carmina secularia, tot pæanes. Vsque eo sacra *poesis* omnibus seculis & amænissima, & compendiosissima existimata semper fuit, vt, quicquid vel ad *Dei Opt. Max.* laudes, vel ad *Heroum Regumque* præconia, vel ad communem in vniuersum hominum vsum, voluptatemq; posset jure, merito atq; cum delectu dici, scribique, id solum carminibus numerisq;, tanquam ad omnia magna atq; sublimia natis, comprehenderetur. Hinc Regum Ducumq; priscorum genealogiæ, atque res præclarè gestæ; post diuorum laudes proximè, apud *Homerum*, vatum velut omnium communem parentem, atq; eiusdem æmulum incomparabilem, *Virgilium*, inquam, carmine descriptæ consignatæque mira quadam animi suauitate sæpius relegūntur, & in ore sunt omnium. Vsque adeo hac nobis occasione sacri ac genuini *Poëtæ* officium graphicè descripsisse videtur dulcissimus ille *P. Lotichius Secundus* meus, in *Ecloga de Nuptiis Saxonicis:*

Hoc opus, hoc studium generosis Vatibus esto:

Aut

Aut Superûm laudes canere, aut præconia Regum,
Et celebrem factis illustribus addere famam.

Quid de singulis vitæ huius institutis dicam, virtutibus præsertim, vitiis fugiendis, morum honestate, & similibus? Quid de funerum tristitia ac lamentatione super defunctis? Quid deniq; de singulis illis, quæ in vita humana aut optabilia, aut iucunda saltem accidere possunt? Annon hæc omnia, prout sunt, poëmatis sunt notissima, numeris decantatissima, versibus celeberrima? Cuius rei consideratione olim à priscis *Græcorum* autoribus *Poëseos* quinque genera constituta sunt, sub quibus omnia ferme cum diuina tum humana complecterentur.

Primum igitur erat ὑμνικόν, quo omnia velut compendio comprehenderunt, quæ ad laudes Deorum, religionis cultum, & magnorum dein Heroum victorias, immo res præclarè gestas pertinere videbãtur. Alterum fuit ἐγκωμιαστικόν, quo nobilium ac præstantium virtutes atque elogia celebrarentur. Tertium huic succedit, συμβουλευτικόν appellatum, quo ad virtutes, vitæ morumq; honestatem incitantes vtebantur. Quartum, θρηνητικόν dictum, comparatum erat ad funerum tristitiam, & lamentationes prosequendas. Quintum ἐρωτικόν, omnia illa continebat, quæ aut deliciis, aut hominum voluptatibus poterant inseruire.

His itaque omnibus ac singulis enumeratis cum poëticum studium præclarè semper fuerit occupatum, ecquis eiusdem subiectam materiam, cum illa tàm illustris, tàm nobilis, tamque amplissima sit, in dubium vocare ausit?

Arguat autem aliquis disciplinas atque artes reliquas, *Philosophiam* scilicet, *Iurisprudentiam, Historicamq;*, alia & quidem præstantiora, tractare, dum scilicet vel res ex caussis suis deducunt, aut inductionibus aliis probant: næ is in *Poëtarum* lectione hospes fuerit, qui nesciat, plerarumque artium, ne dicam omnium, elementa atque radices, tum incrementa ex *Poëtica* (quæ vetustissima Philosophia ab optimis hûc vsque scriptoribus habita fuit) promanasse.

Ex hac quippe artium scientiarumque pelago, *poësei*, inquam, reliquæ artes, tanquam ex equo illo Troiano emerserunt, capita sua extulerunt, imo, quicquid habent vel iucunditatis, vel artificii, exindè ceu largo facundiæ torrente coacervatim & copiosè hauserunt. Hûc pertinent, quæ *Strabo* inculcat, *Poëtas* solos veluti sapientes esse, quorum præceptis iuuentutem ad rectè beneque viuendum informari debere, vetustas censuerit esse operæ pretium. Eius autem verba sunt: *Poëticem* (inquit) *antiqui vocant primariam quandam Philosophiam, quæ nos à pueris ad vitam instituat, & cum voluptate doceat, cuius modi mores & affectus, & actiones nostras esse conueniat. Quin nostri homines Poëtam vel solum sapientem esse perhibuerunt; ob eamque rem ciuitates Græciæ pueros primum omnium poëticis erudiunt: non vtiq; meræ oblectationis gratiâ, sed vt prudentiæ modestiæq; præceptis imbuantur.* Eadem proponit *Horatius Epistol. 1. lib. II.*

Os tenerum pueri balbumq; Poëta figurat;
Torquet ab obscœnis iam nunc sermonibus aurem:
Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Asperitatis, & inuidiæ corrector & iræ.
Rectè facta refert: orientia tempora notis
Instruit exemplis: inopem solatur & ægrum.
Castis cum pueris ignara puella mariti

Disce-

Disceret vnde preces, vatem nisi Musa dedisset?
Poscit opem chorus, & præsentia numina sentit:
Cœlestes implorat aquas docta prece blandus.
Auertit morbos, metuenda pericula pellit:
Impetrat & pacem & locupletem frugibus annum:
Carmine Dii superi placantur, carmine manes.

Haud diuersa docet *Hieron. Vidas lib. Poetices, 1.*

Postquam igitur primas fandi puer hauserit artes,
Iam tunc incipiat riguos accedere fonteis,
Et Phœbum, & dulces Musas assuescat amare.

Et paulò post:

Lumq; sacrum teneris vatem veneretur ab annis,
Quem Musæ Minci herbosis aluêre sub antris,
Atq; olim similem poscat sibi numina versum,
Admirans artem, admirans præclara reperta.

Quibus fallor? an paulò maiora canit *Horatius de arte Poetica*, superaddens *Poeticam* non solum pueris tradendam, sed bellicis quoq; expeditionibus, imò aulis, adeoque ipsis Regibus dignam, tractandamque esse.

——— *Fuit hæc sapientia quondam*
Publica priuatis secernere, sacra prophanis:
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis:
Oppida moliri: leges incidere ligno:
Sic honor & nomen diuinis vatibus, atq;
Carminibus venit: post hos insignis Homerus,
Tyrtæusq; mares animos in Martia bella
Versibus exacuit: dicta per carmina sortes:
Et vitæ monstrata via est: & gratia Regum
Pieriis tentata modis: ludusq; repertus,
Et longorum operum finis: ne fortè pudori
Sit tibi Musa lyræ solers, & cantor Apollo.

Quapropter *Erasm.* ille *Roterodamus* literarum eius sui temporis facilè princeps, omnia, quæcunque de poëtica eleganter dici possunt, velut in compendio complexus esse videtur. Is autem affirmat, *Poëticam nihil aliud esse, quam ex omnium disciplinarum delicius, ac medullis conditam placentam: imò ex selectissimis quibusque floribus compositum mellificium.* Cui autem sententiæ totidem verbis subscribit istius quoque seculi consummatissimus Philosophus, *Melanchton*, Phœnix cognominatus, ingenue professus, nulla se quidem post sacras literas nouisse scripta, qualia plus animos hominum penetrent, quàm scripta *Poëtarum*, inprimis *Tragicorum*.

Quis itaque *dignè se Poëtarum laudes exsequi posse confidat?* prout appositè loquitur *Fr. Florid. Sabinus in Apologia pro Poëtis Latinis. Quorum* (addit) *cum multa sint genera, nonne qui Heroici vocati sunt, Regum Ducumque gesta celebrantes consque illos extulere, vt iam non tanquam homines, sed Dii quodammodo à nobis agnoscantur. Qui vero Tragœdiam, Comœdianique, & deindè Satyram scripsere, quid sibi aliud voluerunt, quàm vt nobis plurimum prodessent, si propositis vtriusque vitæ exemplis quid expetendum, quid fugiendum esset, nos docerent, ac*

 prauis

prauis facinoribus nos deterrerent? Qui autem Lyricos, qui Elegos, aliaq; id genus pleraq; maluêre, vel eodem spectant, vel vt eruditorum aures multa cum delectatione tenere possint, maximè student. Proindè non immerito à plerisq; olim dictitatum scimus, hoc hominum genus nescio quid cum Diis immortalibus commune habere: nempè, quod in eorum scriptis spiritus quidam humanis vehementiores: in verbis magnitudinem, sublimitatem, ac delectum: in mouendis verò affectibus, & reddendo cuiq; decoro diligentiam singularem, artem verò incredibilem perciperent. Hæc pulcrè atq; disertè *Flor. Sabinus.*

Quandoquidem itaque *Poëtæ*, tanquam Deorum filii, ad magna quæque & sublimia nati, tum secundum *Strabonem*, vitæ communis magistri ac correctores sint, non temerè apud summos omnium seculorum *Monarchas* ac *Magnates*, *Poëtas* summa in autoritate atq; existimatione floruisse, tum *Regibus* ac *Principibus* quoq; ab ineunte adolescentia præceptores atque ephoros datos fuisse, iam iam faxo vt meridiano Sole clarius, patescat. Per Apollinem! vel hinc saltem iure palinodiam *Circes* isti porcelli, *Epicurei*, & *Poëtarum* mastiges cauere debebant, qui impudentissima calumniandi libidine garrire nonnunquam in triuiis minimè verentur, *Poëtas* (de bonis atque veris vatibus, non de triuialibus & semitarijs poëtastris sermo est) non ad res duntaxat magnas gerendum ineptos esse, verum delirare, atq; ad vitæ aulicæ ciuilitatem adhiberi dignos non esse. Quos istos ambubaias, & lippos contrariis in medium allatis historiis apprimè refutabimus.

Atque vt ab ipsa vetustate hanc telam ordiamur: Annon *Linus*, gentilium Poëtarum ferè antiquissimus, *Apollinis* & *Vrania* filius, *Herculem*, totius orbis monstrorumque domitorem, vnà cum *Orpheo* & *Thamyra* condiscipulis, *Poëtis* incomparabilibus, carminis ac citharæ diuinum illud artificium edocuit? sicut videre est, inter alios, apud *Natal. Comitem libr. mythol. iv. capit. x.* Quanquam ferus atque indomitus, pro præmio atque gratitudine debita, præceptori mortem intulerit discipulus, quo exemplo rigorosi alioquin hypodidascali admonentur, in discipulos non adeò seuerè animaduertendum semper esse, præcinente, eruditissimo *Poëtâ, M. Hieronymo Vidâ libr. I. Poëtic.* hæc in verba:

> *Tempore iam ex illo, vatem cum dura iubentem*
> *Phæbigenam Alcides animo indignante peremit*
> *Vocali inuisam feriens testudine frontem:*
> *Debuerat sæuos factum monuisse magistros.*

Sed ad propositum? Numquid *Alexander Macedo*, ob rerum toto orbe perpetratarum maiestatem, cognomento *Magnus* appellatus, *Homerum* maximè tanquam vitæ suę magistrum optimum, honorificè recognouit: quando opera eiusdem in medio bellorum æstu assiduè lectitauit, interdiu noctuq;, vt etiam puluinaribus subiiceret? Numquid *Ennius*, grauissimum illum Romanæ militiæ Imperatorem, *Scipionem Africanum*, pariter Poëticis præceptis vtiliter imbuit, vt eo Poëta comitante tantum non grauissimas expeditiones susceperit, imo verò etiam post obitum eodem cum præceptore benè merito tumulo condi voluerit? Quid de *Iulio Cæsare*, Imperatore non tàm bellicosissimo, quàm literatissimo, dicemus? Is enim cum perpetua stigmata è *Catullianis* carminibus de *Mamurra* sibi videret imposita, nihilo-minus eodem die *Poëtam* mensæ suæ adhibuit, eiusdem consuetudine, vtpote à quo erudiri emendarique posset, velut anteà delectatus: vt est apud *P. Crinitum in vita Catulli.* Quid de *D. Augusto, Imper.* verè augu-

augustissimo, dissetemus? Is cum optimus maximus esset literatum, inprimis Musarum, patronus atq; arbiter, *Virgilium*, itemque *Horatium*, Poëtarum par nobilissimum, tanquam amicos, imo præceptores suos, coluit, honorauitq;, imo diuitiis beneficiisque locupletauit, ab iisdemq; haud dubiè artem diuinam, carminisque eloquium edoctus fuit. Cur enim is, tantus ac tàm gloriosissimus Imperator, natalem *Maronis, Poëtæ* quotannis, ceu propria auspicia, celebrasset, nisi eundem, tanquam magistrum ac præceptorem, eo pacto venerari voluisset? *Iulianus Imp.* autore *Ammiano Marcellino*, adeo quoque *Bacchylidis, Poëtæ Lyrici* Græci, carminibus delectatus fuit, vt exinde viuendi præcepta, eodem magistro præeunte, desumpserit? Quid vero potissimum de gratioso *Imp. Gratiano*, afferemus? Is cum sub præceptore suo, *Ausonio Poëta*, in literis venustioribus egregiè profecisset, non tanquam *Hercules* ergà *Linum*, sed gratissimus liberalissimusq; ergà vatem magistrum suum extitit, vt summis eum beneficiis cumulatum ad augustum illud in vrbe Roma Consulatus fastigium indulgentissimè euexerit? Idem fallor, an de *Arcadio* & *Honorio* Impp. dicere possumus. Illi enim felicissimi doctissimiq; Imperatores, cum *Claudiano*, Poëtarum (vt vocant) prægloriosissimo, monumentum atque Epitaphium *Romæ* in foro *D. Traiani* publice erigi iussferint, eo ipso palam profitentur atq; ingenue, se se multum non tàm ipsius eruditioni, quàm præceptis velut atq; institutioni, deferre: Atq; vt inter alia multa vnicum saltem recentis memoriæ exemplum producamus, quid de *Iacobo*, magnæ nuper *Britanniæ* atq; *Scotiæ Rege*, isthîc aspergemus? Is autem sub eleganti vitæ morumq; magistro, *Poëta* disertissimo, *Georgio Buchanano, Scoto*, non dubitauit multiplici atque saluberrima eruditione animum excolere, vsq; eo vt doctissimis in medio extantibus scriptis non tantum regna gloriose gubernasse, sed virum atque heroa eruditissimum in literis communibus summe regnasse, insigni illo suo exemplo testatum fecerit.

Probatissimos icciro habitos fuisse à summis *Monarchis* ac *Magnatibus Poëtarum* elegantiorum mores, tum inprimis elegantissimam, commendatissimamque eorundem doctrinam, in propatulo est, vt pote qui turpiter adulari, assentariq; nesciant, tum animos Heroum tot aureis sententiis, tot gemmeis exemplis, tot illustribus incentiuis ad magna & heroica perpetrandum facinora incitare omnium maximè satagunt, vniceque dant operam, vt, quo à vulgi fece abesse longius cupiunt, eo amplius generosis animi conceptibus atq; ausis vltrà plebem esse contendant. His illud fauet, quod penes *Horatium* legitur, *de art. Poet:*

——— Si carmina condes,
Numquam te fallant animi sub vulpe latentes.

Idem vero graphice *lib. II. Epistol.* xx. ingenuum *Poetam* describit his in verbis:

——— Vatis auarus
Non temerè est animus: versus amat, hoc studet vnum:
Detrimenta, fugas seruorum, incendia ridet:
Non fraudem socio, puerove incogitat vllam
Pupillo: viuit siliquis & pane secundo.
Militiæ quanquam piger & malus, vtilis vrbi.

Quodsi itaque *Principes Poëtarum* conuersatione vtantur, multiplicem inde fructum percepturi sunt, cum vt ingenuos ac candidos animos à muscis atque assentatoribus aulicis dignoscant, tum vt discant

——'curunm discernere recto;

sibique ab hominibus fucum, malamque frugem redolentibus non tàm facilè imponi patiantur. Cum enim Musæ antiquissimis vatibus fingantur puellæ ac Deastra innocentes, castæ, ipsumque candorem animi referentes, Musica quinetiam, imò Poëtica ingenia nihil potius, nihil antiquius in vitæ consuetudine sectentur, quam mansuetudinem, ingenuitatem, integritatemq; , meritò fraudibus, imposturis, auaritia item, & eius generis decumanis vitiis vatum eruditiorum cohortes omninò vacare clarum est. Cui indicio vel illud argumenti loco est, quod cum à Natura, non Arte, tales producantur, tum Numen quoque *Poëtarum* ipsorundem apprimè curâ habeat. Quod ipsum annon ex historia *Arionis Methymnæi*, quem, prout suprà diximus, à nautis in pelagus abiectum *Delphines* seruarunt, patet? Annon, *Ibyci* exemplo, ad oculum demonstratur, cuius interfectorem vel grues præteruolantes accusarunt? Hinc tritum illud *Ausonii*, quod etiam *prouerbii* loco venit:

Ibycus vt periit, vindex fuit altiuolans grus.

Vide *Des. Erasmum Chil.* 1. *Cent.* IX. *Ibyci grues:* XXII. Quâ occasione nos in vita *Ibyci Poëta* hos versiculos illius memoriæ destinauimus:

Ibycus in medios vbi concidit ecce! latrones,
Altiuolans ibi grus vindicis instar erat.
Esse Deo curæ sacros liquet vndiq; vates,
Ibycus exemplo quod probat ipse suo.

Quandoquidem itaque secundum *Strabonem, Poëtas* vitæ communis magistros ac correctores esse, euidentissimum sit, ecquisnam illos summâ iccircò ab omni penè seculorum memoria autoritate dignitateq; floruisse, imò velut semideos æstimatos fuisse, temerè inficiabitur? Quod ipsum ne à quopiam in dubium vocari possit, agedum ipsa luce clarius innotescet, gloriosam huc vsque extare vatum celebriorum memoriam.

Quis *Linum*, eiusque discipulum, *Orphea* incomparabilem, pro Deorum filiis habitos fuisse nescit? Quis autem eorundem laudes ignorat? Quem fugit admirabili eos ac stupendâ carminis dulcedine *feras, flumina, syluas, arbores*, imò *Manes, Erebum*, ipsumque *Stygem* placasse, ac commouisse? Quæ etsi quidem vero similia haudquaquam habenda sunt, sed fabulosa potius, haud difficulter tamen indè monentur, *Poëtas* summa in existimatione, diuinamque carminis artem vsquequaque priscis seculis admirationi fuisse. Idem de *Thamyra* atque *Amphione* esto iudicium. Quorum ille, licet arrogantior, Musis ipsis contendere ausus fuit; hic verò artis suæ præstantia *Thebas* condidit.

Herodotus Arioni, cum nautarum insidias, ipsumque pelagus, Superûm clementia euasisset, ob artis præstantiam, statuam erectam fuisse, annotauit *libr.* 1. De *Homeri*, summi & trismegisti *Poëtæ*, patria, longè ab eiusce obitu, septem *Græciæ* ciuitates celeberrimas mutuo concertasse notum est. Quæ quantam ipsius dignitatem arguant, cui non liquet? *Pindarus*, IX. *Lyricorum* disertissimus, merito suo magno in honore fuit, apud vniuersam *Græciam*, vt nihil suprà. Et, quod amplius, à *Pythia*, vel *Apollinis* oraculo, ità fuit amatus, vt partem eorum etiã, quæ Deo offerebantur, sacrificiorũ acciperet, imò sacerdos in sacrificiis *Pindarum* vocaret ad mensam. Etiam *Pan*, Deus Arcadiæ iamper

Pindari

Pindari pæána solitus fuit per montes canere. Porro *Alexander Magnus*, heros ille maximus, tantum tribuit *Pindaro poëtæ*, vt, cum *Thebas* incendisset, soli eius domui pepercerit, istumque versiculum ædibus eius inscribi curârit, autore *Gyraldo:*

Πινδάρου τοῦ μουσοποιοῦ τὴν στέγην μὴ καίετε.

Pindari poëtæ domum ne comburite.

Id ipsum *Lacedæmonios* olim quoque obseruasse fama est. Qui cum *Bæotorum* regionem & *Thebas* vastassent, ab vnica eius domo abstinuerunt prędictum versiculum conspicati. *Stesichoro* quoque *poëtæ Lyrico Græco, Catanæ*, ante vrbis portam, monumentum insigne positum fuit, qua de re *Stesichorea* dicta fuit. Ferunt illud omnia ex octonis rebus habuisse; scil. VIII. columnas, VIII. gradus, & VIII. denique angulos: Vnde etiam in prouerbium concessit: *Πάντα ὀκτώ: Omnia octo:* cùm ad perfectionem nihil deesse significamus: vt testis est *Gyraldus dialog. IX. de histor. poëtar. in vita Stesichori. Anacreon poëta*, à *Polycrate* Tyranno magno in pretio habitus, atque aliquando quinque talentis fuit donatus. Cùm verò is nihil minus, quàm opes, curaret, restituit ea *Polycrati* dicendo: *Οὐ [illegible] τῆς φροντίδος*: innuens, se, postquam duabus continuis noctibus eius pecuniæ gratiâ non dormiisset, cogitationes ei rei impendere minimè debere.

Euripides, poëta Tragicus, Archelao Macedoniæ Regi, adeo in oculis fuit, vt eius mensæ familiariter adhiberetur. *Sophocles.* cothurni tragici facile princeps, cùm defunctus esset, ab ipso *Libero* patre sepeliri iussus est, obsidentibus eo tempore mœnia *Lacedæmoniis*, ac *Lysandro* eorum Rege in quiete sæpius admonito, vt pateretur humari delicias suas. Hinc *Lysander*, vbi intellexit *Sophoclem* mortuum; pacem funeri dedit, vt annotauit *Solinus*. *Menander, poëta Comicus*, per legatos atque naues transmissas, tantis honoribus, muneribusque ab *Ægypti* ac *Macedoniæ Regibus* certatim inuitatus fuit, vt *Musarũ*, quibus pollebat, diuitias regiis thesauris ipsimet *Reges* velut antehabere viderentur. *Callimachus Ptolomæi Philadelphi* amicitiam ingenio meruit, apud quem vixit, regiæque Bibliothecæ præfectus fuit. *Chœrilus* ab *Alexandro Magno* tantâ beneficentiâ affectus fuit, vt pro singulis versibus bonis

Acceptos tulerit regale numisma Philippos.

Atque hæc obiter de *Græcis*. Quantum ad *Latinos* attinet, inprimis *Romanos*, eosque cùm veteres, tum recentiores, ex iis quoque non paucos recensebimus, qui suâ tempestate illustres extiterunt. E quorum catalogo primus occurrit *Ennius* pater, qui, *Lucretio* autore

——primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam
Per gentes Italas hominum quæ clara clueret.

Is verò à *Scipione Africano*, magnanimo illo heroë, tantopere dilectus æstimatusque fuit, vt, quem expeditionum clarissimarum comitem habuisset, eundem etiam in tumulo *Scipionum*, atque in eorundem statuis sepulcralibus condi curaret. *P. Terentius, Comicus* nominatissimus, ob artis suæ peritiam, elegantiamque, tantùm non Nobilib9 Romanis, sed imò *C. Lælio*, & *P. Scipioni Africano* domesticus ac familiaris adeo fuit, vt etiam per opprobrium ei obiiceretur, quasi ab iisdem in *Comœdiis* scribẽdis fuisset adiutus. Eius *Comœdiæ* eo in pretio fuerunt, vt ex iis *Eunuchus* bis acta tantum meruerit pretium, quantum nulla [illegible] cuiusquam *Comœdia*, scil. octo millia nummûm. *Cornel. Gallus*, Elegiacus, ex [illegible]ma, ob ingenii ac carminis elegantiã, in *D. Augusti Imp.*

amicitiam susceptus, præturam primò obtinuit, mox eiusdem fauore ad *Ægypti, Romanorum* prouinciæ, præfecturam fuit euectus. *Catullus*, ob peculiarem eruditionem, tantùm non, temporibus *C. Iul. Cæsaris*, docti cognomen promeruit, verum ab ipsomet *Iulio Cæsare* (prout suprà attigimus) familiariter ad mensam adhibitus fuit, etsi is Catulliano carmine in *Mamurram*, velut stigmate notatus esset. Inprimis autē *Poëtarum* Augustus, *Virgilius Maro*, tantis honoribus, tantis imò beneficiis diuitiisque ab Augustissimo Imperatore, *Augusto Octauiano* affectus, locupletatusq́; fuit, vt huic Poëtæ, tāquam amico ac Cæsar. Maiest. Consiliario intimo, in Theatrum prodeunti S.P.Q. Romanus, tanquam ipsi Imperatori, assurrexerit, plausumq́; fecerit. Illius itaque opera sicut sunt immortalitate dignissima, cùm supremis tabulis *Maro* ignibus comburi mandasset, *Augusti* maiestas rogo eripuit, ac totum iussit volitare per orbem. Quid? quòd opt. max. Imperator *Virgilii* natalem (qui incidit in *Idus Octobres*) quotannis, tanquam natalem proprium, quibusdam velut ceremoniis celebrauit. Eidem sextum *Æneidos* librum recitanti, cùm, inter alia, ad finem *Marcelli* ab *Augusto Imper.* adoptati obitum deploraret, *Octauia, D. Augusti* coniux, Imperatrix, ex carminū commotione animo fermè deliquisse, ipsiq́; *Maroni* pro singulis versibus dena sestertia numerari iussisse accepimus. *Mantuani* quoque in celebriori vrbis suæ loco multis post seculis eidem statuam erexerūt, tanti adhùc viri memores. Eundem eiusdem *D. Augusti Imp.* summum tum fauorem tum munificentiam expertus fuit *Horatius*, Lyrici carminis è Romanis coryphæus, qui, commendante *Mecænate*, apud prædictum *D. Augustum*, Monarcham, magnam fidem meruit, itá vt carminis bonitate incredibiles diuitias accumulasse perhibeatur. Non minori existimatione iisdem fermè temporibus floruit, ingeniosissimus *Poëtarum*; *Ouidius Naso*, qui ob inusitatum egregii carminis decus, primùm *D. Augusto Imp.* commēdatissimus fuit, antequam in *Pontum Insulam* relegaretur, vel ob libros *de Amoribus* satis lasciuos, vel ob adulterium, vt putatur, cum *Iulia Imp.* filia. Quantum verò eloquentissimo Vatum, *Ouidio*, eiusdemque ingenio limatissimo, tribuendū sit, vel barbaræ gentes illæ, *Getā*, inquam, & *Tomitani* testatum fecerunt, qui in funere tanti *Poëtæ*, licet exulis, lacrymas cohibere non potuerunt. Post *Ouidium*, *Tibullus* purissimi carminis autor, apud nobiles Romanos, potissimùm *Messalam Coruinum*, ob ingenium fertile, plurimum polluit, à quibus etiam mirâ diligentiâ assiduisq́; officiis fuit cohonestatus. Cuius obitum, nimis præcipitē, fleuit, *Elegiâ* apprimè conscriptâ Elegiaci carminis magister, præfatus *Naso*, quod *Poëta* à *Poëta* ad immortalitatem sat est. *Lucanus* à *Nerone* Tyranno tantùm fuit dilectus, vt eius fauore *Quæsturæ* dignitatem obtinuerit, tum in *Augurum* collegium sit ascitus: quantumuis postea à *Tyranno* eodē tenore, quo *Seneca*, patruus suus, incisis totius corporis venis exspirare coactus sit. Nihilominus *Poëtæ* ossib⁹ inter marmorea monumenta locum concessit, addito isthoc elogio:

M. ANNÆO LVCANO, CORDVBENSI POETÆ, BENEFICIO NERONIS CÆS. FAMA SERVATA.

Silius Italicus, præterquam quòd *Imp. Domitiano* esset gratissimus, Proconsul quoque *Asiæ* nominatus est. Eiusdem *Domitiani* fauore ad tertium vsque Consulatū processit. *Valer. Martialis*, *Ael. verò Imp.* itâ in oculis fuit, vt *Cæsar* eum vocaret suum *Virgilium*. Ab eo igitur cùm equestri dignitate, tum præturâ donatus est. *Oppianus*, cùm *Imp. Antonino, Seueri* Principis filio, *poëma de Piscibus* nuncupasset, ab illo totidem aureis remuneratus est nummis, quot illic erant versiculi, autore *Volaterrano*. *Dec. Ausonio* tantùm tribu-

tum

tum fuit ab *Imper. Valentiniano*, vt eius institutioni *Gratianum* filium vnicè commiserit. Idem *Gratiani Imper.* discipuli gratissimi, miro fauore non tam summam nobilitatem, quàm augustam augusta in Vrbe consularem dignitatem honestissimis suffragiis obtinuit. *Claudianus Arcadio* atque *Honorio Impp.* vsque eò, sicut etiam vniuerso S. P. Q. Romano, in pretio fuit, vt eius monumento sequens incomparabile elogium inscriptum sit:

CL. CLAVDIANI V.C. CL. CLAVDIANO V.C. TRIBVNO ET NOTARIO, INTER CÆTERAS INGENTES ARTES PRÆGLORIOSISSIMO POETARVM. LICET AD MEMORIAM SEMPITERNAM CARMINA AB EODEM SCRIPTA SVFFICIANT. AD EVM TESTIMONII GRATIA OB IVDICII SVI FIDEM D.D.N.N. ARCHADIVS ET HONORIVS FELICISSIMI AC DOCTISSIMI IMPERATORES SENATV PETENTE STATVAM IN FORO DIVI TRAIANI ERIGI COLLOCARIQVE IVSSERVNT.

Dantes Aligerus, Florentinus, tanti porrò, ob carminis dexteritatem, habitus est, vt autore *Bernhardo Bembo, Veneto, Rauennatum* prætore nobilissimo, *Rauennæ*, circa forū *D. Mariæ*, sepulcrum marmoreum magnificentissimè exstructum commeruerit. *Francisc. Petrarcha, Florentinus*, ob rarissimi ingenii atque carminis acumen, eodem die ad *Lauream* solenniter accipiēdam cùm ab vrbe *Romana*, tum *Parisiensi* honestissimè inuitatus fuit. Idem à *Roberto, Rege Neapolitano* doctissimo, antequam *Romæ Lauream* acciperet, cū gaudio exceptus, cum admiratione auditus, cum plausu *Senatui Romano* commēdatus fuit. Idem (prout ipse meminit) *Regum* ac *Principum* familiaritatibus, nobiliumque amicitiis ad inuidiam vsque felix extitit. *Ioan. Boccatius, Florentinus*, extra *Florentiam* patriam, quâ *Senas* & *Romam* itur, in summo templo *Certaldi* nobili sepulcro cum effigie marmorea, infra scriptis etiam versiculis, honorificè affectus visitur. Quid de *Sannazario, poëta Neapolitano*, adiiciemus? Is tantùm non *Friderici Aragonæi, Siciliæ Regis, Ferdinandi filii*, amicitiâ floruit, verùm etiam à *S. P. Q. Veneto* pro singulis versibus singulos centenos aureos, honoris gratia obtinuit; quos quidem in laudem *Vrbis Venetiarum* cōscripserat.

Quo euidentius autem pateat, non modo priscos illos veteresque *Poëtas*, tam *Græcos*, quàm *Latinos*, summo in honoris fastigio collocatos fuisse, sed etiam superiori hucvsque excurrente seculo etiam nostrates, & quidem *Germanos*, multâ simulatque dignitate illustres fuisse, paucis age, exponemus.

Ex eorum sylua primus *Poëtæ* titulum reportauit nō tam solennibus auspiciis, quàm insigni suo merito, *Conradus Celtes, Francus*, qui ab ipso *Friderico III. Imp.* in *Arce Noribergensium Laureâ coronâ* inauguratus est. Cuius eadem *Laurea* fertur in hunc vsque diem *Viennæ Austriorum*, vbi publicè docuit, asseruari. De eiusce verò Viri-vatis virtutibus atque honoribꝰ reliquis nihil attinet isthîc plura commemorare. Quis vtrumq; *Scaligerum*, patrē & filiū, par inuidendum, ex antiqua & illustriss. *Scaligerorum, Principū* quondam *Veronensium* familia oriundū, nescit illustres Poëtas, excellentiss. Philosophos vsq; eò eminere passim, vt nihil tantorum virorum gloriæ vel cuiuscunq; etiam commendatione adiici posse videatur? Quis ignorat *Eoban. Hessum, Poëtarum* sui tempor. principem cognominatum, *Euricium Cordum, Iustum Vulteium, P. Paganum*, & nuper *Hermannū Kirchnerum*, omnes *Hessos*, omnes Poëtas ac Philosophos excellentes, non solum ab aliis *Germaniæ Magnatibus*, sed inprimis ab *Illustrissimis Hassiæ Principibus*, multis, iisque meritis honoribus atque beneficiis affectos fuisse? Sic *Vlricus* ille *Huttenus*, Franciæ nobilitatis

Scipio,

Scipio, à *Maximiliano I. Imper.* tum Laureâ poëticâ, tum Eques aureâ periscelide magnifice coronatus, imò apud Germani Imp. Principes ac Status summa cum autoritate eminuit. Eorundem *Sereniss. Austriæ Archiducum* fauorem ac munificentiam, præter *C. Vrsinum Velium*, & *Ioannem Sambucum*, poëtas atque antiquarios nominatissimos, experti sunt *Georgius Fabritius Chemnicensis, Nicol. Reusnerus, Nicodem. Frischlinus*, atque alii complures, qui veræ nobilitatis, & *Comitis*, vt vocant, *Aulæ Lateranensis* insignibus, ob eruditam carminis facultatem condecorati sunt. Sic *P. Lotichius Secundus* p.& fel. memor. patruus noster magnus, ab Illustri & Magnifico illo apud Francos Mecænate, *Erasmo Neustettero, cognomento Sturmero, Equ. Franco, & Præposito Comburgensi*, viro, imò Heroë, immortali laude dignissimo, non solum, dum viueret *Poëta*, sed etiam post obitum nimis immaturum, summo in pretio habitus est, vt nihil suprà. Cuius, vel vnius, carmina tantam fidem hoc, & quod suprà excurrit, seculo meruerunt, vt ceu classica illius autoris in Scholis illustribus prælegantur hactenus, tum quoque honores anniuersarii eiusdē Virtuti ac Honori *Solitariensi* in *Cœnobio*, ipsi velut nutricio, *M.DC.IX.* à *Nobiliss. & Clariss. Consiliariis Archi-Palatinis*, Reipubl. Ecclesiasticæ caussâ ibidem congregatis, honorificentissimè persoluti fuerint. Præter eundem *P. Lotichium Secundum*, *Iacobus* quoque *Micyllus*, *Christian. Lotichius*, p.m. auus noster, *Henricus* itemque *Smetius*, *Ioan. Posthius*, *P. Melissus*, *Francisc. Modius*, atque alii, partim à Sereniss. Septemuiris Palatinis, partim à Nobilissima *Neustetterorum Francorum* gente non tàm dignitatibus, quàm muneribus coronati sunt. Sic *Adam. Siberus, Ioan. Maior, Georg. Fabritius Chemnicens.* & nuper *Frider. Taubmannus*, à Sereniss. Electoribus Saxonicis tot totidemque beneficiis in se collatis inclaruerunt, vt hoc ipsum, quod est in propatulo, multis inductionibus comprobare minime facto sit opus. Sic pariter *Georg. Sabinus*, & *Ioan. Schosserus*, poëtæ tersissimi, à Sereniss. Electorum Brandeburgensium familia ad summos honores conscenderunt. Sic tandem, præter Illustres suprà dictos *Scaligeros*, *Ioan. Secundus*, *Carolus Vtenhouius*, *Iacob. Sluperius*, *Dusæ*, pater & filius, *Dominic. Baudius*, & qui, inter penè innumeros alios heroas literarios, hâc adhûc tempestate florentissimo ingenio regnat, V. C. *Dan. Heinsius*, illi omnes, atque alii plurimi apud potentiss. *Belgii* Ordines summo in pretio, loco atque honore feliciter huc-usque eminuerunt.

Ex quibus nunc vatum, etiam *Germanorum* nostrorum, honestissimis circulis, prolixiuscule recensitis, *Poëtas* ab omni seculo, etiam hoc nostro, quantumuis facile pessimo, honoribus, dignitate, opibus, autoritate atque existimatione longe suprà sui ordinis homines euectos familiam duxisse ecquis non videt? ecquis non palàm contuetur? Vt nihil isthîc de *Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Vngariæ, Bohemiæ, Sueciæ, Poloniæ*, & aliis gentibus speciatim dicamus, apud quas omnes *Poëtas* hûc-usque Regum, Principumque amicitiâ claruisse notissimum sit. Inprimis autem *Daniæ* primates, quantum ingeniis poëticis tribuerint, vel ante omnes reliquas gentes, illustre eius rei specimen exhibuerunt in eo, quando *Poëtam*, eò quòd defuncti Regis memoriam carminibus celebrasset, regio sceptro, adeoque ipsius regni possessione dignissimum iudicarunt; sicut autores sunt *Saxo Grammaticus*, & *Ioan. Bocerus, Danus*, poëta facundissimus.

Iam nunc ergo in propatulo est, si vlla alia ars aut ex ortus antiquitate, aut è subiecti nobilitate censenda sit, hanc nostram *poëticen* iure optimo tum existimationem, tum prærogatiuam præcipuam commereri. Hæc de *poëtices* subiecto, nobilitate, imò de *poëtarum* quoque virtute atque honore sufficiant.

Cæterùm,

Cæterum, quis denique finis, vel vtilitas *Poëseos* existat, age, nunc quoque pro complemento huius propositionis, dispiciamus. Duo autem genera disciplinarum potissimum constituunt Philosophi, diuersa quidem, minimè tamen opposita, contemplatiuum scilicet & practicum; quorum quidem contemplatiuum præstantissimum esse aiunt, vtpote cuius contemplatio dulcis est propter se ipsam, ideò etiam nobilior: practicum autem, quatenus practicum, est iucundum propter aliud, ideoque contemplatiuo minus nobile. Quoad contemplationem igitur, satis apparet, *poëticum studium* maximam partem speculatiuum esse: siquidem nullus ferè *Poëtarum* egregium aliquod poëma, aut carmen, dignè elaborare potest, nisi prius speculationes suas disponat, materiam ac res dispiciat, ac peculiare denique artificium, præmeditetur. Vbi etiam hoc notandum, quod *Poëta* toto suo opere, vel dum fingit, vel dum pangit, canitque, vnà meditatur, atque ita qui ex speculatione atque actione mixtus est Philosophus, dum cæteræ disciplinæ tantum vel eâdem vice speculantur, vel tantum præcisè actiones destinatas exercent. Primùm itaque prædicto modo *Poësis* vtilis est propter seipsam, ideoque ex præsupposito Philosophorum axiomate expetenda, quia speculatiua. Deinde etiam vtilis est propter aliud; ratio, quia scripta poëtica vt potissimum in se continent doctrinas vsque adeo pulcerrimas, vitæ benè laudabiliterque gerendæ instituta optima, dicta ac facta præclara, virtutes, ritus, moresque gentium: è quibus omnibus quid in virtute imitandum, approbandumque, quid in vitiis fugiendum ac detestandum, in communem hominum vsum eligi potest. Rectè *Horatius lib. II. Epist. I.*

Nec magis expreßi vultus per ahenea signa,
Quàm per vatis opus mores animiq; virorum
Clarorum apparent ——

Isthâc gemina consideratione accidisse verisimile est, vt non tam virtutis imitandæ, vitiorum verò fugiendorum gratiâ, quàm solius & iucundissimæ speculationis igitur, *poëtica* non tantum à summis omnium ætatum *Philosophis, Historicis, Medicis, Theologis, Iurisconsultis*, imò verò ab ipsis *Principibus*, imò à *Regibus* quoque, imò summis vsque adeo *Monarchis* atque *Imperatoribus*, in deliciis habita, magni in aliis æstimata, verùm enim verùm etiam ab ipsis tantis heroibus ipsimet exculta, & cum summa tantum nô ipsius artis, quàm tantorum artificum, æternâ laude tractata fuerit. Hâc (prout suprà innuimus) maximus ille *Hebræorum Imperator, Moyses*; hâc regius Vates & Propheta *Dauid*; hâc sapientissimus Regum *Salomon*: hâc *Iesaias* & *Ieremias* Prophetæ DEI OPT. MAX. priscis illis & primis velut mundi temporibus nobis laudatissimo instituto præiuerunt. Hanc diuinam facultatem ex gentilibus *Hercules* ille, totius orbis domitor, *Lino* præceptore: hanc *Achilles* quoque sub bello Troiano: hanc *Scipio Africanus*, *Ennio* præeunte, addidicit: hanc *Alexander Macedo* in *Homero*: hanc in *Arione Periander*, tantoperè admiratus est, vt versus *Achillem* inuidia laborarit, quod is tanti *Poëtæ* carminibus immortalitati transscriptus esset, cuius Viri-vatis (*Homeri*, inquam) tempora quòd ipse attigisset, tantoperè dolebat. Ex *Imperatoribus Romanis* numquid *Iul. Cæsar, Augustus, Hadrianus, Gratianus, Theodosius, Honorius*, itemque *Carolus Magnus, Ludouicus Secundus, Carolus Quartus, Sigismundus, Maximilianus*, aliique complures, *Poëticam* ipsi exercuerunt? *Augustus*, tanta nominis maiestate *Imp.* dignissimus, *Horatio* indignatus fuerat, sicubi in carminibus suis minus crebro Imperatorii nominis honorificam, vt oportebat, mentionē fecisset. Is enim

Eee cùm

cùm lectis *Horatii* ſermonibus nihil eiuſmodi animaduertiſſet, hiſce verbis, inter cætera, cum Poëta expoſtulauit: *Iratum me tibi ſcito* (verba ſunt *D. Auguſti Imp.*) *quod non in pleriſque eiuſ-modi ſcriptis mecum potiſſimùm loquaris. An vereris, ne apud poſteros tibi infame ſit, quod videaris familiaris nobis eſſe*: autore *Sueton. Tranquillo in Vita Horatii*. Sub einſdem verò *Imper.* nomine, inter catalecta veterum *Poëtarum*, ſuper nouiſſima *Virgilii Æneide* refertur:

Ergóne ſupremis potuit vox improba verbis; &c.

Sequens verò ſub nomine *C. Iulii Cæſaris* recenſetur:

Feltria perpetuo niuium damnata rigore
Forte mihi poſthàc non adeunda, vale.

Plutarchus, de rebus geſtis mulierum narrat: *Neronem Imp.* vſque eò deperiiſſe *Poppæam*, vt, cùm illa haberet flauos crines, carmina heroïca in laudes pilorum eius componeret, atque adeo ipſe omnes numeraret, curaretque illi confici pectinem aureum, & ſi fortè pilus excidiſſet, auro includeret, & in templo capiti *Iunonis* imponeret. Idem affirmat *Plinius Natur. hiſtor. libr.* XXXVII. *cap.* III. cuius hæc ſunt verba: *Domitius* (inquit) *Nero in ceteris vita ſua portentis capillos quoq; coniugis ſuæ Poppæa in hoc nomen adoptauerat, quadam etiam carmine ſuccina appellando. Et quoniam nullis vitiis deſunt pretioſa nomina, ex eo tertium quidam hic colos cæpit expeti à matronis.* Clarius autem *Seneca, I. de natur. quæſt. cap.* V. eundem *Neronem* rei poëticæ peritum fuiſſe adducit, verſiculum ipſius allegando, è quo de eruditione non triuiali facilè iudicandum ſit. *Quid ergò* (inquit) *fit? Colorem, non imaginem ducunt: alioquin, vt ait Nero Cæſar diſertiſſimè:*

Colla Cytheriacæ ſplendent agitata columbæ.

Hadrianus Imp. Floro Poëtæ ad ſe ſcribenti, teſte *Spartiano* in eius vita:

Ego nolo Cæſar eſſe
Ambulare per Britannos
Scythicas pati pruinas.

reſcripſiſſe perhibetur:

Ego nolo Florus eſſe
Ambulare per tabernas
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Idem ad *Veconium* ſuum ſequens pentametron reliquit:

Laſciuus verſu, mente pudicus erat.

Moriturus quoque, referente *Ael. Spartiano*, ità animam ſuam, quòd in triuiis cantant, allocutus fertur:

Animula vagula, blandula,
Hoſpes, comesq; corporis,
Quæ nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, vt ſoles, dabis iocos?

De *Alexandro Seuero Imp.* refert *Lampridius, Poëtam*, neſcio quem, ad imitationem epigrammatis, quod *Martialis in Gelliam* ſcripſit de lepore, hos verſus in eundem *Alexandrum* tuliſſe:

Pulcrum quod vides eſſe noſtrum regem,
Quem Syrum ſua detulit propago,

Venatus

Venatus facit & lepus comestus,
Ex quo continuum capit lepórem.

Ad eos autem, ab amico communicatos, rescripsisse dicitur *Græco* epigrammate hæc in sententiam:

Pulcrum quod putas esse vestrum regem,
Vulgari miserande de fabella;
Si verum putas esse, non irascor.
Tantum tu comedas velim lepusclos,
Vt fias, animi malis repulsis,
Pulcher, ne inuideas liuore mentis.

De *Gallieno Imp.* sequentia eleganter commendat *Trebellius Pollio*: *Fuit enim* (ait) *Gallienus, quod negari non potest, oratione, poëmate, atq; omnibus artibus clarus. Huius est illud Epithalamium, quod inter centum Poëtas præcipuum fuit. Nam cùm fratrum suorum filios coniugaret, & omnes Poëtæ Græci Latiniq; epithalamia dixissent, idq; per dies plurimos, cùm ille manus sponsorum teneret, vt quidam dicunt, sæpius ità dixisse fertur:*

Ite, ait, ô pueri, pariter sudate medullis
Omnibus inter vos; non murmura vestra columbæ.
Brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ.

Idem ad *Aurelianum* hunc quoque versum dedisse fertur:

Eripe me his, inuicte, malis, &c.

Iuliani Imp. epigrammata passim leguntur in *Anthologia Epigrammatum Græcorum.*

Memoratu inprimis hoc loci dignissima nobis videtur epistola *Theodosii Imp. Augusti*, quæ ad *Ausonium Poëtam* extat, in poëmatis eiusdem: *Theodosius Augustus Ausonio parenti salutem: Amor meus, qui in te est, & admiratio ingenii, atq; eruditionis tuæ, quæ multò maxima sunt, fecit, parens iucundissime, vt morem Principibus aliis solitum sequestrarem; familiaremq; sermonem autographum ad te transmitterem, postulans, pro iure non quidem regio, sed illius priuatæ inter nos charitatis, ne fraudari me scriptorum tuorum lectione patiaris, quæ olim mihi cognita, & iam per tempus oblita, rursum desidero: non solum, vt, quæ sunt nota, recolantur, sed vt ea, quæ fama celebri adiecta memorantur, accipiam. Quæ tu de promptuario scriniorum tuorum, qui me amas, libens impertiare, secutus exempla autorum optimorum, (quibus par esse meruisti) qui Octauiano Augusto, rerum potienti, certatim sua opera tradebant, nullo fine in eius honorem multa condentes. Qui illos haud sciam, an æqualiter, ac ego te, admiratus sit, certè non amplius diligebat. Vale parens.*

Eccam tibi nunc delicatissimam illam summi *Imperatoris* epistolam, quâ *Poëtam* parentis nomine condignati non dubitat. Eccam tibi supinam *Cæsaris* gratiam, quâ, nescio quibus non vtens blandimentis, carmen ab optimo vate extorquet optimus *Imperator.* Quem ipsum in carmine scribendo non rudem, sed simulatque optimũ *Poëtam* fuisse, ipse *Ausonius Poëta* in principio *Epigrammatũ* elegãtissimè describit in sequentib⁹:

Bellandi fandiq; potens Augustus, honorem
Bis meret, vt geminet titulos: qui prælia Musis
Temperat, & Geticum moderatur Apolline Martem.
Arma inter Cimbrosq; truces, furtoq; nocentes
Sauromatas, quantum cessat de tempore belli,
Indulget Latiis tantùm inter castra Camœnis.
Vix posuit volucres stridentia tela sagittas,

Musarum ad calamos fertur manus: otia nescit,
Et commutatâ meditatur arundine carmen.

De *Carolo Magno* Imp. qui ipsemet quoque carminibus scribendis operam dedit, sequentia affert *Georg. Sabinus, lib.1. de Cæsar. German.*

Astrorum cursus, & fata regentia mundum,
Scrutari solitus tempore pacis erat.
Addictusq; fuit concessa per ocia Musis,
Doctus in alternos cogere verba pedes.
Carmina, morte quibus ROLANDVM *fleuit ademptum,*
Quattuor hæc eius nomine vulgus habet:
Tu patriam repetis, tristi nos orbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos lacrymosa dies.
Sed quia lustra geris binos octo super annos,
Ereptus terris iustus ad astra redis.

Idem de *Sigismundo*, Imperatore doctissimo *libr. 11.* aspergit hæc:

Ingenuas habuit summis in honoribus artes,
Atque viris doctis munera multa dedit.
Cum quibus interdum conuiuia lætus agebat,
Ex humili quamuis ordine plebis erant.
Sicq; suos proceres hortari sæpe solebat,
Artibus vt vellent incubuisse bonis.
Fama per ingenuas & gloria quæritur artes,
His fauor ac Regum conciliatur amor.

His addere libet è *Polyæno libr. v. Stratagem. Dionysium* tyrannum *pæanas* etiam composuisse, atque iisdem à *Democle* legato recitatis lætatum esse. *Democles* (inquit) *legationem obiens, cùm à reliquis legatis accusaretur, magnis Dionysii rebus obstitisse, irascente tyranno; Mihi cum his, inquit, controuersia fuit, quòd post cœnam Stesichori & Pindari Pæanas canerent: ego verò eos, quos tu composuisti; atq; simul eius carmina cecinit. Dionysius lætitiâ affectus, non amplius ob crimina in eum collata irascebatur.*

Illud itaque, quod vulgo in triuiis fertur, hîc maximè locum habet; *Artem non habere osorem, nisi turpiter ignorantem*; & è conuerso: *Artem non habere amatorem, nisi eleganter callentem*: quâ ratione omnes illos tum Imperatores, tum Reges Principesque, qui poëticam facultatem, eiusque professores in deliciis habuerunt, eandem artem & calluisse, & exercuisse credibile est. Atque vt vnicum illud recentis memoriæ exemplũ, quod omnibus hac tempestate literatis in oculis versatur, attexamus, quantis elogiis, quantis condignis laudibus isthîc mentionem aspergemus *Celsissimi Potentissimiq; Principis*, magni illius MAVRITII, *Hassiæ Landgrauii*, qui tantùm non huic diuino atque heroibus maximè digno studii genere ab ineunte adolescentia gloriose vacauit, sed editis hactenus in publicum incomparabilis ingenii diuinis operibus, *Poëmatibus* inprimis, toti orbi Christiano iam-dudum summo eoque generoso exemplo præit, verùm enim verùm tantam hactenus fidem apud eruditos omnes commeruit, vt opera ipsius, classici instar optimi autoris, non tantùm *Hassiacis* in *Scholis*, sed externis etiam, tanto autore Principe adhûc in viuis agente (quod alioquin rarius fieri amat) studiosis adolescentibus tradantur, magnoque cum applausu prælegantur. Quod effatum nostrum vt ipso Principe, velut Phœbo-Apolline altero, præeunte confirmemus, ecce! eiusdem

eiusdem ipsa verba disertissima isthîc proferamus. Sic autem in *Elegia*, tanto Principe valdè digna, quam *Poëticis libris* præfixit, scriptum inuenimus, quod non nisi summa animi cum voluptate sæpenumerò admirari venerarique possumus:

Nostra sed Aöniæ venatio sobria Musa est,
Proq; ferâ ceruâ vera Mineruâ placet.
Nos iuuat inuentis attexere carmina Musis,
Sat fuerit, Musis si placuisse queam.
Musæ noster amor, dulces antè omnia Musæ,
Noster amor docti turba nouena chori.
In cuius medio radianti vertice Phœbus
Increpat arguta fila canóra lyræ.
Nunc blandos Elegos, faciles nunc autor Iambos,
Heroosue canens, non sine laude, modos.

Insuper è *Pontificibus Romanis*, qui poesin exercuerunt, habemus *Pium secundum*, inter cæteros, qui in *concilio Basiliensi*, antequam in Pontificem eueheretur, *Laurâ Poeticâ* publicè inauguratus fuit. Ex eiusdem *Romanæ Ecclesiæ Archipresbyteris & Cardinalibus, Poetis*, celebres sunt *Aurel. Prudentius, Hispanus*, cuius opera in eruditorum manibus. Eiusdem subsellii est *Arator, Poeta Laureatus, Iuuencus* item, presbyter, ac Poëta, *Hispanus*, & *P. Bembus* deniq; *Venetus, Cardinalis*, orator, si quis alius, & Poëta clarissimus.

E *Patribus*, prout dicuntur, *Ecclesiasticis*, occurrunt *Lactantius, Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Damascenus, Fulgentius*, omnes carminis arte celebres.

Ex *Episcopis* deniq; viris que aliis religiosis, numerum implent *C. Sidonius Apollinaris, Auernorum in Gallia Episcopus, Ioan. Dantricus, Episcopus Varmiensis, Ioan. Bapt. Mantuanus, Carmelita, M. Hieron. Vidas*, Poëtæ omnes præstantissimi.

E priscis autem *Philosophis* enumerantur *Socrates, Plato, Democritus, Lycurgus, Aristoteles, Cicero*, atque alii plurimi, qui magnam partem aut ipsimet rem Poeticam exercuerunt, aut aliis exercendam Poëticis in publicum editis scriptis commendarunt.

E recentioribus verò recensentur, inter alios, *Erasmus Roterod. Scaliger* vterque, *Melanchton, Camerarius, Lipsius, Goclenius, Gruterus*, atque alij, qui omnes cum laude eo in studii genere versati sunt.

E *Theologorum* Poëtarum catalogo sunt, idem *Melanchton, Beza, Iacomotus, Artomedes, Widebramus, Christ. Lotichius, Maior, &c.*

E *Iureconsultis Poetis* sunt *Vlpianus, Modestinus, Alciatus, Budæus, Turnebus, Hospitalius, Thom. Morus, Muretus, Mynsingerus, Cisnerus, Fichardus*, & hoc nostro æuo oculus ille Iureconsultorum, *Herman. Vulteius*, vir Musis elegantioribus vnicè natus. E Medicis Poëtis sunt, *Ausonius, Fracastorius, Eur. Cordus, P. Lotichius Secundus, Henr. Smetius, Ioan. Posthius, Ioan. Sambucus*, & hoc seculo Cl. V. *Caspar Cunradus Silesius*. E Palatinis Poetis celebres sunt *Franc. Petrarcha, Georg. Sabinus, P. Melissus, Nicol. Reusnerus, Nicod. Frischlinus*, & alij.

E *Criticis & Philologis* præclarè audiunt *Scaliger* pater & filius, *Dusa* pater & filius, *Ioach. Camerarius* pater, *Iacob. Mycillus, Ioan. Stigelius, Siberus* pater & filius, *Georg. Fabritius Chemnicensis, Georg. Bersmannus, David, & Nathan, Chytræi, Ianus Gruterus, Georg. Remus, Dom. Baudius, Frider. Taubmannus*. Ex *Historicis* chorum ducunt, *Ioan. Sambucus, Georg. Buchananus, Natal. Comes, Lil. Gyraldus, Ioan. Rosinus, Henr. Meibomius, Dom. Baudius, Dan. Heinsius.*

E Rhetoribus laudem merentur *Iouian. Pontanus*, *Angel. Politianus*, & alij.

Imò vt è familia Illustr. Baronum, Nobiliumque equestri stirpe Poëtas quosdam ceu florem, decerpamus, triumphum agunt *Zastrisellius*, *Kunquitius*, *Smirtzicius*, itemq; *Strozza* pater & filius, , *Sannazarius*, *Vlricus Huttenus*, *Dusa* pater & filius, *Henr. Smetius*, *Carol. Vtenhouius*, *Ioan. Lauterbachius*, atq; alii complurimi. Vt ità Sole meridiano dilucidius appareat ex omnibus hominum, tàm summæ quàm infimæ conditionis ordinibus à multis hûc-vsq; seculis tot & tot viros omni virtutum atque elegantiarum genere absolutissimos diuino Poëtices studio omnem operam impendisse, omni laude inclaruisse.

Quid verò de eo dicemus, *Poëtas* carminibus atque operibus suis, totam Encyclopædiam attigisse, vt nulla facilè supersit vniuersæ Philosophiæ particula, quę non Poëticis numeris descripta, tentata, illustrataq; sit. Sic *Moyses*, *David*, *Salomon*, *Iesaias*, *Ieremias*, Reges & Prophetæ, Dei Opt. Max. laudes piè vereq; celebrant. Sic ex Ethnicis *hymnos* in Deos fictitios & sacra scripserunt *Orpheus*, *Homerus*, *Pindarus*, *Horatius*, & alii. E Christianis verò sacra ediderunt *Prudentius*, *Iuuencus*, *Arator*, *Vidas*, *Mauritius*, Illustriss. H. L. *Sannazarius*, *Iust. Vulteius*, *Maior*, *Widebramus*, atq; alii penè innumeri. *Astrologiam*, cœli, stellarumq; scientiam tradiderunt, *Linus*, *Aratus*, *Palingenius*: *Physicam* illustrârunt, *Hesiodus*, *Macer*, *Lucretius*, *Empedocles*: Agriculturam tractarunt *Hesiodus*, *Virgilius*: Res pastorales attigerunt *Theocritus*, *Calphurnius*, *Dantes*: Res venaticas persecuti sunt, *Gratius*, *Nemesianus*, *Natal. Comes*: Comœdias recensuerunt *Accius*, *Plautus*, *Terentius*, *Aristophanes*, *Menander*: Tragœdias dederunt *Sophocles*, *Æschylus*, *Euripides*, *Seneca*: Heroica facinora & res militares cecinerunt *Orpheus*, *Homerus*, *Pindarus*, *Virgilius*, *Lucanus*, *Sil. Italicus*. Res amatorias pepigerunt *Anacreon*, *Philetas*, *Menander*, *Corn. Gallus*, *Ouidius*, *Horatius*, *Catullus*, *Tibullus*, *Propertius*, & bona pars recentiorum. Præterea *de Piscibus* scripsit *Oppianus*: de *Theriaca* *Nicander*: de herbis atq; hortorum cultura *Macer*, *Palladius*: de morborum curationibus, *Seren. Sammonicus*, *Marcellus*; de ponderibus & mensuris, *Q. Rhemnius Fannius Palamon*: qui liber à quibusdam *Prisciano* asscribitur. Quid? quod de virtutum præceptis metricè commentatus est *Phocylides & Pythagoras*: de Reipubl. administratione *Solon* & *Tyrteus*: vt de *Satyricis*, *Epigrammatographis*, & id genus aliis permultis, qui res magnas, serias, iocosasq; passim tradiderunt, nihil afferamus insuper, ex quorum omnium computatione euidétissimum fit, nihil tàm diuinum, nihil tàm arduum, scientificum ac præclarum esse, quod *Poëta* nobili artis suæ magisterio non ingeniosè inuestigârint, non apprimè tractarint, non insigniter illustrârint.

E quibus antedictis, atque argumentis aliis plurimis; inpræsentiarum vberius deductum est, tantam fuisse ab omni æuo *Poëtarum* maiestatem, tantam existimationem ac dignitatem, vt tantorum Philosophorum laudes in dubium vocare, nedum malignè ac contumeliosè infamare ipsi autori infame futurum sit.

Antequàm autem ad propositum thema, atq; enodanda verba Petronii nostri, propius veniamus, paucis quibusdam obiectionibus occurremus, quas Musarum osores, ac mastiges, eò quòd ipsi *Poëta* nec sunt, nec artem eam diuinam capere possunt, in optimos alioquin indifferenter *Poëtas*, calumniandi studio, iaciunt, torquentq; : quib' expeditis obiter, facilior nobis ad ea quæ dilucidare interpretariq; intendimus, dabitur transitus.

Inprimis igitur vulgò vulgus non tantum, sed ex illis, qui eruditionis existimationem

nem præ se ferunt, sunt qui clament, *Poëtas*, absque vllo discrimine ac delectu, ipsamq; imò *Poësin*, malè audire, quod fabulas potissimum confingant, de *Diis, Deabus, Veneribus, Gratiis, Musis, Ioue, Marte, Saturno, Apolline, Mercurio*. & id genus infinitis fermè deastris, tùm semideis, *Faunis*, scil. *Satyris, Nymphis*, & similibus, multa ineptè garriant; tùm denique (quod potissimum etiam accusant) de Amoribus, libidinibusq; illicitis in iuuentutem vitiorum atque illecebrarum semina dispergant, vndè olim etiam *Platonis* calculo damnati imò Reipubl. & ciuitate exterminati fuerint: ad quæ principiò antè omnia notandum venit, *Poëtæ* nomen bifariam sumi vel latè, vel propriè. Si itaque latè (vt fit) accipitur, ibi omninò sæpenumerò lippi, tonsores, ambubaiæ, cantores, atque eius farinæ homines triobolarii, qui nunquam facile Musas ne quidem à limine salutarunt, aut, si salutarunt maximè, indignantes tamen eas experti sunt, multoties pro *Poëtis* veniunt, si modo qualicunque pacto versiculum vnum atque alterum è spinoso suo cerebro extrudant; in quos rectè quadrat illud *Satyrici*:

Si natura negat, facit indignatio versum:

Sic enim comparatum est, monente olim *Flacco de re Poët.*

Qui nescit, versus tamen audet fingere —

Plurimos enim reperias, qui sicubi totos dies in combinanda sesqui-linea misertime se se afflixerunt, tandemque ex omnibus, quos in certamen vocant, humoribus tortuose quid elicuerunt, vsque eo spinosum, claudicans, atque asperum id denique est, vt citius, in scirpo, quod dicunt, nodum inueneris, quàm sensum aliquem, nedum salis aut lepóris micam inde hauris. ô Oedipos! Apposite idem *Flaccus d. arte:*

Non satis est dixisse: Ego mira Poëmata pango.

Alios econuerso offendas, qui ad nauseam vsque Enthusiastarum velut more, totam euomunt elumbium carminum segetem, quibus vbiuis terrarum, in omnibus tonstrinis popinisq; e lascimi diuersi antes, se se venales exponunt, ac diuitum (prout paulo infrà patebit) mensis affectantes impostoriis istis fucis, nobilissimam alioquin artem, misere prostituunt, atque infamant. At non cuiuis datum est, ineptas illas à veris carminum deliciis discernere. Optime igitur idem *Venusinus*, siue *Flaccus* ibidem:

Non quiuis videt immodulata poëmata iudex:
Et data Romanis venia est indigna Poëtis.

Vice versâ autem

——— at tenuis non gloria, si quem
Numina læua sinunt, auditq; vocatus Apollo:

prout elegantet accinit *Maro libr. iv. Georg.* Illi igitur tùm demum *Poëtæ* titulo digni nobis censendi veniunt, qui secundum *Flacci* postulata, duo isthæc præstant, vt aut prosint, aut delectent. Sic enim inculcatur in *arte Poët.*

Aut prodesse volunt, aut delectare Poëtæ,
Aut simul & iucunda & idonea dicere vitæ:

Et paucis interiectis:

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci;
Lectorem delectando, pariterq; monendo.

Prout igitur optimarum quarumcunq; artium abusus non quidē ipsius artis præeminentiæ

mentiæ ac dignitati quicquam detrahit: ità isti ardeliones & Pseudopoëtæ, tanquam vulgus profanum, à Musicis melicisque sacris procul relegandi, abarcendique sunt:

Odi profanum vulgus & arceo.

tritum illud *Venusini* est *libr.* III. *Carm. od.* I. De quibus *Bæotis* potius quàm *Poëtis*, imò circulatoribus ac nugivendulis plura isthîc vt aspergamus, omninò abs re fuerit.

At, de veris atq; propriè dictis *Poëtis* nobis iam sit sermo. Quorum bona pars etiamsi fabulas, Cupidines, Amores, Veneresque, vndique in operibus suis dispergant hinc-indè, notandum venit, delicatissimas illas sacrorum optimorumque *Poëtarum* fabulas à nemine, nisi impudenter ac malignè, more vulgi, calumniante, facilè reprehendi; qui quidem aut insitæ crassæ tenebris obfuscatus tàm præstantissimam selectissimis illis quantumuis fabulis [illegible] vtilitatem videre atq; intelligere nequit, aut inuidiæ liuorisq; virulentiâ intoxicatus, etsi cognoscat apprimè, admiretur tacitè, nihilo-minus tamen ex peruersi animi contumacia, obtrectandiq; furiosa libidine laudare laudanda, & dignis elogiis digna afficere de industria refragatur. Quotusquisque enim doctiorum est, [illegible] quem non facilius moueat è rationis gyro decerpta oratio? quem non citius delectat [illegible] elegantiæ facundiæque thymo elaboratum eloquium, quàm nudus & simplex absque vllo nitore atq; ingenio deartuatus & elumbis sermo? *Poësis* igitur cum, *Des. Erasmo* autore, ceu mellificium quoddam sit, ex optimis quibuscunque tum artibus, tum scriptorum monumentis, ad apum imitationem, vndique collectum: Estò! sint, qui incomparabile isthoc studii genus vulgò, ob fabulas atque *ἐπιμύθια* venustissima, minus æstimandum arbitrentur, næ isti per Apollinem! dignissimi videntur, qui crassas *Pythagoræ* fabas, pro tenellulis illis fabulis legentes deglutiant, neque vnquam hanc, quam quidem sacer *Poeta* exindè haurit affatim animi voluptatem percipiant. Et profectò eius-modi diuinæ artis osores, rosoresque, merebantur haud immeritò, quos *Castor* & *Pollux* (sicut *Stesichoro* aliàs, *Poetæ* optimo, ob infame in *Helenam* scriptum, accidisse fertur) oculis, luminumq; vsu priuarent, quoad meliorem cum eodem induentes animum palinodiam canant.

Præterea de Diîs & Deabus, itemq; Semideis, *Poetas* vt plurimum plurima intexere, quid, quæso, aliud est, quàm vt illi ad omnia magna nati sint? Si enim, *Lipsio* suffragante, incredibile est, quantum animus aspectu *Romanarum columnarum, obeliscorum*, & similium rerum prægrandium, in sublime euocetur: certè, annon ex lectione potius tot Deorum, Semideorumque, tot *Heroum* item velut *Herculis, Achillis, Hectoris, Nestoris, Vlyssis, Æneæ*, & plurimorum aliorum (quos omnes *Poetæ* carminibus immortales fecerunt suis) animus in altum euocatur, & seipso velut excelsior redditur? Quod verò *Theologi* huius ætatis non pauci, atque autores non obscuri nominis alii, Christianos modernos *Poetas* blasphemos quasi ac temerarios pronunciant, quod gentiles illos, profanos scilicet atque ementitos Deos carminibus suis velut asserant: iis ità reponimus: vnius cuiusque artis, sicut & linguæ, proprium suum loquendi dicendique genus esse, quo velut natiuo ac genuino sale (maximè, si, quod *Poetis* præcipuum est, antiquitatem exprimere studeamus) è medio sublato, paruum tum denique, imò sæpius nullum fermè superest artis ipsius, quamlibet excellentioris, condimentum. Tolle enim natiuum illum *Latinæ poeseos* (in quo olim fundata primitus, & postmodum exculta est) leporem venustatemque, per Musas! ipsam *poesin* cum amabilissima eiusdem symphonia è medio tolles. Nullus interea, Christianorum inprimis, vatum tàm inops & despe-

desperati animi vnquàm fuerit, qui gentilium ista figmenta atque idola eâ lege sit veneratus. Quorum etiam, si quis maximè reperitur tàm ἄθεος, atque profanus, næ iste ad vltimam vsque *Thulen*,

Aut vbi stat cœli pondere nixus Atlas,

proscribendus foret. Quapropter illis vsu receptis, natiuis carminum formulis, ad conseruandum genuini carminis decus, imò ad altiora euocandos animos, *Poëta* bonus & cordatus vtetur, non abutetur. Ecquis enim, si quando de *Ioue*, *Marte*, *Apolline*, *Mercurio*, *Musis*, *Gratiis*, *Hercule*, *Agamemnone*, *Achille*, atque aliis *Homerici* carminis beneficio immortalibus, legat, non sublimiores animi (prout suprà meminimus) tùm orsus concipiat, tum ad maiora sensim incitetur? Hæc omnia iccircò, quæcunque à legitimis vatibus hûc-vsque obseruantur, nullam nisi in imbecillioribus inexercitatorum, aut alioquin seueriorum hominum animis offensam pariunt, imò contrà potius maximam vtilitatem inferunt. Quodsi qui tamen reperiantur, quorum poëmata turpibus atque obscænis libidinibus vacent, næ istos minimè gentium isthîc excusatos volumus, verum pietatis enormiter transgressæ, pudicitiæque violatæ reos pronunciamus. De iocis interim, salibus, ac leporibus, quibus vtique *Elegiæ*, *Epigrammata*, *Lyrica*, *Satyræ*, *Comœdiæ*, carere non possunt, longè alia ratio est. A prima siquidem vatum pene origine vix vnus atque alter facilè reperitur, qui non ignes atque amores suos aut ex instituto describat, aut in captandæ carminis materiæ delectu animi gratiâ iisdem sese, fallendi temporis igitur, oblectet. Eleganter *Flaccus*, *libr. Carm.* IV. *Od.* XI.

——*Minuentur atræ*
Carmine curæ——

Hinc pleni tàm veterum, quàm recentiorum autorum *Veneribus*, *Amoribus*, *Gratiis*, &c. sunt libelli. Imò à quibusdam (non de nihilo prorsus) eò allusum fuit, illum qui quidem sine amoribus Poëticam tractarit, genuinum, & gnesium *Poëtam* non esse. Sicut enim Musicæ harmoniæ atque cantilenæ illæ ferè omnium amabilissimæ, iucundissimæque sunt auribus, quæ amoris aliquid venustatisque (quæ ideo à Venere dicta) sapiunt, ità similiter magnam partem vatum cultiorum opera amœnissimo illo *Venerum Gratiarumq́;* nectare delibuta, reliqua, quæ leporibus illis destituuntur, multis præcedunt parasangis. Nihilo-minus eorum maximè Musas approbamus, amplectimurque, quæ verecundæ, pudicæ, lepidæ,

Et quorum nullum crimen in igne fuit.

Horum quantumuis interdum verba liberiusculè exspatientur, in carmine luxuriam excusamus, in mente verecundiam probamus. Quem fermè in modum gentilis ille *Catullus* non incongrue pronunciat *libro Carmin.*

——*Castum decet esse pium Poëtam*,
Versiculos nihil necesse est.

Nos verò etiam versiculos castos volumus, non vsque quaque frœna illis extrà id ipsum, quod decet, remittentes. Quo respexit ferè, lasciuus quantumuis aliàs, *Flaccus Carm. libr.* III. *od.* XXIV.

Eradenda Cupidinis
Praui sunt elementa: & tenera nimis
Mentes asperioribus
Formanda studiis——

Fff Quod

Quod vnicum denique restare videtur, dispiciendum iam tandem, colophonis igitur, quo pacto PETRONIVS noster, ipse aliâs *Poëta* facundissimus, *pag.* 43. *Poëtas leuitatis* in genere arguat, & quonam potissimum sensu isthæc ipsius verba accipienda veniant, dum discertè inquit: *Putabam ego senem iocari leuitate Poëticâ.*

Quę quidem verba si superficialiter accipiantur, non possunt non *Poëtarum* quantumlibet elegantium autoritatem atque existimationem (quam quidem superius prolixè asseruimus) labefactare, pręsertim, cum ab eo allata sint autore, qui *Poëta* ipse alioquin erat tersissimus, tametsi lasciuis quoque amoribus (prout *Neronis* ferebat tempestas) deditissimus.

Ad quæ principio subinferimus, illa verba de iis maximè *Poëtis*, qui libidinis furiosæ œstro, adeoque secundum *Democriti* mentem, vero furore aguntur, quique obscœna quæq; non tàm reipsa perpetrare, quàm carmina sua porcinâ ista venereâ spurcitie cõtaminare nequicquam dubitant, intelligenda esse. Quorum è catalogo chorum ducunt *Horatius* atque *Ouidius*, maximè inter *Poëtas* vt vocant classicos. Ille enim (*Horatius*, inquã) tàm intępe ranris fuit libidinis, vt speculato cubiculo scorta dicatur habuisse disposita, vt quocunq; respiceret, ibi ei imago coitus referretur, autore *Suetonio Tranquillo*.

Cuius obscænitatis impurissimæ pleni quoq; hinc indè sunt eiusdem *Horatii* libelli, vt de vlteriori testimonio non sit disquirendum. Hic verò (*Ouidius*) quàm supinę homo fuerit lasciuiæ, vberrime, & plus quàm satis apparet *ex libris amorum, & de arte amandi*, qui non solum libidini vacare, sed aliis etiam artem artificiose impuneq; scortandi tradere studuit. Ob quorum libellorum exprompta m ac seductitiam lasciuiam *ab Augusto Imp*. aut, vt quidam malunt, ob adulterium cum *Liuia*, *Augusti* filia, exul in *Pontum* missus est.

Superioribus ætate aliquantum maior, sic effrœni libidinis æstu non inferior fuit *Cornel. Gallus*, cui vel seni existenti capulari nihil potius doluit, quam vt fornicationibus, velut anteà, indulgere non posset. Eiusdem commatis sunt *Martialis*, *Tibullus*, *Propertius*, & alij.

Prædictos igitur *Poëtas*, quantum ad obscœnam lasciuiam, quis non leues dicat, imo leuissimos? Quis maximè ipsum PETRONIVM, libidinibus prorsus excæcatum, non arguat exquisitæ in eo leuitatis? Interim tamen vniuersa eorundem eruditio, vniuersa opera, quibus nõ minus multa quoq; præclara atq; vtilia tradiderunt, multò minus ipsa *Poësis* & diuina carminum facultas, culpanda sunt, aut omninò malè audire debent. Tritum illud *Pentametrum* hîc locum meretur:

Vsus habet laudem, crimen abusus habet.

Ad cuius, ceu veri epiphonematis, imitationem, *in Studioso-milite* nostro ità allusimus:

Musa ceu niuea constant sine felle columbæ;
Mente teres nullos callet Apollo dolos.

Et posteà:

Ergo vides vsum studiorum propter abusum
Non ideò pondus deposuisse suum.
Sed veluti virtus vitiis collata nitescit
Purius, & rutilum spargit in orbe iubar.
Sic artes etiam, prauos si demis abusus,
Ipso splendidius lumine lumen habent.

Istis igitur spurcissimis, atque in quantum leuissimis autoribus opponamus è contrario

uerſo caſtiſſimos grauiſſimoſque *Poëtas*, *Homerum*, ſcil. *Heſiodum*, *Euripidem*, *Lucretium*, inprimis *Virgilium*, qui quidem ob mores commendatiſſimos ideo olim dictus erat *Parthenius*. Is enim, præter alia, *Æneæ* & *Didonis* concubitum, *Equarumq́;* à vento cóceptum, tàm honeſtiſſimâ verborum periphraſi repræſentauit, vt verecundius non potuerit. Quis pariter *Lucanum*, *Auſonium*, *Sil. Italicum*, *Claudianum*, *Prudentium*, *Senecam*, *Vidam*, *Sannazarium*, *Pontanum*, *Palingenium*, & complures tàm è veterum quàm recentiorum cohorte probatæ vitæ vates, leues indigeter, cum in illis ne tantillæ leuitatis indicium inuenire ſit?

Deindè, leuitatis nota in eos maximè quadrat, qui diuitibus adulantur, & quantumuis *Poëtæ* non ſunt, haberi ſaltem volunt; ideoq; carminibus oſtiatim ſparſis cœnas venantur, ſtipem emendicant, adeoque cum ſe ſe, tum egregia (ſi Diis placet) carmina ſua venalia faciunt, proſtituuntq;. Eiuſdem farinæ *Horatium* primitus fuiſſe, antequam in *D. Auguſti Imp.* amicitiam veniſſet, indicant ſequentia verba ab *Auguſto Imp.* ad *Mecœnatem* ſcripta: *Antè* (ſcribit) *ipſe ſufficiebam ſcribendis epiſtolis amicorum: nunc occupatiſſimus, & infirmus, Horatium noſtrum te cupio adducere. Veniet igitur ab iſta paraſitica menſa ad hanc regiam, & nos in epiſtolis ſcribendis adiuuabit*: vt autor eſt *Suetonius*. Moris enim olim erat apud *Romanos*, vt homines diuites, atq; opulenti, famam quoq; ac nomen aliquod ab eruditione, qua vtcunq; imbuti erant, venarentur. Ideoque vt plauſum ſibi facerent, & poëmaria ſua attentis auditoribus laudatoribuſque recitarent, ſoliti erant, *Poëtas* eiuſdem commatis, id eſt; gnathones ac paraſitos, ad menſas ſuas crebrius adhibere. Qui quidem circulatores, homines improbè leues, *Cœnipetæ* ideò dicti, non quidẽ carminum, ſed cœnarum gratiâ, inuitantibus applaudebant. In quos extat *Catullianum* iſthoc:

Quærunt in triuiis vocationes.

Martialis præcipuè, ſi quis alius, moris iſtius gnarus, *Cœnipetas* ſimiles non ſemel falſe attingit:

Quod tàm grande ſophos clamat tibi turba togata,
Non tua, Pomponi, cœna diſerta tua eſt.

Idem in *Ligurinum*:

Hac tibi non alia eſt ad cœnam cauſſa vocandi,
Verſiculos recites vt, Ligurine, tuos.

Pariter *Perſius* acclamat:

——— *calidum ſcis ponere ſumen,*
Scis comitem horridulum trita donare lacernâ.

Eundem morem *Horatius* execratur *in Epiſtolis*:

Non ego ventoſæ plebis ſuffragia venor
Impenſis cœnarum, & tritæ munere veſtis.

In eoſdem igitur *Pſeudo-poëtas*, id eſt, gnathones, Paraſitos, & cœnipetas (quale hodierno quoque ſeculo vulgus *Poëtarum* eſt) PETRONIVM dixiſſe ad oculum ſaxo vt liqueat. Ità enim *pag.* 4. *Encolpius*, apud ARBITRVM: *Multò* (inquit) *me turpior es tu hercule, qui, vt foris cœnares, Poëtam laudaſti.* Ibidem: *Non recuſauit Aſcyltos, & Hodie, inquit, quia tanquam Scholaſtici ad cœnam promiſimus, non perdamus noctem.* Iccircò idem *Encolpius*, apud PETRON. *pag.* 24. *poëtæ* vulgo nomẽ, ob impoſturas illas, tùm tantùmnon infame, allegat: *Timui* (inquit) *ego, ne me poëtam vocarent.* Quo facit idem illud *Encolpii pag.* 26. *Nam ſi aliquis* (ait) *ex his, qui in eodem ſynacio potant, nomen Poëtæ olfecerit, totam concitabit viciniam, & nos omnes ſub eadem cauſſa obruet.*

Tantum autem non in cœnis, sed etiam in balneis, quorum vsus illis temporibus quotidianus erat, carmina à maleferiatis eius commatis *Poetis* recitabantur. Aperte id indicat PETRONIVS *pag.24. Supprimere ego querelam iubeo, ne quis consilia deprehenderet; relictoq; Eumolpo (nam in balneo carmen recitabat) &c.* Similiter extat *pag.25. Nam & dum lauor, ait, penè vapulaui, quia conatus sum circà solum sedentibus carmen recitare: & postquàm de balneo, tanquam de theatro eiectus sum, &c.*

Rectissimè quapropter PETRONIVS, qui aliàs *Poëta* ipse facundissimus, diuinam facultatem mirificis extollit laudibus, *Poetas* eius-modi, lasciuos scil. & libidinibus deditos, tum cœnipetas atque gnathones, condigno mehercle! elogico leues esse arguit. Sic enim *pag.13.* habet: *Iocari ego senem Poetica leuitate credebam.*

Tertio: Ipsi quoq; interdum *Poetæ*, aliás optimi commatis, liberiuscule inter se se de hoc studio, tenaciter, vbi aliquis ei semel addictus est, sibi adhærente, iocari consueuerunt, non quidem contemptus caussa, sed ne omninò semetipsos ob id magni æstimare videantur. Hunc in modum *Ausonius, in Epistola ad Symmachum, Poësin* suam per iocum, non per ludibrium, *Scabiem* appellat, à qua tamen etsi liberari possit, non velit, & si velit, non possit. Sed verba ipsa adscribamus: *Hunc (inquit) locum deternario numero ilicò nostra illa Poetica scabies cœpit exculpere: cuius morbi quoniam facilè contagium est, vtinam ad te quoq; prurigo commigret: & fuco tua emendationis adiecto impingas spongiam, quæ imperfectum opus equi malè spumantis absoluat.* Simili ferme ingenio è recentioribus *Poëtis, Nicol. Borbonius Poemata* sua, alioquin elegantissima, vocat *nugas*, etiam in frontispicio atque inscriptione libelli: sua vero *Ioan. Posthius parerga*; sua *P. Melissus Schediasmata*, & *spinas*: sua quoq; *Ian. Gruterus pericula* nuncupat: dubio procul, ne quà ità videantur ipsimet autores fœtus suos, *simiarum* more, nimis deperire, quamuis illa opera non *nugæ* propriè, non *parerga*, non *schediasmata* aut *spinæ*, non *pericula* quoq; dicenda veniant. Apprime ergo *Horatius lib.1. Carmin. od.VI.* ad finem, videtur hunc PETRONII locum illustrare, vbi *leuem* semetiipsum vocat, tanquam amoribus & libidinibus illaqueatum, imo ob id ipsum leuem, atq; inconstantem. Sic autem ibi:

Nos conuiuia, nos prælia Virginum
Sectis in iuuenes vnguibus acrium
Cantamus, vacui, siue quid vrimur,
NON PRÆTER SOLITVM LEVES.

Quartò deniq;: Ne cuiquam PETRONIVS *Poeticam* contempsisse, *poetasque* indifferenter leuitatis atq; infamiæ insimulasse videatur, contrarium ex eodem autore allegabimus illico; vt pateat, maiorem maiestatem nullum pene scriptorem *Poeticæ* tribuisse, quàm eundem ipsum ARBITRVM nostrum.

Is autem *pag.24. Poetas* diuine loqui autor est, velut hoc illis sit proprium. *Minus (inquit) quàm duabus horis mecum moraris, & sæpius Poeticè, quàm humanè locutus es.* Idem infrà *pag.3.* studium *poeseos* commendat, tanquam quod à teneris annis cum ipso velut nutricis lacte imbibendum sit:

——det primos versibus annos,
Mœoniumq; bibat felici pectore fontem.

Inprimis autem super *Poetarum ac Carminum* dignitate oratio, quæ extat apud eundẽ ARBITRVM *p.44.* Cedro inscribi digna est. *Multos inquit Eumolpus, ô iuuenes, carmẽ decepit, nam vt quisq; versum pedibus instruxit, sensumq; teneriorem verborum ambitu intexuit, putauit se*

conti-

continuò in Heliconem venisse. Sic forensibus ministeriis exercitati, frequenter ad carminis tranquillitatem, tanquã ad portum faciliorem, refugerunt, credentes, facilius poema exstrui posse, quàm controuersiam sententiolis vibrantibus pictam. Cæterùm, neq; generosior spiritus vanitatem amat, neq; concipere, aut edere partum mens potest, nisi ingenti flumine literarum inundata. Effugiendum est ab omni verborum, vt ita dicam, vilitate; & sumendæ voces à plebe summotæ, vt fiat,

Odi profanum vulgus & arceo.

Præterea curandum est, ne sententiæ emineant extrà corpus orationis expressæ: sed intecto vestibus colore niteant. Homerus testu, & Lyrici, Romanusq; Virgilius, & Horatii curiosa felicitas. Cæteri enim aut non viderunt viam, quâ iretur ad carmen, aut visam timuerunt calcare. Ecce, belli ciuilis ingens opus quisquis attigerit, nisi plenus literis, sub onere labetur. Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt, quod longè melius historici faciunt, sed per ambages, deorumq; ministeria, & fabulosum sententiarum tormentum præcipitandus est liber spiritus; vt potius furentis animi vaticinatio appareat, quàm religiosæ orationis sub testibus fides. tanquam si placet hic impetus, etiamsi nondum recepit vltimam manum. Hæc conceptissimis verbis PETRONIVS; è quibus omnibus PETRONIVM cum PETRONIO conciliare facile est.

Vnicum adhuc superest, vt caussam, cur *Plato* olim è Republ. *Poëtas* exterminarit, proscripseritque, afferamus huius facti. Dicimus autẽ hoc *Platonem* fecisse ideo, quia tum *Poëtæ* maximè seruiebant libidinibus, atque vt plurimùm *Comici* erant, qui *Comœdias* scribentes eas publicis in theatris exhibebant, quarum repræsentatione, ac quotidiano penè intuitu, eò quòd lasciuiis refertissimæ essent, animi hominum inescabantur, imò molliores effeminatioresque reddebantur, quàm ad res militares atque imprimis gerendam Rempublicam, atque ab hostibus defendendam eâ tempestate à *Platone* requirebatur. Qua de caussa commotus *Plato*, non quòd *Poëtas* non magni faceret, quippe qui, inter alios grauissimos autores, *Poëtas*, tanquam Deorum progeniem, singularissimis præconiis ad inuidiam penè exornauit, sed quòd eosdem ac velut incantamento aliquo, dulcedine scil. admirandâ, quiduis efficere facilè posse apprimè pernosset. Iccircò certas leges condidit, quatenus nimirum *poëmata* iuxtà ciuitatis statuta in posterum promulganda forent. Atque isthæc (sicubi attentius consideraueritmus) *lex Platonica Poëtarum* summam magis dignitatem omnino auget, quàm vt vllo pacto minuat. Numquid enim hæc tibi maxima est artis poëticæ præeminentia & nobilitas, posse eam talia ac tanta, imò omnia summa, & maxima, eloquii ac sermonis facundi illecebris exprimere, quæ facilè vniuscuiusque animum ambrosio succo delibuere, elegantiâ politiorem formare, atque acumine admirando atque singulari ingeniosiorem reddere sustineat? Ex quo vsus in liberales reliquas artes, studiaque, vt vocant; humaniora redundat amplissimus, dum ex illustribus nobilium *Poëtarum* scriptis eloquii puritas, styli ac venæ flumen, imò aurea exquisiti sermonis numerosi cornucopia per communicationem, imò per traducem velut implantatur? Maneat igitur isthoc, loco corollarii alicuius; *Poëtas* elegantiores non solum æra metere diuinâ illâ suâ facultate, sed meritis quoque laudibus, adeoque æterno elogio (quo ipsi etiam innumeros alios benè meritos immortales faciunt) dignissimos esse: quos, ne memoria illorum pereat, Musæ ipsæ vetant mori; atque vt *Flaccus* accinit *Carm. lib.* IV. *od.* VIII.

Cælo Musa beat ——

vt meritò cum *Lucano libr.* IX *Pharsal.* exclamare, & plaudere possimus:

O sacer, & magnus Vatum labor, omnia fato
Eripis, & populis donas mortalibus æuum.

Caput IX.

O*Sculum* quid? *Oscula* fugienda, præsertim immoderata, ac feminarum impuratum. Ex iis *Lues Venerea* propagatur. Antiquitas *oris stupri* meminit; *fellationem*, obscœno vocabulo indigetant. Eius synonymæ voces: *Lesbiari, Corinthiari*, &c. Oris fœtoris caussæ. Vnde ieiunis anima maximè fœteat? In textu PETRONIANO legendum potius *spiritus ieiunio macer*, quàm *spiritus ieiunio acer*. Vbi *Ch. Richardi* opinio refutatur. Alarum sudor, siue *Hircus*, quid? Eius synonyma, caussæ. *Lue Venereá* affecti hircoso per totum corpus ferè odore fœtent. Cura fœtoris tum oris, tum alarum, insinuatur. Ad vtrumque recensentur remedia. Veteres ad *hircum* depellendum loca sub alis depilabant. Id autem fit medicamentis, *Psilotru* nominatis. Eorum facultas, & differentia.

AGEDVM vlterius progrediamur in PETRONIO. Penes quem *pag.55. Circe* ad *Polyænum* his verbis: *Quid est, inquit, numquid te osculum meum offendit? numquid spiritus ieiunio macer? numquid alarum negligens sudor?* quæ omnia ex præscriptis Medicorum explanari à nobis debent.

Eodem autem referri possunt, *osculi, spiritusq́; impuritas*, imò *hircus* etiam, siue *alarum sudor*, cùm singula ea à fœtore in corporibus proueniant. Fœtor verò quædam putredinis est soboles. Sed putredinis caussæ, quæ quidem spiritum oris (alii animam siue anhelitum dicunt) inficere ac contaminare queunt, altiùs paulò indagandæ sunt. Certum autem est, eius hominis, cuius spiritus, vel anhelitus, fœtet, marcet, aut putet, osculum quoque absque fœtore esse non posse. *Osculum* enim nihil aliud est, quàm oris ad os mutua applicatio, mutuique velut anhelitus participatio. Rectè hîc *C. Barthius* ad *Claudianum num.* 875. *Quia* (inquit) *ita amantes in fruitione mutua depinguntur affecti, vt mutuis oribus, si fieri posßit, ipsarum animarum fierent commercia. Ouidius libr.* II. *Amor. Eleg.* V. linguarum commercium appellat:

——tota labellis
Lingua tua est nostris, nostra recepta tuis.

PETRONIVS animarum mixturam vocat. Sic enim de *Polyæno* & *Circe* pag. 58. *Iam alligata* (inquit) *mutuo ambitu corpora, animarum quoque mixturam fecerunt.* Idem *pag.* 17. longè elegantius:

Qualis nox fuit illa, Dii Deæq́;!
Quàm mollis torus! hæsimus calentes;
Et transfudimus hinc & hinc labellis
Errantes animas. Valete curæ:
Mortalis ego sic perire cœpi.

Quâ occasione *P. Lotichius Secundus* meus, *libr.* II. *Carm. ad Matth. Stoium*, præfatum *Stoium*, amicissimum suum, tantoperè hortatur, vt oscula feminarum immoderata fugiat, vtpote quæ nescio quid occulti in se habeant, deque anima in animam transeant. Sic autem ille:

Scilicet alterni captatus spiritus oris
Nescio quid iunctis motibus intus agit:
Ex animaq́; vagam, lenem velut, excipit auram:
Dum cupit ardores cor reuelare suos.

Et paulò pòst:

——tu, candide Stoi,
Dulcibus illecebris oscula mista caue.

Vt hic

Vt hîc nihil, aut parum dicamus, de feminis prostitutæ libidinis, quæ contagiosâ lue infectæ, potissimum verò, communi scortorum dicto flagello, *Lue*, inquam, *Venereâ*, intus conspurcatæ, tantùm nō isto fœtore, qui anhelitu haud difficulter se se manifestat, amantes inficiunt, pessundantq; sæpenumerò penitus, vt eâdem lue correpti postmodum animā fœtidam miserrimè exspirent. Quod si enim febricitantes ex mutuo poculorum saltem contactu, quo alteri alter præbibit, sanos alioquin in febres eius-modi, similesq; ægritudines perducere satagunt; quantò magis ii, qui toto corpore intus impuri & pestilentes sunt, osculis suis turpissimis, tāquam quæ maiorum virium sunt, inficere atque contaminare mutuò valeant? *Lues* enim *Venerea* acquiritur (vt notum est) *coitu, osculo, poculis, accubitu*, in iis præsertim partib⁹, quæ molles & spongiosæ sunt, quæque faciliùs impressionem, saliuam, atq; eius-modi saltem non pestilentem qualitatē, sed quantitatem recipiunt. Sic ex lodicibus, & vestimentis, quibus Lue Venerea infectus vsus fuit, per motum (ex quo calor) sudoremq; (ex quo per poros cutis laxatos irrepit malignus humor) virus istud poris & meatibus cutis se se promptè insinuat, eâq; ratione humores in corpore reliquos contaminare sufficit. Itidem in *Scorbuto*, vbi oris fœtor insignis, præsertim verò in *Peste*, accidit, vbi oscula infectorum nimis caro constant, dum promptè interficere apta sunt.

PETRONIVS interim, atq; obscœna vetustas, oscula, orisq; impuritatem istam secus interpretantur, de oris, vt vocant, stupro obscœnissimo: quām *fellationem* infami vocabulo appellant. *Fellatrices* autem mulieres istæ dicuntur, quæ medios viros ore libidinoso lambunt, eorundemq; inguinibus inhærescunt, autore *Arnobio*. Et *fellatores* dicuntur homines malæ linguę, id est, malè olentis, & fœtidæ. Hinc de *Cynædo* apud PETRONIVM: *Me basiis* (inquit) *olidißimis inquinauit*. Idem *pag*. 4. de *Encolpio*: *Quibus ego auditis, intentaui in oculos Ascylti manus: & , quid dicis, inquam, muliebris patientiæ scortum, cuius ne spiritus purus est?* Ibidemque: *Non taces nocturne percussor, qui ne tum quidem, quum fortiter faceres, cum pura muliere pugnâsti.* Et *pag*. 10. *Consumptis versibus suis immundißimo me basio conspuit.* Hûc facit illud *Lactantii lib*. VI. *cap*. XXIII. *Quorum* (inquit) *teterrima libido & execrabilis furor ne capiti quidem parcit.* Et *Gregorii Nazianzeni* apud *Anastasium Nicenum Quæst*. LXXIX. *in Scriptur. Eos qui sunt viri inter mulieres, & mulieres inter viros, qui cum naturali more non possunt libidinari, lingua scortantur.* Neque abludit *Seneca libr*. II. *de ira, cap*. VIII. *Raptus* (habet) *ad stupra, & ne os quidem libidini exceptum.* *Catullus* præsertim eius libidinis haud ignarus extitit, qui ita:

——*pura impura puella*
Suauia comminxit spurca saliua tua.

Per impuram autem puellam *fellatricem* mulierem intelligit. Hinc illud quoque de *Coruis* natum, qui *fellatores* dicuntur apud *Martialem*:

Corue salutator quare fellator haberis?
In caput intrauit mentula nulla tuum.

De turpitudinis autem huius origine sic habet *Desid. Erasmus* Chil. III. *Cent*. VII. LXX. *Aiunt* (inquit) *turpitudinem, quæ per os peragitur, fellationis opinor, aut irrumationis, primum à Lesbiis amatoribus fuisse profectam, & apud illos primum omnium feminam tale quid passam esse.* Et *Ioseph. Scaliger* in *Catalect. Virgil*. scribit: *Lesbii* ea infamia flagrarunt. *Ausonius*: *Cui ipse linguam quum dedit suam, Labda est.* *Labda* est is vel ea, qui vel quæ λεσβιάζει, hoc est, μολύνει τὸ στόμα. Huiusmodi quoq; detestandæ libidinis homines *Labdas* vocat *Varro* in *Margopoli* περὶ ἀρχῆς. Et vt *Lesbii*, ita *Campani* quoque malè de hac re audiebant. *Ausonius*:

Et quam Nolanis capitalis luxus inussit.

Idcir-

Idcirco ită locus *Horatii* exponendus, in quo frustra hactenus *Medici* se torserunt;

Campanum in morbum, in faciem permulta locutus.

Id veteres *Latini* vocabant, *Offendere buccam.* *Varro Marcipore: Offendit buccam Volumnio,* hoc est, μηλύνει τὸ στόμα. *Illudere ori* dixit *Suetonius.* Hucusque *Illustris Scaliger.*

Græcis itaque λεσβιάζειν, Latinè *lesbiari*, id est, *fellare*, ac polluere dicitur: quod alio quoque vocabulo, nimirum λειχάζειν, efferunt. His confine illud est, quod Græcis Atticis λίπεσθαι fertur, in eos, qui Veneri nimis libidinose vacant. λεπίζω enim sonat deglubo, quæ vox apud Latinos obscœnitatem redolet. λέπος enim Græcis pellem significat, quod Latinè *scortum* dicimus: de quo infrà *cap. de scorteo fascino.* *Aristophanes in Vespis* meminit moris illius *Lesbii*:

Μέλλουσα ἤδη λεσβιεῖν τοὺς συμπότας.

Quæ combibones iam suos contaminet.

Synonyma huius turpitudinis plura allegat *Ian. Dusa in præcidan. ad Petron. Pura*(inquit) *mulier libera est immunisq́; à fœditate morbi Campani, quem Nolanus assignat Ausonius, Lesbiis vsurpatum antiquitus: vnde & λεσβιάζειν. Quod dissimulanter innuere volentes Latini illi veteres Plautus, Varro, Seneca, Tranquillus deniq́; Comprimere linguam, offendere buccam; Ori, seu capitis cuiuspiam illudere (quibus respondent: Mergere caput, comprimi; ore alicui morigerari) periphrasi multò honestissimâ circumscripsêre. Martialis libr. IX.*

Improbius quiddam ridensq́; rubensq́; rogaui:

Pollicita est nullâ luxuriosa morâ.

Sed mihi pura fuit———

Vbi (addit) *hoc quoq́; obseruabis, non de nihilo esse, quòd luxuriosæ Epitheton attribuerit fellatrici.* Et paucis interiectis: *Eodem quoq́;* (ait) *honestatis velamento in diuerso Cunnilingorum genere, hoc est, Varronianis Labdis notandis vsa Latinorum verecundia: exempli gratiâ: Occultare se demisso capite; perdere caput in aliqua; Molas lingere: Obligurire: cuius rei infamia Tiberio quoque hircoso ac olido seni clarè & publicitus Attellanico Exodio exprobrata apud Suetonium hisce verbis:*

Hircus vetulus naturam capreis ligurit.

Hactenus *Dusa.* Plura de hoc nefando vitio *Hieronym. Magius IC. lib. II. Miscellan. cap.* XX. *Gasp. Scioppius Comment. in Priapeia. Ioseph. Scaliger Annot. in Catalect. ad Priap. carm.* LXXVII. *Gomezius IC. Commentar. ad Leges Tauri,* & alii alibi. Talis autem *Labda* fuit quidā *Doctor Medicinæ,* vulgo *Tampisius* à malignitate morū dictus, interim *Lexico Italo-Gallico-Latino* edito, & dignitate senatoria in patria clarus, qui postquam multos iuuenes nefaria hac Venere flagitiosissimè imbuisset, tandem captus, rogo addictus, & viuus combustus, vt sacerrimus Sodomita, *Geneuæ* fuit anno *M.DC.III.* publicè confessus, se primùm in *Italia* hoc flagitio fuisse à quodam vetulo Medico infectum, cui pro famulo inseruierit; referente *D. Goldasto.*

Præter superius enumerata *fellationis,* ac *lesbiationis* synonyma, obscœnitatis plena, veteres insuper vulgato ioco eos, qui scortationibus atque lustris vacabant, quique lenocinia faciebant, dicebant *Corinthiari,* Græcis Κορινθιάζεσθαι; autore *Erasmo Roterod. Chil.* IV. *Centur.* III. LXIIX. Sumptum autem illud, ait, fuisse à meretricibus *Corinthiensibus.* Apud *Corinthios* enim tantus honos habebatur olim meretricibus, vt, vel *Athenæo* teste, illîc in fano *Veneris* prostarent, inprimis verò in solemnibꝰ precibus illud adderetur, vt Diî augerent numerum meretricium. Sed ad PETRONIVM.

Quantum

Quantum ad caussas attinet fœtoris illius, qui in anhelitu spirituque (ne dicam osculis) multorum, præsertim ieiunorum, obseruatur, eas coniunctim (prout suprà innuimus) referimus ad putredinem, eamque vel generalem, vel specialem. Per putredinem generalem intelligimus humorem vnum, pluresque, intus in corpore vniuerso ex peculiari quadam, eaque vel manifesta, (prout in *phthisi* ex pulmonibus exulceratis, itemque *Scorbuto* ex liene fit potissimum) vel occulta atque incognita (sicut in *Peste* & *Lue Venerea* fieri amat) qualitate corruptos infectosque esse. Vice versa particularem hanc vocamus putredinem, quando fœtoris focus aut in ventriculo, ex humoribus inibi corruptis, aut in vlcere oris, palati, aut faucium, nariumque particulari, aut in dentibus erosis, nigris, vermiculantibusque fundatur: vnde per consensum spiritus oris vicinarum partium contagio necessitate quadam graueolens redditur. Prout igitur hoc ex ἰδιοπαθείας, ità illud ex συμπαθείας oriundum est. *P. Bayrus libr.* VI. *pract.cap.*I. *Fœtor oris* (inquit) *aut fit propter putredinem & vlcera narium, & eius cura dicta est de fœtore & vlcere Narium. Aut propter vlcera putrida circà partes oris, & eius curatio dicitur de Alcola, & de vlceribus oris. Aut fit propter communitatem stomachi, ab humoribus aggregatis & corruptis in stomacho: & eius cura est euacuatio primò illius humoris, sæpè euacuationem iterando, cum medicamento conuenienti. Quodsi materia in stomacho corrupta fit biliosa, purgetur cum infusione Aloës, aut infusione Rhabarbari, & aliis materias biliosas purgantibus. Si verò materia in stomacho sit pituitosa & putrefacta, purgetur patiens cum Hiera, aut stomachico Mesues, aut aliis phlegma putridam euacuantibus.*

Rondeletius Method.curand.morb.cap. LXXVI. *Fœtor oris* (ait) *vel per corrosum dentem fit (relinquitur enim in cauitate dentium aliquid ex assumptis, quod, dum putrescit, os fœtens reddit) vel propter vlcus in interna parte oris factum, vel propter pulmonis vlcus, vel propter alimenti corruptionem, vel propter nimium carnis vsum. Nam, vt experientiâ compertum est, omnia animalia, quæ carne vescuntur crudâ, vel multâ, animam malè olentem habent. Item accidit propter nimiam humiditatem partium oris; Pro diuersitate harum caussarum oportet rationem curandi inuenire.*

Veriùs tamen distinxisse videtur in isthac caussarum indagatione P.Forestus, *lib. Obseruat.Medicinal.* XIII.*scholio obs.*XIX. *Caussas* (inquit) *varias esse diximus malè olidi spiritus lib.*XIII.*obs.*II. *iuxtà quas etiam curatio variatur nam sicuti ex ozænis & Polypo oris graueolentia fieri potest, vt diximus: ita etiam ex labiis vlceratis & gingiuis, tàm aliis oris partibus, de quibus nunc agimus, vt in Scorbuto malo quoque vidimus, os malè olet. Propterea præceptor meus Fauentinus omnes caussas ad duos modos referebat, ex omni, inquam, genere superfluitatum in corpore abundantium, quæ ab opere facultatis concoctricis derelictæ in putridum odorem, & molestum vertuntur, qui odor in cerebrum delatus sensum mouet odoratus, si per foramina palati ad os perueniat, & nares, extràque exspiret, tàm ægris ipsis, quàm vicinis molestus. Alius modus est caussarum particularium, à propriis membris corruptis, putrefactis, aut vlceratis prodeuntium, à gingiuis erosis, vlceratisque, vel putridis, aut in extima dentis superficie, aut in intima eius substantia, vel radice, vel ex inflammationibus, vlceribusve gurgulionis, & tonsillarum, aut ex pulmone vlcerato, vel tabe, iuxtà* V. *Aphor.* V. & VII. *Aphor.* XVI.

Ouidius amatores discipulos suos illum inter alia ad elegantiam, munditiemque hortatur, omninò oris fœtorem, atq[illegible] emendare iubet, vt quibus puellæ potiùs fugentur, quàm alliciantur. Sic autem [illegible]:

Nec malè odorati sit tristis anhelitus oris,
Nec lædat nares virq́; paterq́; gregis.

Idem *libr.* III. *de Arte:*

Quàm sæpè admonui, ne trux caper iret in alas,
Neve forent duris aspera crura pilis.

Huic accinit *Catullus:*

Lædit te quædam mala fabula, quâ tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.

Neque abludit *Martialis lib.* IV. *Epigram.* IV. in *Bassam* malè, quâ anhelitum oris olentem; qui fœtorem istum cum rebus quibuscunque fœtidissimis, obscœnissimisq; comparat:

Quod siccæ redolet palus lacunæ,
Crudarum nebula quod albularum,
Piscinæ vetus aura quod marinæ,
Lassi bardaicum os quod euocati,
Quod bis murice vellus inquinatum,
Quod ieiunia sabbatariorum,
Mœstorum quod anhelitus reorum,
Quod spurcæ moriens lucerna Ledæ,
Quod ceromata face de Sabina,
Quod vulpis fuga, viperæ cubile,
Mallem, quam quod oles, olere, Bassa.

Multo autem luculentius, quàm *Martialis*, ea omnia, quæ in fœtorem oris dici possunt, complexus esse videtur è recentioribus *Poëtis*, *Nicol. Borbonius*, *Gallus*, Epigrammatographus non infelix, tetrasticho *in Hugonem*, quod extat *libr.* I. *Carm.* XVI.

Si tibi sint omnes, quos India mittit, odores,
Hugo, quos Arabes, Æthiopesq; nigri.
Si tibi sit (breuiter) quicquid capit orbis odorum,
Ore tuo putet nulla latrina magis.

Familiare itaque ieiunis illhoc potissimùm est, vt anima ipsis grauiter oleat, cùm eo tempore *ventriculus* à cibis sit vacuus, eoque pacto nidor fœtorque excrementorum in *Intestinis* stabulantium per stomachum & deinde œsophagum in os vsque eructet, autore *Platero*. Is enim *libr.* III. *Prax. de causis efflationis*; ità habet. *Sed & oris* (inquit) *fœtidus anhelitus ab intestinorum excrementis prodire solet, quando ob nimiam laxitatem & dilatationem ventriculi, illiusq; præsertim orificii, pylori dicti, quo in intestina se aperit, is nimium patet, vixq; exactè amplius constringi occludiq; potest, sicuti naturá fieri debet, tum fœda excrementorum exhalatio, sursum per intestina exspirans, per apertas haslie & laxas vias in ventriculum, indeq; ad os vsq; delata anhelitum fœtore suo inficit.* Apud *Gellium Cæcilio* dicitur *Ieiuna anima*, pro graueolente, ac fœtida. *Martialis Iudæos* ieiunos valdè execratur, vt suprà allegauimus, dum inter res olidissimas refert *Ieiunia Sabbatariorum*. Ieiunia itaque graueolentiam pariunt, teste Parœmia: *νηστείας ὄζειν*. *Plautus in Mercat.* duo fœtidissima coniungit, nimirum *oris fœtorem vnà cum hirco*. *Iam plenus* (inquit) *ætatis, animáq; fœtidâ senex hircosus.*

Is autem fœtor, vel anhelitus grauitas promptè emendatur, sicubi ventriculus cibo quodã, conditis præcipuè, saccharatis, aut eiusmodi alimentis odoratis de nouo velut condiatur,

condiatur, ex quo halitus isti tetri ac tristes facilè supprimuntur, eliduntúrque. Quâ ratione iis etiam, qui raræ sunt texturæ, μανόχροοι, & orificium stomachi sensile habent, facilè lipothymiæ, atque animi deliquia obrepunt, nisi singulo manè certi quid comedant, aut condimentis, aquisque stomachalibus assumptis ventriculum, vacuum aliàs & nidorulentum, rectificent. Et hæc quidem plerisque hominum vsu venire compertum est, qui commodâ aliàs sanitate fruuntur, neque vitium aliquod intrinsecum patiuntur. Qui verò ex humoribus aut vlceribus aliis particularibus putredine corruptis, v. gr. vlcere *Pulmonum, narium, palati, dentibus* item *gingiuisq;*, erosis ac malè affectis laborant, iis ægrè fœtor discutitur, etiamsi vel maximè stomachum cibis demulceant. Et in talibus fœtor omninò tristis existit, & quem astantes tolerare vix queunt, isque, nisi caussa, vnde oritur, prius sublatâ, minimè tollitur, licet interdum bene olentibus in ore masticatis palliari possit. Putredinalem itaque oris istum fœtorem, & qui ex vitio intrinsecus existente oriundus aliquando ægerrimè curam admittit, adeo abominantur vulgo *Germani* nostri, vt communiter asserere non dubitent, tàm abominandam eam esse oris pestilentiam, vt vel inter coniuges diuortium caussare valeat: daß auch dardurch ein Ehe möchte gescheiden werden / vt vulgò aiunt. *Virgilius*, Augustus Poëtarum, nòn de nihilo mephitim vocat:

———*sæuamq; exhalat opaca mephitim.*

Interim sunt, qui hoc in *textu Petroniano*, vbi dicitur. *Spiritus ieiunio macer?* legendum putant, *spiritus ieiunio acer:* prout, inter alios est *Ch. Richardus in notis ad Arbitrum*, quæ lectio mihi quidem probari nequit. Absurdum enim est. *spiritum acrem, odorem acrem*, vnde potius vis quædam atque energia naturalis intelligenda venit, quàm mephitis aut putredinalis aliqua exhalatio, pro fœtore, orisque graueolentiâ accipi. Illud immò etiam, quod ex *Horatio* adducit, ipsius opinioni haud fauet, vt contrarium magis probet:

Iccircò quidam, Comœdia, necne poëma
Esset, quæsiuère, quod acer spiritus, ac vis
Nec verbis, nec rebus inest———

In quibus longè alium esse sensum, atque in textu *Petroniano*, quis non videt? *Flaccus* enim, per *spiritum acrem*, ingenium, neruum, & vim carminis insinuat. Apud *Petronium* verò marcor potius, fœtor imò putredo ac corporis τόνος dissolutus arguitur, quibus vberiùs immorari nihil expedit. quanquam *Iust. Lipsius Epistolicar. Quæst. libr.* III. *Epist.* II. aptiùs legendum existimet sic: *Numquid spiritus iei*[illegible]*o macer? numquid alarum negligens sudor putet?*

Vt itaque de anhelitus graueolentia in compendio dicamus, illa omnino prouenit; aut ab humoribus in corpore corruptis, v. gr. in *Lue Venerea*; aut in intestinorum efflatione ad superiora, v. gr. in ieiunis plerisque; aut ab alimentis eructantibus assumptis, v. gr. *raphano, allio, cæpis, caseo putri*, aut ab vlceribus certis, oris spiritum contaminantib⁹; v. gr. vlcere *pulmonum, palati, narium*, vt in *polypo*, atque *ozæna* accidit; itemque in dentibus erosis, nigrisque; aut euenit denique à pituita multa, vt fieri amat in maxillarum carne molli, putri, v. gr. in *Scorbuto*; aut fit à limo quoque, qui dentibus adhæret, vnde temporis diuturnitate quædam putredo, fœtorque caussantur.

Quod verò ad *Alarum sudorem*, hircosum illum fœtorem, facit, initio monendum est, *Petroniano* seu potius *Neroniano* æuo, quo *Apostoli* inter homines versati sunt, vt osculi fœtorem impurissima *fellatio* caussabatur, ita *alarum fœtorem* infanda & scelestissima *ir-*

rumatio. *Rumina* alis proxima sunt, vt lingua ori. Hoc enim vitium inter rumina, id est vbera seu mammas fœminarum peragebant. Fallit enim *Stephan. Doletus in Obseruation. lingua Lat.* scribens: *Irrumare dicuntur, qui virilia fellatori prebent*. Diuersa flagitia sunt, *fellatio* & *irrumatio*, ex illo oris fœtor, ex isto alarum hircus suboritur. Sed *Doletus* secutus videtur Grammaticos, quibus *rumen* dicitur pars colli, quâ esca deuoratur, vt exponūt *Festus. Paulus Diaconus, Nonius Marcell. cap. 1. num. 64. Isidorus Etymolog. lib. XI. cap. 1. Balbus Ianuensis in Catholic.* Inde *rumare* idem volunt esse, quod *fellare*, id est morigerari viris, & inguina eorum, ceu infantes solent mamillas, sugere & lingere: quod de *Nerone Cæsare* memorat *Suetonius*, eum infantes firmiores inguini ceu papillæ admouisse. *Varro* in *Marcipore, Dein mittit virile veretrum in frumen.* Nam *frumen* idem est, quod rumen, vt interpretatur cum *Doleto, Ian. Gulielmius lib.* III. *Verisimil. cap.* XV. oris illud flagitium intelligens. Sed alii, quos sequimur, *irrumare* dicunt esse, inter compressas mulierum mammas id scelus patrare, quod apud *Italos* infamantur *Curtisanæ* pati, à *ruma*, quod priscis Romanis mamma vel papilla, teste *Nonio Marcello, Festo* in ruminalis, & *Balbo in Catholic.* Videatur idem, qui suprà, *Scioppius Commentar. in Priapeia carm.* XXXIV. *&* XLII.

Eum ergo siue *ruminum*, siue *alarum fœtorem* cum *Fel. Platero* ad genus sordidæ excretionis meritò referimus. *Cutis (inquit) sudores multis in locis adhærent, tenuiores, craßioresve, quæ odorem grauem, vt Hirci, interdum exspirant, in quibusdam, quos à si ex longiore in vno loco mora, ad gallinarum ouis incubantium fœtum alludentes, hoc vitium contraxissent*, Brüteln *nostri Germani vocant*; prout habet *libr.* III. *prax. cap.* XII.

Plautus catulire id vocat. Aliâs antiquo vocabulo *hircissare*, itemque *caprissare*, indigetant. *Hirci* enim inprimis salaciras, imò odor grauissimus etiam pueris notissimus. *Adagium*, non infrequens hîc locum habet isthoc: Γρᾶυς κατρίζουσα: *Anus hircissans*: id est, tam libidinosa, vt etiam *hirco*, animali salacissimo, petulantiâ, libidine, atque fœtore simillima existat. *Aristophanes in Pluto*:

——— Ἀλλ' ἠπίστατο
Γραῦς καπρῶσα τὰ φόδια καταβιβρώσκειν:
——— *verum nouerat*
Anus caprissantis vorare viatica.

Aristoteles sect. XXXV. *probl.* II. autor, est sub *alis* potissimùm, ac sub pedum vestigiis fieri titillationem, vel quòd cutis ibi sit mollior, vel quòd contactus eo loci insolentior. Eius-modi quoque est aurium titillatio, quando ab adulatoribus auribus insidiæ struuntur. *Quid enim aliud est adulatio, quàm aurium pruritus quidam & gargarisatio?* vt eleganter *Desider. Erasmus.* De adulatoribus itaque fertur, quod sub *ala* negotia tractent. Hinc *Adagium*: *Facta subalaria*: Græci efferunt: Αἱ ὑπὸ μάλης πράξεις. *Scorta* quoque hoc pacto sub alis adducuntur à lenonibus. Eleganter *Plutarchus de adulator.* Πρὸς μὲν τοὺς σπουδῆς ἀπαιτοῦντας, ὀκνηρὸς ἐστιν, ἐν ταῖς ὑπὸ μάλης πράξεσιν ἀπαρνεῖται οὐ: *Ad laborem (inquit) & res honestas segnis, in his rebus, quæ sub ala fiunt, nihil recusat.* Quorum verborum sensum ità exponit *Desider. Erasmus Chil.* II. *Cent.* II. LXXIX. inquiens: *De adulatore loquitur ad honesta officia tum pigro, tum inutili: ad voluptaria ministeria prompto: videlicet ad scortum cum fide adducendum, ad comparanda obsonia, ad instruendum conuiuium. Equidem* (addit) *opinor, ob id adulationi sub alis sedem datam esse, quòd hæ corporis partes titillationes præcipuè sentiant, siue ob cutis tenuitatem, siue quod insolitus nobis earum contactus partium: siue quòd is locus vetustas habeat, quibus fricatu calefactis, eiusmodi nascatur delectatio.*

Caussa

Causa huius hircosi fœtoris adscribitur hominibus immundis, lasciuis, quique cum feminis commercium frequens habent: à quibus immundæ icircò exhalationes in extremitatibus corporis præsertim verò in locis pilosis, vt sub axillis, in inguinibus, interstitiis pedum quoque se se affigunt, &, si corpus non decenter à sordibus istis mundetur, lauerurque, morâ temporis tàm abominandum; hircosumque fœtorem proferunt. Hinc euidens ratio emicat, cur PETRONIVS dixerit: *Numquid alarum negligens sudor?* Nimir. disertè innuit, eam mephitim fœtidamque exhalationem hominem arguere, qui corporis sui curam diligentem nō habeat, *Græci τράγον*, Latini *hircum* vocant. Germani vulgò: Es böckst: Er stinckt als ein Bock.

Caussas verò eas eius *fœtoris, alarum* scilicet, ità, vt diximus attingit *Fel. Platerus*, Medicus Basiliens. nuper felicissimus *lib.* III. *prax. cap.* XIII. *Ab exhalationibus & sudoribus,* (inquit) *è corpore prodeuntibus frequentibus, odore graui præditu, quem hircosum, cum is hircis talis exspiret, nominant, in hominibus immundis, qui curam corporis negligunt, se affigentibus, cutis sordescens, fœtorem eum, qui ab illius quibusdam locis, vbi magis se affigunt, exspirat, concipit: quod cùm in extremitatibus, quò natura hanc illuuiem propellit, facilius accidat, inde pedum fœtor adeò frequens quibusdam, quibus & pedes continuò ferè tunc sudant, & calent, idque æstiuo maximè tempore. Sudor quoque, atque sordes cutis & strigmenta diutius in angustiis corporis retenta, si hæc loca immunda seruentur, vel in pilosis sedibus corrupta, ex eius-modi locis exspirant, vt sub axillis, circà inguina, in obscœnis, & in interstitiis pedum digitorum frequenter accidit, vbi sordes collectæ moraque, crassæ & nigræ euadentes, teterrimum odorem exhalant.*

Ioan. Wouvverenus *in animaduersion. ad Petron. fœtor* (ait) *sub alis nascitur, quâ parte pilant, iis, quis per ætatem licet cum mulieribus rem habere, grauior. si sæpius, si corpore sudore.* Ad quod alludit *Horatius* XII. *Epod.*

——— *hirsutis cubet hircus in alis.*

Inprimis autem inquam, in iis, qui Lue Venerea sunt infecti, adeoque sub cura sunt, dum sudoriferis maximè remediis vtuntur, teterrima ista mephitis sæuusque hircosus fœtor animaduertitur, vt Medicus atque astantes facilè ferendo non sint, cum indè vniuersum conclaue, quod potissimum calefactum esse debet, vbi infectus decumbit, impleatur. Vt *Firmicus lib.* VI. *cap.* LXXXI. eo etiam respexisse videri possit. *Quorum* (inquit) *corpora hircini odoris tristem eluuiem, desudatis grauibus, sudoribus euaporent.*

Cæterùm, vt paucis de cura gemini istius tumoris, tum alarum fœtoris, agamus, remedia quędam selectiora ad vtramque mephitim, satis aliàs frequentem, præscribemus, prius tamen de oris fœtoris correctione acturi.

Quodsi itaque humores in stomacho sint corrupti, itemque accidat in intestinis, atque habitu corporis, vndè oris fœtor promanat, illius humoris euacuatio primitus instituenda erit cum *Aloe, Rhabarbaro, Agarico, Hiera*, eaque adhibenda, quæ ad correctionem confortationemque ventriculi inseruiunt. Si fœtor symptoma fit Luis Venereæ, curetur iis remediis, quibus Lues ista expugnatur. Si contingat aut ex vlcere *Pulmonum, Narium, Palati, Dentium erasorum*, maxillarumque putridarum, & similium primigeniorum affectuum, cura omnis dirigatur ad affectum præexistentem, qui quidem, tanquàm caussa, hoc accidens fouet.

Ex iis autem simplicibus, quæ oris fœtorem in genere emendant, vndecunque ille natus sit alia ex radicibus sunt, v. gr. radices *Angelicæ, imperatoriæ, zedoariæ, ireos Florentinæ, cyperi, acori, enulæ*; Alia ex Corticibus desumuntur v. gr. *Cortices citri, arantiorum*: alia

Rosm. an. m. j.
Corall. rubr.
ebor.
dent. equor. an. ℥iiij.
In fictili vase simul vrantur, addendo
sal. commun. p. j.
donec omnia dealbata sint, & reducantur in puluerem crassum,
cui adde
Gariophyll.
Cinnam.
Rosmar. an. ʒiij.
Mosch. ℈j. vel ℈ij.
f. puluis:
qui excipiatur oxymell. scyllit. vel
mucil. è gumm. tragacanth. vel
arabico.

Vide plures ibidem ad idem institutum formulas.

P. Bayrus libr. v1. pract. cap. 1. sequens hoc in agone valdè suo more extollit: quod
℞. myrobal. emblicor.
Chebul.
Belliricor. an. partes æquales:
terantur, & fundantur super eos, conterendo in vase lapideo, hora, post horam, aqua fontis cum modico saccharo per tres dies, & destilletur vna vice post aliam super tenui instillatione ex ol. amygdalarum, semper agitando cum spatula; deindè dimitte siccari in vmbra: Posteà
℞. huius mistionis ʒviij.
Ros. siccar. ʒvij.
Cyper. ℥iiij.
Lign. aloes.
Extremitat. myrt.
Cariophyll.
Mastich.
Spic. an. ʒij. ℈j.
Cinnamom.
Zedoar.
Cort. citr.
Cardamom. min.
macer.
Cardamom. mai.
Nuc. mosch. an. ʒij.
Mosch. ʒj. ℈ij.

Confice cum melle Emplicorum & passul. pingu. & f. formæ similes auellanis: da in mane cum vino, & in sero similiter.

Est (inquit) *hoc medicamentum valens ad ægritudines stomachi, confortans omnes minera virtu-*

virtutum, faciens oris & totius corporis bonum odorem, occultans fœditatem coloris, bonum colorem generando, conseruans corpus in vigore adolescentiæ, tardans canos, generans hilaritatem continuam, coitum roborans, & est (addit) *medicamentum regium.*

Idem has *Pilulas* præscribit digestionem procurantes, orisque bonum odorem gignentes:

℞. gariophyll.
Nuc. mosch.
Cinnam.
Gall. mosch.
Cyper.
Spicæ.
Cort. citr.
Lign. aloes: an. aur. ij.
Mosch. gr. iv.
f. pilulæ cum vino odorifero:
de quibus teneatur vna in ore paulatim deglutiendo.

Hæc obiter de *oris fœtore.*

Quantùm deniquè ad hircosum *alarum* fœtorem spectat, is quoque remediis arte præscriptis emendandus est, præsertim ab eo, qui corporis sui curam pensi habet. De iis autem in genere sic disserit *Platerus libr. prax. III. cap. XII. Cutis* (inquit) *sordes, aliaque adhærentes immunditiës, actuali ablutione, & frictione tum faciei, tum aliarum partium, & præsertim mutuâ manuum, quæ frequentius immundæ fiunt, aquâ auferuntur, meliusque calida: Et si plures partes sordeant, balneo. Vel si eiusmodi sordes ob glutinositatem, aut pinguedinem pertinacius adhærescunt, nec facilè cedant, illis abluendæ sunt, quæ præter detersoriam vim, etiam pinguedine quadam præditæ sunt, quâ magis quàm aquea sola istis se se permiscendo, potentius in ea agere possunt. Qualia sunt Lixiuium, quod ex transcolatione frequenti aquæ per cineres fit addito interdum, si efficacius illud esse velimus, etiam calce, quod lentore quodam pingui simul cum vi detergendi præditum est, cuius vi, quæ manus inquinant, facilè cedunt, inprimisque, si Sapone simul fricentur, qui iisdem atributis, & potentius adhuc agit: vtpote ex cineribus, calce, & seuo, donec durescat, coctus, qui ad vsum, additis quandoque & odoratis, vt radice Iridis, asseruatur. Aliâs verò loco seui oleum sumitur, & tunc sapo mollior remanet, vndè & mollis ad differentiam duri, vel etiam niger ob colorem, & gallicus, quia illic sic ferè paratur, dicitur. Quibus Saponum generibus, manus, adhibita aqua, vel lixiuio fricta, spumâ indè suscitatâ, sordes quæcunque auferuntur.* Et quæ eo loci paulò post de pedum sordescentium curatione eius-modi plura habentur hùc faciencia.

Veteres, vt *alarum fœtorem, hircum* dictum, (*Isidorus* enim *libr. II. cap. I. alas sub-hircos: Apollinar.* verò *Sidonius libr. III. Epist. XIII. alarum specus hircosos, & acescentes* vocat) propellerent, loca illa depilabant, alasque *pice*, aut *resina* vellebant. Vndè *Martialis:*

Et splendent vulso brachia trita pilo.

Senecæ dicuntur ideò *volsi* atque *expoliti*. Læuigabantur autem *volsi* pumicibus, vndè φιλοψίθιοι: vndè *Manilius:*

Pumicibusque cauis horrentia membra polire: de quibus videatur *Ioan. Wouvverenus in animaduersion. ad Petron.*

Rosm. an. m. j.
Corall. rubr.
ebor.
dent. equor. an. ℥iiij.
In fictili vase simul vrantur, addendo
sal. commun. p. j.
donec omnia dealbata sint, & reducantur in puluerem crassum,
cui adde
Gariophyll.
Cinnam.
Rosmar. an. ℥iij.
Mosch. ℈j. vel ℈ij.
f. puluis:
qui excipiatur oxymell. scyllit. vel
mucil. è gumm. tragacanth. vel
arabico.

Vide plures ibidem ad idem institutum formulas.

P. Bayrus libr. VI. pract. cap. 1. sequens hoc in agone valdè suo more extollit: quod
℞. myrobal. emblicor.
Chebul.
Belliricor. an. partes æquales:
terantur, & fundantur super eos, conterendo in vase lapideo, hora, post horam, aqua fontis cum modico saccharo per tres dies, & destilletur vna vice post aliam super tenui instillatione ex ol. amygdalarum, semper agitando cum spatula; deindè dimitte siccari in vmbra: Posteà
℞. huius mistionis ℥viij.
Ros. siccar. ℥vij.
Cyper. ℥iiij.
Lign. aloes.
Extremitat. myrt.
Cariophyll.
Mastich.
Spic. an. ℥ij. ℈j.
Cinnamom.
Zedoar.
Cort. citr.
Cardamom. min.
macer.
Cardamom. mai.
Nuc. mosch. an. ℥ij.
Mosch. ℥j. ℈ij.

Confice cum melle Emplicorum & passul. pingu. & f. formæ similes auellanis da in mane cum vino, & in sero similiter.

Est (inquit) *hoc medicamentum valens ad ægritudines stomachi, confortans omnes mineras virtu-*

virtutum, faciens oris & totius corporis bonum odorem, occultans fœditatem coloris, bonum colorem generando, conseruans corpus in vigore adolescentiæ, tardans canos, generans hilaritatem continuam, coitum roborans, & est (addit) *medicamentum regium.*

Idèm has *Pilulas* præscribit digestionem procurantes, orisque bonum odorem gignentes:

℞. gariophyll.
Nuc. mosch.
Cinnam.
Gall. mosch.
Cyper.
Spicæ.
Cort. citr.
Lign. aloes: an. aur. ij.
Mosch. gr. IV.
f. pilulæ cum vino odorifero:
de quibus teneatur vna in ore paulatim deglutiendo.

Hæc obiter de *oris fœtore.*

Quantùm deniquè ad hircosum *alarum* fœtorem spectat, is quoque remediis arte præscriptis emendandus est, præsertim ab eo, qui corporis sui curam pensi habet. De iis autem in genere sic differit *Platerus libr. prax.* III. *cap.* XII. *Cutis* (inquit) *sordes, aliaque adhærentes immundities, actuali ablutione, & frictione tum faciei, tum alarum partium, & præsertim mutuâ manuum, quæ frequentius immundæ fiunt, aquâ auferuntur, meliusq; calida: Et si plures partes sordeant, balneo. Vel si eiusmodi sordes ob glutinositatem, aut pinguedinem pertinacius adhærescunt, nec facilè cedant, illa abluendæ sunt, quæ præter detersoriam vim, etiam pinguedine quadam prædita sunt, quâ magis quàm aquea sola istis se se permiscendo, potentius in ea agere possunt. Qualia sunt* Lixiuium, *quod ex transcolatione frequenti aquæ per cineres fit addito interdum, si efficacius illud esse velimus, etiam calce, quod leuiore quodam pingui simul cum vi detergendi præditum est, cuius vi, quæ manus inquinant, facilè cedunt, inprimisq; si Sapone simul fricentur, qui iisdem viribus, & potentius adhùc agit: vtpote ex cineribus, calce, & seuo, donec durescat, coctus, qui ad vsum, additis quandoq; & odoratis, vt radice Iridis, asseruatur. Aliâs verò loco seui oleum sumitur, & tunc sapo mollior remanet, vndè & mollis ad differentiam duri, vel etiam niger ob colorem, & gallicus, quia illic sic ferè paratur, dicitur. Quibus Saponum generibus, manus, adhibita aqua, vel lixiuio fricta, spuma inde suscitatâ, sordes quæcunq; auferuntur.* Et quæ eo loci paulò post de pedum sordescentium curatione eius-modi plura habentur hùc facientia.

Veteres, vt *alarum fœtorem, hircum* dictum, (*Isidorus enim libr.* XI. *cap.* I. *alas sub-hircos: Apollinar.* verò *Sidonius libr.* III. *Epist.* XIII. *alarum specus hircosos, & acescentes* vocat) propellerent, loca illa depilabant, alasque *pice*, aut *resina* vellebant. Vndè *Martialis:*

Et splendent vulso brachia trita pilo.

Senecæ dicuntur ideò *volsi* atque *expoliti.* Læuigabantur autem *volsi* pumicibus, vndè φιλοτρίβαφοι: vndè *Manilius:*

Pumicibusq; cauis horrentia membra polire: de quibus videatur *Ioan.* Wouvverenus *in animaduersion. ad Petron.*

Rosm. an. m. j.
Corall. rubr.
ebor.
dent. equor. an. ℥iiij.
In fictili vase simul vrantur, addendo
sal. commun. p. j.
donec omnia dealbata sint, & reducantur in puluerem crassum,
cui adde
Gariophyll.
Cinnam.
Rosmar. an. ℥iij.
Mosch. ℈j. vel ℈ij.
f. puluis:
qui excipiatur oxymell. scyllit. vel
mucil. è gumm. tragacanth. vel
arabico.

Vide plures ibidem ad idem institutum formulas.

P. Bayrus libr. vi. pract. cap. i. sequens hoc in agone valdè suo more extollit: quod
℞. myrobal. emblicor.
Chebul.
Belliricor. an. partes æquales:
terantur, & fundantur super eos, conterendo in vase lapideo, hora, post horam, aqua fontis cum modico saccharo per tres dies, & destilletur vna vice post aliam super tenui instillatione ex ol. amygdalatum, semper agitando cum spatula; deindè dimitte siccari in vmbra: Posteà
℞. huius mistionis ℥viij.
Ros. siccar. ℥vj.
Cyper. ℥iiij.
Lign. aloes.
Extremitat. myrt.
Cariophyll.
Mastich.
Spic. an. ℥ij. ℈j.
Cinnamom.
Zedoar.
Cort. citr.
Cardamom. min.
macer.
Cardamom. mai.
Nuc. mosch. an. ℥ij.
Mosch. ℥j. ℈ij.

Confice cum melle Emblicorum & passul. pingu. & f. formæ similes auellanis da in mane cum vino, & in sero similiter.

Est (inquit) *hoc medicamentum valens ad ægritudines stomachi, confortans omnes mineras virtu-*

virtutum, faciens oris & totius corporis bonum odorem, occultans fœditatem coloris, bonum colorem generando, conseruans corpus in vigore adolescentiæ, tardans canos, generans hilaritatem continuam, coitum roborans, & est (addit) *medicamentum regium.*

Idem has *Pilulas* præscribit digestionem procurantes, orisque bonum odorem gignentes:

℞. gariophyll.
Nuc. mosch.
Cinnam.
Gall. mosch.
Cyper.
Spicæ.
Cort. citr.
Lign. aloes: an. aur. ij.
Mosch. gr. iv.
f. pilulæ cum vino odorifero:
de quibus teneatur vna in ore paulatim deglutiendo.

Hæc obiter de *oris fœtore*.

Quantùm denique ad hircosum *alarum* fœtorem spectat, is quoque remediis arte præscriptis emendandus est, præsertim ab eo, qui corporis sui curam pensi habet. De iis autem in genere sic disserit *Platerus libr. prax.* III. *cap.* XII. *Cutis* (inquit) *sordes, aliaque adhærentes immundities, actuali ablutione, & frictione tum faciei, tum aliarum partium, & præsertim mutuâ manuum, quæ frequentius immundæ fiunt, aquâ auferuntur, meliusq; calida: Et si plures partes sordeant, balneo. Vel si eiusmodi sordes ob glutinositatem, aut pinguedinem pertinacius adhærescunt, nec facilè cedant, illis abluendæ sunt, quæ præter detersoriam vim, etiam pinguedine quadam præditæ sunt, quâ magis quàm aqueæ sola istu se se permiscendo, potentius in ea agere possunt. Qualia sunt Lixiuium, quod ex transcolatione frequenti aquæ per cineres fit, addito interdum, si efficacius illud esse velimus, etiam calce, quod lentore quodam pingui simul cum vi detergendi præditum est, cuius vi, quæ manus inquinant, facilè cedunt, inprimisq;, si Sapone simul fricentur, qui iisdem viribus, & potentius adhuc agit: vtpote ex cineribus, calce, & seuo, donec durescat, coctus, qui ad vsum, additis quandoq; & odoratis, vt radice Iridis, asseruatur. Aliâs verò loco seui oleum sumitur, & tunc sapo mollior remanet, vndè & mollis ad differentiam duri, vel etiam niger ob colorem, & gallicus, quia illic sic ferè paratur, dicitur. Quibus Saponum generibus, manus, adhibita aqua, vel lixiuio fricta, spumâ indè suscitatâ, sordes quæcunq; auferuntur.* Et quæ eo loci paulò post de pedum sordescentium curatione eius-modi plura habentur huc facientia.

Veteres, vt *alarum fœtorem, hircum* dictum, (*Isidorus enim libr.* XI. *cap.* I. *alas sub-hircos: Apollinar.* verò *Sidonius libr.* III. *Epist.* XIII. *alarum specus hircosos, & acescentes* vocat) propellerent, loca illa depilabant, alasque *pice*, aut *resina* vellebant. Vndè *Martialis*:

Et splendent vulso brachia trita pilo.

Senecæ dicuntur ideò *volsi* atque *expoliti*. Læuigabantur autem *volsi* pumicibus, vndè φιλοψίλαθροι vndè *Manilius*:

Pumicibusq; cauis horrentia membra polire: de quibus videatur *Ioan.* Wouvverenus *in animaduersion. ad Petron.*

 Cutis

Rosm. an. m. j.
Corall. rubr.
ebor.
dent. equor. an. ℥iiij.
In fictili vase simul vrantur, addendo
sal. commun. p. j.
donec omnia dealbata sint, & reducantur in puluerem crassum,
cui adde
Gariophyll.
Cinnam.
Rosmar. an. ʒiij.
Mosch. ℈j. vel ℈ij.
f. puluis:
qui excipiatur oxymell. scyllit. vel
mucil. è gumm. tragacanth. vel
arabico.

Vide plures ibidem ad idem institutum formulas.

P. Bayrus libr. VI. *pract. cap.* I. sequens hoc in agone valdè suo more extollit: quod
℞. myrobal. emblicor.
Chebul.
Belliricor. an. partes æquales:
terantur, & fundantur super eos, conterendo in vase lapideo, hora post horam, aqua fontis cum modico saccharo per tres dies, & destilletur vna vice post aliam super tenui instillatione ex ol. amygdalarum, semper agitando cum spatula; deindè dimitte siccari in vmbra: Posteà
℞. huius mistionis ʒviij.
Ros. siccar. ʒvij.
Cyper. ʒiiij.
Lign. aloes.
Extremitat. myrt.
Cariophyll.
Mastich.
Spic. an. ʒij. ℈j.
Cinnamom.
Zedoar.
Cort. citr.
Cardamom. min.
macer.
Cardamom. mai.
Nuc. mosch. an. ʒij.
Mosch. ʒj. ℈ij.

Confice cum melle Emblicorum & passul. pingu. & f. formæ similes auellanis: da in mane cum vino, & in sero similiter.

Est (inquit) *hoc medicamentum valens ad ægritudines stomachi, confortans omnes mineras virtu-*

virtutum, faciens oris & totius corporis bonum odorem, occultans fœditatem coloris, bonum colorem generando, conseruans corpus in vigore adolescentiæ, tardans canos, generans hilaritatem continuam, coitum roborans, & est (addit) *medicamentum regium.*

Idem has *Pilulas* præscribit digestionem procurantes, orisque bonum odorem gignentes:

℞. gariophyll.
Nuc. mosch.
Cinnam.
Gall. mosch.
Cyper.
Spicæ.
Corr. citr.
Lign. aloes: an. aur. ij.
Mosch. gr. iv.
f. pilulæ cum vino odorifero:
de quibus teneatur vna in ore paulatim degluttiendo.

Hæc obiter de *oris fœtore.*

Quantùm denique ad hircosum *alarum* fœtorem spectat, is quoque remediis arte præscriptis emendandus est, præsertim ab eo, qui corporis sui curam pensi habet. De iis autem in genere sic differit *Platerus libr. prax.* III. *cap.* XII. *Cutis* (inquit) *sordes, aliaque adhærentes immundities, actuali ablutione, & frictione tum faciei, tum aliarum partium, & præsertim mutuâ manuum, quæ frequentius immundæ fiunt, aquâ auferuntur, meliusque, calida: Et si plures partes sordeant, balneo. Vel si eiusmodi sordes ob glutinositatem, aut pinguedinem pertinacius adhærescunt, nec facilè cedant, illis abluendæ sunt, quæ præter detersoriam vim, etiam pinguedine quadam præditæ sunt, quâ magis quàm aquea sola istis se se permiscendo, potentius in ea agere possunt. Qualia sunt Lixiuium, quod ex transcolatione frequenti aquæ per cineres fit, addito interdum, si efficacius illud esse velimus, etiam calce, quod lentore quodam pingui simul cum vi detergendi præditum est, cuius vi, quæ manus inquinant, facilè cedunt, inprimisque, si Sapone simul fricentur, qui iisdem attribus, & potentius adhuc agit: vtpote ex cineribus, calce, & seuo, donec durescat, coctus, qui ad vsum, additis quandoque & odoratis, vt radice Iridis, asseruatur. Aliâs verò loco seui oleum sumitur, & tunc sapo mollior remanet, vndè & mollis ad differentiam duri, vel etiam niger ob colorem, & gallicus, quia illic sic ferè paratur, dicitur. Quibus Saponum generibus, manus, adhibita aqua, vel lixiuio fricta, spumâ indè suscitatâ, sordes quæcunque auferuntur.* Et quæ eo loci paulò post de pedum sordescentium curatione eius-modi plura habentur hùc facient ia.

Veteres, vt *alarum fœtorem, hircum* dictum, (*Isidorus* enim *libr.* II. *cap.* I. *alas sub-hircos: Apollinar.* verò *Sidonius libr.* III. *Epist.* XIII. *alarum specus hircosos, & acescentes* vocat) propellerent, loca illa depilabant, alasque *pice*, aut *resina* vellebant. Vndè *Martialis:*

Et splendent vulso brachia trita pilo.

Senecæ dicuntur ideò *volsi* atque *expoliti*. Læuigabantur autem *volsi* pumicibus, vndè φιλογύναιοι; vndè *Manilius:*

Pumicibusque cauis horrentia membra polire: de quibus videatur *Ioan.* Wouuerenus *in animaduersion. ad Petron.*

Hhh Cutis

rumatio. *Rumina* alis proxima sunt, vt lingua ori. Hoc enim vitium inter rumina, id est vbera seu mammas fœminarum perag·bant. Fallit enim *Stephan. Doletus in Obseruation. lingua Lat.* scribens: *Irrumare dicuntur, qui virilia fellatori præbent.* Diuersa flagitia sunt, *fellatio* & *irrumatio*, ex illo oris fœtor, ex isto alarum hircus suboritur. Sed *Doletus* secutus videtur Grammaticos, quibus *rumen* dicitur pars colli, quâ esca deuoratur, vt exponūt *Festus, Paulus Diaconus, Nonius Marcell. cap. 1. num. 64. Isidorus Etymolog. lib. XI. cap. 1. Balbus Ianuensis in Catholic.* Inde *rumare* idem volunt esse, quod *fellare*, id est morigerari viris, & inguina eorum, ceu infantes solent mamillas, sugere & lingere: quod de *Nerone Cæsare* memorat *Suetonius*, eum infantes firmiores inguini ceu papillæ admouisse. *Varro* in *Marcipore*; *Dein mittit virile veretrum in frumen.* Nam *frumen* idem est, quod rumen, vt interpretatur cum *Doleto, Ian. Gulielmius lib.* III. *Verisimil. cap.* XV. oris illud flagitium intelligens. Sed alii, quos sequimur, *irrumare* dicunt esse, inter compressas mulierum mammas id scelus patrare, quod apud *Italos* infamantur *Curtisanæ* pati, à *ruma*, quod priscis Romanis mamma vel papilla, teste *Nonio Marcello, Festo* in ruminalis, & *Balbo in Catholic.* Videatur idem, qui suprà, *Scioppius Commentar. in Priapeia carm.* XXXIV. & XLII.

Eum ergo siue *ruminum*, siue *alarum fœtorem* cum *Fel. Platero* ad genus sordidæ excretionis meritò referimus. *Cuti* (inquit) *sudores multis in locis adhærent, tenuiores, crassioresve, quæ odorem grauem, vt Hirci, interdum exspirant, in quibusdam, quos a[...] si ex longiore in vno loco mora, ad gallinarum ouis incubantium fœtum alludentes, hoc vitium contraxissent*, Brüteln *nostri Germani vocant*; prout habet *libr.* III. *prax. cap.* XII.

Plautus catulire id vocat. Aliâs antiquo vocabulo *hircissare*, itemque *caprissare*, indigetant. *Hirci* enim inprimis salacitas, imò odor grauissimus etiam pueris notissimus. *Adagium*, non infrequens hîc locum habet isthoc: Γραῦς κραστίζει: *Anus hircissans*: id est, tàm libidinosa, vt etiam *hirco*, animali salacissimo, petulantiâ, libidine, atque fœtore simillima existat. *Aristophanes in Pluto*:

——— Ἀλλ' ἠπίστατο
Γραῦς καπρῶσα τὰ φάδια καταδίειν:
——— *verum nouerat*
Anus caprissantis vorare viatica.

Aristoteles sect. XXXV. *probl.* II. autor, est sub *aliis* potissimùm, ac sub pedum vestigiis fieri titillationem, vel quòd cutis ibi sit mollior, vel quòd contactus eo loci insolentior. Eiusmodi quoque est aurium titillatio, quando ab adulatoribus auribus insidiæ struuntur. *Quid enim aliud est adulatio, quàm aurium pruritus quidam & gargarisatio?* vt eleganter *Desider. Erasmus*. De adulatoribus itaque fertur, quod sub *ala* negotia tractent. Hinc *Adagium*: *Facta subalaria*: Græci efferunt: Αἱ ὑπὸ μάλης πράξεις. *Scorta* quoque hoc pacto sub alis adducuntur à lenonibus. Eleganter *Plutarchus de adulator.* Πάνυ γὰρ ἀργὸν ἐπὶ τοῖς καλοῖς, ἐν τοῖς ὑπὸ μάλης πράξεσιν ἀπροφάσιστος: *Ad laborem* (inquit) *& res honestas segnis, in his rebus, quæ sub ala fiunt, nihil recusat.* Quorum verborum sensum ità exponit *Desider. Erasmus Chil.* II. *Cent.* II. LXXIX. inquiens: *De adulatore loquitur ad honesta officia tum pigro, tum inutili: ad voluptaria ministeria prompto: videlicet ad scortum cum fide adducendum, ad comparanda obsonia, ad instruendum conuiuium. Equidem* (addit) *opinor, ob id adulationi sub alis sedem datam esse, quòd hæ corporis partes titillationes præcipuè sentiant, siue ob cutis tenuitatem, siue quod insolitus nobis earum contactus partium: siue quòd is locus venulas habeat, quibus fluctu calefactis, eiusmodi nascatur delectatio.*

Caussa

Causa huius hircosi fœtoris ascribitur hominibus immundis, lasciuis, quique cum feminis commercium frequens habent: à quibus immundæ icircò exhalationes in extremitatibus corporis præsertim verò in locis pilosis, vt sub axillis, in inguinibus, interstitiis pedum quoque se se affigunt, &, si corpus non decenter à sordibus istis mundetur, lauetúrque, morâ temporis tàm abominandum, hircosúmque fœtorem proferunt. Hinc euidens ratio emicat, cur PETRONIVS dixerit: *Numquid alarum negligens sudor?* Nimirum disertè innuit, eam mephitim fœtidamque exhalationem hominem arguere, qui corporis sui curam diligentem nō habeat, *Græci* τράγον, Latini *hircum* vocant. Germani vulgò: Es böckst: Er stinckt als ein Bock.

Caussas verò eas eius *fœtoris, alarum* scilicet, ità, vt diximus attingit *Fel. Platerus*, Medicus Basiliens. nuper felicissimus *lib.* III. *prax. cap.* XIII. *Ab exhalationibus & sudoribus, (inquit) è corpore prodeuntibus frequentibus, odore graui præditu, quem hircosum, cum ab hircis talis exspiret, nominant, in hominibus immundis, qui curam corporis negligunt; se exsugentibus, cutis sordescens, fœtorem eum, qui ab illius quibusdam locis, vbi magis se affigunt, exspirat, contrahit: quod cùm in extremitatibus, quò natura hanc illuuiem propellit, facilius accidat, inde ... fœtor adeò frequens quibusdam, quibus & pedes continuò ferè tunc sudant, & calent, idq; æstiuo maximè tempore. Sudor quoq; aliæue sordes cutis & strigmenta diutius in angustiis corporis retenta, si hæc loca immunda seruentur, vel in pilosis sedibus corrupta, ex eius-modi locis exspirant; vt sub axillis, circà inguina in obscœnis, & in interstitiis pedum digitorum frequenter accidit, vbi sordes collectæ morâq; crassæ & nigræ euadentes, teterrimum odorem exhalant.*

Ioan. Wouvverenus in animaduersion. ad Petron. fœtor (ait) *sub alis nascitur, quâ parte pilant, iis, quis per ætatem licet cum mulieribus rem habere, grauior si sæpius, si corpore sudore.* Ad quod alludit *Horatius* XII. *Epod.*

——— *hirsutis cubet hircus in alis.*

Inprimis autem inquam, in iis, qui Lue Venerea sunt infecti, adeoq; sub cura sunt, dum sudoriferis maximè remediis vtuntur, teterrima ista mephitis sæuúsque hircosus fœtor animaduertitur, vt Medicus atque astantes facilè ferendo non sint, cum indè vniuersum conclaue, quod potissimum calefactum esse debet, vbi infectus decumbit, impleatur. Vt *Firmicus lib.* VI. *cap.* LXXXI. eo etiam respexisse videri possit. *Quorum* (inquit) *corpora hircini odoris tristem eluuiem, desudatis grauibus, sudoribus euaporent.*

Cæterùm, vt paucis de cura gemini istius tumoris, tum alarum fœtoris, agamus, remedia quędam selectiora ad vtramque mephitim, satis aliâs frequentem, præscribemus, prius tamen de oris fœtoris correctione acturi.

Quod si itaque humores in stomacho sint corrupti, itemque accidat in intestinis, atq; habitu corporis, vndè oris fœtor promanat, illius humoris euacuatio primitus instituenda erit cum *Aloe, Rhabarbaro, Agarico, Hiera*, eaque adhibenda, quæ ad correctionem confortationemq; ventriculi inseruiunt. Si fœtor symptoma sit Luis Venereæ, curetur iis remediis, quibus Lues ista expugnatur. Si contingat aut ex vlcere *Pulmonum, Narium, Palati, Dentium erasorum*, maxillarumq; putridarum, & similium primigeniorum affectuum, cura omnis dirigatur ad affectum præexistentem, qui quidem, tanquàm caussa, hoc accidens fouet.

Ex iis autem simplicibus, quæ oris fœtorem in genere emendant, vndecunque ille natus sit alia ex radicibus sunt, v. gr. radices *Angelicæ, imperatoriæ, zedoariæ, ireos Florentinæ, cyperi, acori, enulæ*; Alia ex Corticibus desumuntur v. gr. *Cortices citri, arantiorum*: alia

ex lignis atque aromatibus vsurpantur v. gr. *lignum Santalinum, lignum aloes, cinamomum, garyophylli, uncisia, calamus aromaticus*: alia è seminibus adhibentur, v. gr. semen *anisi, coriandri, feniculi*; Alia deniq́ue ex ipsis animalibus desumuntur, atq́ue alioquin valdè sunt odorata, v. gr. *Moschus, Zibethum*, qualia in diuitibus, ob insignem, quo prædita sunt, odorem, istud vitium apprimè emendant, præsertim si cum sacchato, in *orbiculos, trochiscos, tabellas*, aut *morsulos*, cum infusione gummi *Tragacanthi*, in aquis rosarum, vel flor. arantiorum, aliisq́ue odoratis, redigantur. Quæ confectiones ore vel masticantur, vel sensim deglutiuntur, vsq́ue dùm è faucibus gratum odorem exspirent. *Germanis* nostris in vsu sunt *orbiculi*, quę *moschum* redolent, vulgò Bisemküchlein vocant. Ex aquis ergò destillatis sunt, usq́ue odoratis, v. gr. *aqua rosar. odoratar. aq. florum arantiorum, aqu. florum & corticum citri, aqua vitæ cum infusione cinamomi & aromatum, aqua cinamomi* simplex, & composita. Ex oleis destillatis præstant, v. gr. *oleum & spiritus rosarum, ol. cinamomi, arantiorum, citri, garyophyllorum*, & id genus alia.

Præter *Masticatoria* verò, *collutiones* oris, & *Gargarismata* hoc in casu commendantur, quæ consiunt ex vino, in quo radix *angelicæ*, *ireos Florentinæ*, *sem. coriandri*, *anisi*, *cum foliis maioranæ*, *saluiæ*, herbisq́ue similibus odoratis, vel aromatibus coquuntur.

Eidem vsui inseruit *decoctum foliorum myrti*, *vinum* item *rubrum*, *aceto*, *sale*, atq́ue *alumine* additis: cum quibus os & fauces continuò abluuntur.

Quidam has *Pilulas contrà oris fœtorem* prædicant:

℞. garyophyll.
Nuc. mosch.
Mastich. an. ℨj.
Rosar. ℨv.
Cubeb. ℨß.
Cardamom. ℈j.
Lign. aloes. ℈ß.
Cum Melle rosar. f. *pilulæ*:
quæ sensim degluttiantur in ore tenendo.

Sequens *Aqua pro collutione oris* manè, *Ferdinando Regi* familiaris fuisse proditur:

℞. mastich. ℨij.
Rosar.
C. C.
Corall. rubr. præp. an. ℨj.
Salu.
Origan. an. p. j.
cum aq. f. f. decoctum.

Pilulæ contrà dentes putridos sic parantur:

℞. Styrac. calam. ℥ß.
Benzoin. ℨij.
Lign. aloes. ℨj.
Mosch. ℈ß.
Ambr. gris. gr. v.
cum modico infus. Tragacanth.

f. mas-

f. massa pro pilulis.

Dentifricium Illustrissimæ cuiusdam.

℞. perlar.
Corall. alb.
Off. sep.
C. C. vst. & præp. an. ʒj.
Rad. irid. Flor.
Lap. pumic.
Gumm. iunip. an. ʒß.
Rad. aristol. rot. ℈j.
Cort. arant. ʒj.
Lign. aloes. ʒß.
Mosch. gr. ij.
Macer. ℈ß.
m. f. puluis dentibus affricandus.

Commune est in omnibus fœtoribus, vt exsiccentur. Nimia enim humiditas semper putrilaginem facit: prout rectè *Rondoletius meth. curand. morb. cap.* LXXVI. *pag.* CCCXIII. Idem de compositione remediorum internorum *pag.* 915. *Ad oris* (ait) *fœtorem fiunt collutiones, ex detergentibus, & odoratis, deindè ex odoratis, & resiccantibus tantùm hoc modo:*

℞. hord. integr. torrefact. p. j.
Rosar. p. ß.
Cort. citr. ℥j ß.
Gariophyll.
Cinam. crass. an. ʒiij.
f. decoctio ex aqua cisternæ, ex qua & pauco aceto, colluatur os.

Vel: ℞. radic. cyper. ℥j.
Rosar. rubr. p. j.
Santal. citrin.
cinam. an. ʒij.
f. decoctio in aq. cisternæ, vt aq. chalybeata, colluatur os.

Vel fiat ex aquis destillatis odoriferis cum aliquot granis moschi: vt

℞. aquar. myrth.
Rosar. an. ℥ij.
Aqu. ex flor. genist. vel:
Citr. ℥ß.
Mosch. vel ambræ, gr. vj.
Salis parum.

Quod si verò ditiori paretur gargarisma, maior portio *moschi*, vel *ambræ* potest adhiberi.

Idem *Rondoletius tractatu de fucis*, ad *Dentes* dealbandos, conseruandósque, precipuè etiam oris halitum laudat:

℞. summitat. myrth.
Lentisc.
Oleastr.
Salu.

Rosmar.

Rosm. an. m. j.
Corall. rubr.
ebor.
dent. equor. an. ℥iiij.
In fictili vase simul vrantur, addendo
sal. commun. p. j.
donec omnia dealbata sint, & reducantur in puluerem crassum,
cui adde
Gariophyll.
Cinnam.
Rosmar. an. ʒiij.
Mosch. ℈j. vel ℈ij.
f. puluis:
qui excipiatur oxymell. scyllit. vel
mucil. è gumm. tragacanth. vel
arabico.

Vide plures ibidem ad idem institutum formulas.

P. Bayrus libr. v.1. pract. cap. 1. sequens hoc in agone valdè suo more extollit: quod
℞. myrobal. emblicor.
Chebul.
Belliricor. an. partes æquales:
terantur, & fundantur super eos, conterendo in vase lapideo, hora post horam, aqua fontis cum modico saccharo per tres dies, & destilletur vna vice post aliam super renui instillatione ex ol. amygdalatum, semper agitando cum spatula; deinde dimitte siccari in vmbra: Posteà
℞. huius mistionis ʒviij.
Ros. siccar. ʒvij.
Cyper. ℥iiij.
Lign. aloes.
Extremitat. myrt.
Cariophyll.
Mastich.
Spic. an. ʒij. ℈j.
Cinnamom.
Zedoar.
Cort. citr.
Cardamom. min.
macer.
Cardamom. mai.
Nuc. mosch. an. ʒij.
Mosch. ʒj. ℈ij.

Confice cum melle Emplicorum & passul. pingu. & f. formæ similes auellanis. da in mane cum vino, & in sero similiter.

Est (inquit) *hoc medicamentum valens ad ægritudines stomachi, confortans omnes mineras virtu-*

virtutum, faciens oris & totius corporis bonum odorem, occultans fœditatem coloris, bonum colorem generando, conseruans corpus in vigore adolescentiæ, tardans canos, generans hilaritatem continuam, coitum roborans, & est (addit) *medicamentum regium.*

Idem has *Pilulas* præscribit digestionem procurantes, orisque bonum odorem gignentes:

℞. gariophyll.
Nuc. mosch.
Cinnam.
Gall. mosch.
Cyper.
Spicæ.
Cort. citr.
Lign. aloes: an. aur. ij.
Mosch. gr. IV.
f. pilulæ cum vino odorifero:
de quibus teneatur vna in ore paulatim deglutiendo.

Hæc obiter de *oris fœtore.*

Quantùm deniqùe ad hircosum *alarum* fœtorem spectat, is quoque remediis ante præscriptis emendandus est, præsertim ab eo, qui corporis sui curam pensi habet. De iis autem in genere sic disserit *Platerus libr. prax.* III. *cap.* XII. *Cutis* (inquit) *sordes, aliaque adhærentes immundities, actuali ablutione, & frictione tum faciei, tum aliarum partium, & præsertim mutuâ manuum, quæ frequentius immundæ fiunt, aquâ auferuntur, meliusq; calida: Et si plures partes sordeant, balneo. Vel si eiusmodi sordes ob glutinositatem, aut pinguedinem pertinacius adhærescunt, nec facilè cedant, illæ abluendæ sunt, quæ præter detersoriam vim, etiam pinguedine quadam præditæ sunt, quâ magis quàm aqueæ sola istu se se permiscendo, potentius in ea agere possunt. Qualia sunt* Lixiuium, *quod ex transcolatione frequenti aquæ per cineres fit addito interdum, si efficacius illud esse velimus, etiam calce, quod lentore quodam pingui simul cum vi detergendi præditum est. cuius vi, quæ manus inquinant, facilè cedunt, inprimisq;, si Sapone simul fricentur, qui iisdem viribus, & potentius adhùc agit: vtpote ex cineribus, calce, & seuo, donec durescat, coctus, qui ad vsum, additis quandoq; & odoratis, vt radice Iridis, asseruatur. Aliâs verò loco seui oleum sumitur, & tunc sapo mollior remanet, vndè & mollis ad differentiam duri, vel etiam niger ob colorem, & gallicus, quia illic sic ferè paratur, dicitur. Quibus Saponum generibus, manus, adhibita aqua, vel lixiuio frictæ, spumâ inde suscitatâ, sordes quæcunq; auferuntur.* Et quæ eo loci paulò post de pedum sordescentium curatione eius-modi plura habentur hûc sufficientia.

Veteres, vt *alarum fœtorem, hircum* dictum, (*Isidorus* enim *libr.* XI. *cap.* I. *alas sub-hircos: Apollinar.* verò *Sidonius libr.* III. *Epist.* XIII. *alarum specus hircosos, & acescentes* vocat) propellerent, loca illa depilabant, alasque *pice*, aut *resina* vellebant. Vndè *Martialis:*

Et splendent vulso brachia trita pilo.

Senecæ dicuntur ideò *volsi* atque expoliti. Læuigabantur autem *volsi* pumicibus, vndè φιλοκαλοῦντες: vndè *Manilius:*

Pumicibusq; cauis horrentia membra polire: de quibus videatur *Ioan. Wouverenus in animaduersion. ad Petron.*

Cutis autem depilatur medicamentis *Psilotris* dictis, quæ ab effectu ita vocantur, quia pilos corrumpunt, & decidere faciunt, vt autor est *Rondeletius libr. de medicam. internis*.

Ea verò agunt vi potissimùm causticâ, quâ quidem vrendo efficiunt, instar aquæ feruentis, vt pili abscedant. Quæ si validiora sunt, cutimque vehementer adurunt, faciunt quoque, vt radicibus absumptis, cicatriceque obductâ pili non amplius regenerentur. Alia proprietate quoque occulta pilos euellendi pollent, quæ tamen causticis miscentur. Alia ex iisdem quoque vi astrictoria prædita sunt, quæ repellendo nutrimentum pilorum arcent. Alia narcosi simul valent, fortè, vt summa frigiditate repellant: vel, vt dolorem è causticis oriundum demulceant: prout differit *Platerus libr. prax. III. de cura deformationis, pag. XLIV.*

Duplicia autem sunt *Psilotra* potissimum. Quædam saltem depilant: quædam etiam pilos renasci vetant. In vtrisque componendis cautum esse oportet, & in applicandis industrium, monente *Rondeletio*. Illinuntur autem vel affricantur, vel alio modo adhibentur.

Quæ depilant, fiunt, autore *Rondeletio*, è *calce, sandaracha, auripigmento*, sine axungia, vel oleo, sed cum lixiuio, & sapone molli: quoniam oleum vim *sandarachæ* atque *auripigmenti* obtundit. Fiat autem hoc modo:

℞. Sapon. gallici mollis ℥j.
Sandarach.
Auripigment. an. ʒiij.
Calc. viuæ ℥j.
misc. simul:
& applicentur supra partem, quam depilare voles.

Sin aqua, vel lixiuio prius abluatur pars, citius penetrabit. Caue autem, ne diutius parti adhæreat. Vrit enim cutim, quam postea vnguento ex calce decies extincta in *aq. rosarum*, atque *oleo rosa.* aut *vnguento de cerussa* curare oportet: autore eodem.

Vbi igitur euulsi erunt pili, hoc efficacissimo oleo renasci prohibentur: quod

℞. Ol. hyoscyam. ℥iiij.
Salamandræ. num. iiij.
Scolopendr. num. x.
Lepores marinos, & vrticas marinas an. num. iij.
Sal. ammoniac. fossil. ℥vj.
decoqu. simul, quibus decoctis adde
sanguin. vespertilion. ℥ij.
Ceræ albæ parum. f. Vnguentum.

Vngatur pars, & fricetur spongiâ, vel alcionio. Et, ne oboriatur inflammatio, *oleo hyoscyami* foueatur. Vtatur diu & frequenter. Huc-vsque *Rondeletius*.

Sed *Platerus lib. III. prax. de cura deformation. Psilotra* ità parat:

℞. Calc. viuę. ℥j.
Auripigment. ℥ß.
Puluerisata decoqu. in aqua, vel lixiuio,
posteà illine.

Aliud efficax; quod

℞. Au-

℞. Auripigment. ℥j.
Gumm. hederæ. ℥v.
f. puluis.
adde
ouor. formicar. contusor. cochl. ij.
& cum aceto incorporentur.

Potest autem, iuxtà *Platerum*, etiam *sanguis vespertilionis*, vel *ranarum*, vel *hyoscyami succus*, addi.

Sequens *Aqua Plateri* pilos demit, renasciq; prohibet; quæ
℞. Sal. nitr. ℥viij.
Alumin. ℥vj.
contundantur.
Ex stillatâ aquâ madefiat locus, atque vbi siccata fuerit, repetatur.

Vel sic fiat cum *Opio*.
℞. Opij. ℥iß.
Sanguin. dracon. ℥ß.
coqu. in Aceto: addito interdum succo hyoscyami.

Euelluntur alias quoque pili *Emplastro*, quodam tenacissimo, cuti imposito, illic, vbi pilos eradicare est animus, quod aliquantisper retinetur, donec firmiter adhæreat, posteà verò iterum detrahitur. Pili enim hac via *Emplastro* inhærentes facili labore extrahuntur.

Eius-modi, inter cætera, hoc *Plateri* est: quod
℞. Picis naual. ℥ß.
Mastich. vel gum. heder. ℥iij.
Auripigment. ℥iß.
cum Resina f. Emplastrum.

Caput X.

Paralysis quid? Eius caussæ, differentiæ. *Galeno* est morbus frigidus. Hinc PETRONIVS languorem & debilitatem coitûs in viris cum *Paralysi* comparat. Datur vera quoque mentulæ *Paralysis*. In omni *Paralysi* nerui potissimum sunt affecti. Sensus verborum PETRONII astruitur. *Tibicine* antiquitus exequias celebrabant. *Præficæ* mulieres quænam: *Paralyseos* prognosis. *Paralysis* manuum grauior quàm pedum. Languor ad coitum per iocum *Paralysis* dicitur. Eiusce remedium proponitur.

PAG. 56. quæ referuntur apud *Petronium* de *Paralysi* loquuntur, seu magis de impotentia & languore coitus, qui cum *Paralysi* comparatur. Sic enim *Circe Polieno* languorem exprobrat: *Narrabo (inquit) tibi adolescens, Paralysin cave; nunquam ego ægrum tàm magno periculo vidi. Mediusfidius iam perîsti. Quod si idem frigus genua manusq; tentauerit tuas, licet ad tibicines mittas.*

Quæritur nunc: *Vtrum Paralysis ea inprimis lethalis, quæ genua ac manûs inuaserit?*

Priusquam igitur aliquid determinemus, omninò quædam de mediis concludendi,

 inpri-

inprimis de *Paralysi*, nec non genuina præallegatorum verborum significatione, præmittenda erunt, quæ non obitaneam in recessu obscœnitatem redolent.

Paralysis autem de communi Medicorum inprimis ipsius *Galeni*, sententia, dicitur morbus frigidus. Cuius-modi quoque idem communis præceptor, *Galenus*, pulsum in Paralyticis languidum, tardumque esse prodidit, *libr. de causs. puls. & de introduct. ad pulsus*. Caussa igitur communiter refertur ad pituitam crassam, neruis tenaciter impactam. Effectus inprimis atque à posteriori, quod ferunt, deprehenditur ea esse frigida, cum sensum motumque membro adimat, illudque, ob gelu quoddam intrinsecum, velut immobile, congelatumque efficiat. *Rondoletius* nihilo-minus à pituita tenui, sed multa, *Paralysin* oriri statuit, quæ à cerebro defluens, ob tenuitatem, totam nerui substantiam irriget, molliorem q; causset, vbi idem neruis, ac in *Apoplexia* cerebri, accidat. Idem in *Fernelium* grauiter inuehitur, quod is, vir alioquin magnus, in fine *Febrium Intermittentium* tradat, *Paralysin* se quandoque obseruasse, à bile in spinam dorsi, ac neruorum originem effusa oriundam; id quod conceptissimis rationibus impugnat *method. curand. morbor. cap.* XXXII. E conuerso *Rondoletium* refellit *Marcell. Donatus histor. medic. admir. l.* II. *cap.* V. vbi cum *Fernelio* ex *Alex. Tralliano*, & *Rhasi*, historiam adducit *Paralyseos*, ex caussa calida tantum natæ. Sed isthæc exempla rariora sunt: sicut *Apoplexiam* quoque ex sanguine cerebri ventriculos obruente nasci, autor est idem *Fernelius*, cum tamen aliàs ordinario eam fieri asserat à pituita frigida, cum omnibus Medicis. *Germanis* vulgò est: die Lähme; der halbe Schlag. Dum enim spiritus animalis per neruos à pituita crassa obstructos penetrare nequit, fit *Paralysis*: quæ est priuatio sensus motusq; in certa aliqua corporis parte. Neruis enim omnibus insunt sui meatus, crassioribus manifestiores, minoribus minus manifesti: prout affirmat *Marcell. Donatus libr.* II. *de histor. med. mirabil. cap* V. Et hoc modo distinguitur, *à conuulsione*, atque *Apoplexia*, à qua sæpè remanet, atque in quam solet recurrere. In *conuulsione* autem est motus inordinatus: definitur siquidem conuulsio neruorum musculorumque suam versus originem, præter voluntatem, perpetua contractio: vt autor *Fernelius libr. pathol.* V. *cap.* III. *Apoplexia* verò est repentina motus ac sensus, omnisq; functionis animalis priuatio totalis, caussata itidem à totali cerebri, neruorumq; à pituita crassa & frigida affatim ac repentè omnes cerebri ventriculos implente obstructione.

Distinguitur porrò *Paralysis* in perfectam & imperfectam. Illa non totius quidem corporis, sed certæ cuiuspiam partis corporis sensum motumq; tollit. Hæc intrinsecum saltem adimit sensum, motu permanente, quandoque motum è conuerso perimit, constante sensu. Propriè itaque *Paralysis* dicitur, quando sensus & motus simul semelque amittitur.

Cæterum, accidit vt plurimum *Paralysis* ex *Apoplexia debili*, & tunc dicitur propriè *Paraplegia*: *vel hemiplegia*, fortem enim *Apoplexiam*, secundum *Hippocratem*, soluere impossibile, debilem haud facile. Nonnunquam producitur è stupore sensim increscente, qui *Paralysin* prænunciat. *Hemiplegia* itaque sicut grauior ac periculosior est, atque in *Apoplexiam* reflectitur, ità ferè aut omnes partes, quæ sub capite sunt, aut alterutrum duntaxat corporis latus occupat. Hæc vero, quæ ex stupore prouenit, prout mitior *Hemiplegia*, quamuis eadem quoq; pertinax, existit, ità quandoque prædictas illas partes, quandoque vero certam quampiam partem, eamque solam, infestat. Ex hac tot species promanant, vt quædam dicatur v. gr. *Paralysis linguæ*, quædam *oculi*, quædam *maxil-*

maxillæ, quædam *labri*, quædam *brachii*, quædam *manûs*, quædam *cruris*, quædam *pedis*, quædam etiam *penis*, quædam *vesicæ*, quædam *podicis*, quædam etiam in *osse hyoidis* in larynge, vt videre est apud *Roudeletium method. curand. morb. Ferneliuni*, atque alios autores plurimos. Contingit igitur in summa *Paralysis* omnibus illis partibus, quæ motu voluntario gaudent, inprimis verò, quæ propriis & peculiaribus neruis sunt præditæ. Simulatque autem *paralysi* membrum, vel pars aliqua, infestatur, oppidò frigore ea resoluta riget, gelascitque, atque etiamsi attollatur, illicò tamen mole suâ relabitur, tum sensu, tum motu destituta. Atque húc vsque paucis de *Paralysi*, eiusque caussis, secundùm *Medicorum* decreta.

Quandoquidem igitur PETRONIO nostro, viro non tantùm *Poëtæ*, ac *Politico* ingenioso, sed rei quoque Medicæ callentissimo, apprimè constaret, *Paralysin* morbum frigidum, adeoque à neruis obstructis per pituitam crassam oriundum esse, ei languorē, frigiditatemque, quâ *Polyænus* ad Venerem in concubitu *Circis* ineptus fuerat, non temerè comparauit. Vulgò enim coire non valentes frigidos, impotentes, & maleficiatos appellant: qualem se fuisse, vel veneficio etiam contactum, ipse paulò ante *Polienus* ad *Circen* profitetur *pag.* 55. *Perfusus ego* (inquit) *rubore manifesto, etiam, si quid habueram virium, perdidi, totoq́ corpore velut luxato; Quæso, inquam, Regina, noli suggillare miserias, veneficio contactus sum.* Postea quam igitur, initâ inter *Circen* & *Polienum* amicitiâ (prout apparet ex *ead. pag.*) nouus amasius *Polienus Circi* suæ nec virum, nec iuuenem (velut *Ouidius libr.* III. *Amor. Eleg.* V. de se ipso canere aliquando non erubescit:

Nec iuuenem, nec me sensit amica virum:)

in Veneris desiderio eâ parte, funerata velut, quâ quondam *Achilles* fuerat, se se repræsentasset; *Circe*, epistola ad *Polienum* exarata, isthanc isti frigiditatem, languoremque exprobrauit sequentibus: *pag.* 56. CIRCE POLIENO SALUTEM. *Si libidinosa essem, quererer decepta. Nunc etiam languori tuo gratias ago. In vmbra voluptatis diutius lusi. Quid tandem agis, quæro, & an tuis pedibus perueneris domum. Negant enim Medici sine neruis homines ambulare posse. Narrabo tibi, adolescens, Paralysin caue. Nunquam ego ægrum tàm magno periculo vidi. Medius fidius iam peristi. Quodsi idem frigus genua manusq́ tentauerit tuas, licet ad tibicines mittas*, &c. Ex quibus omninò innotescit, languorem atque impotentiam hîc quoque frigiditatem vocari. Prout itaque partes aliæ corporis languidæ, a frigore resolutæ, & *Paralysi* affectæ, non attolluntur, sed pondere suo deorsum relabuntur, ità pariter mentula, siue penis (in quem etiam vera alioquin, vt diximus, *Paralysis* incidit) non erigitur, nec distenditur,, si aut frigore aliquo resolutus sit; aut multitudine flatulenti seminis destituatur. Resoluitur autem membrum virile secundùm *Medicos*, ob musculos eiusdem relaxatos, atque malè affectos. Aliquando contingit, ob natationē in aqua frigidiori in qua perinæum refrigeratur. Aliquando fit ob compressionem, aut equitationem diuturnam, quæ peragitur ab homine macilento, & duro admodum ephippio vtente, autore *Rondoletio*. Aliquando quoque ob maciem & extenuationem corporis vsu venit. Veneficiis denique contingere sæpenumero aiunt, vnde coitus aut omnino destruitur, aut, si desiderium maximè Veneris adsit, languor tamen atque erigendi partem illam, impotentia negotium facessit. Hinc, qui ità retardantur, maleficiati ac ligati perhibentur esse.

Neruos itàque hac in caussa maximè affectos esse, rectè ex præscripto Medicorum, *Circe* apud *Petronium* nostrum iudicat. Iccircò, cum illa pars, qua Veneri sacrificare, *Circique* suæ gratificari *Polienus* debuerat, neruis careret suis, aut quod spiritus ani-

malis materia frigida pituitosaq; impeditus in neruos penem mouentes nō influeret; aut quod ab exhaustu totius, aut defectu seminis flatuumq;, fistulam illā extendentiū, aut denique arte veneficâ appetitus coëundique præsertim potentia, penitus occulto modo prostrata esset; non immeritò quærit *Circe*, quid agat *Polienus*, & an domum pedibus etiam ambulare potuerit? Per amarum itaque sarcasmum obiicit velut amasio, haud frustrà dubitare sese, an eâdem frigiditate ac stupore ex pedibus laboret, quo ex mentula anteà afficiebatur. Quæ pars, siquidem præ languore ac frigiditate, qua velut resoluta erat, officio suo minimè defuncta fuisset, ioco-seriò ambigit, vtrumne adhûc pedibus insuper vti suis possit, posteaquàm penis nullum sui vsum attulisset.

Prout ergo in neruis vitium sit, quo minus coire, ipsáque mentula vsum ambobus præstare potuerit, ità pariter in pedibus resolutionem, ingrediendíque impotentiam ex neruis frigore, aut pituitoso frigido humore stupefactis contingere comparatiuè asserit. Quemadmodum enim Cerebrum est neruorum principium, ità nerui sunt sensus motusque omnis in corpore organa. Resolutis itaque, laxatis, præcisísque neruis neque sensum neque motum in corpore fieri notissimum est; vsque eò, vt rectè edixerit *Circe* penes PETRONIVM: *Negare Medicos, quòd homines sine neruis ambulare possint.* Pergit itaque suo more *Circe*, & *Narrabo tibi* (inquit) *adolescens, paralysin caue. Nunquam ego ægrum tàm magno periculo vidi. Medius fidius iam perisli.* Hoc est: prædicam, vel præfabor tibi, ait, caueas à *paralysi*, vel, videsis, ne in *paralysin* incidas. Nunquam enim ægrum (addit) vidi, qui tàm propè à periculo abesset: cùm iam abinde ægritudinis tantoperè periculosæ bella admodum ieceris primordia. Quodsi malum id vires acquirat, per deos immortales! iam cadauer es! Paralyticum enim esse, est vitam velut sine vita ducere. *Non enim, est viuere, sed valere vita.* *Quodsi* (addit) *idem frigus genua, manusq; tentauerit tuas, licet ad tibicines mittas.* Hoc est: Sicubi idem morbus, eadem frigiditas, aut quasi *paralysis*, (*paralysin* enim nondum fuisse vel ex eo patet, quod eam cauendam monet) crura, aut pedes, manûsque tuas simul infestauerit, actum de te est, iam vespillone, non Medico, opus habes. Siue igitur per idem frigus extremorum refrigeratio intelligenda veniat, quæ calamitosa, & mortem in foribus esse innuit: siue *Crisis* istud arguat, pedibus manibusque porrò frigore isto paralytico infestatis, *Polyeno* corporis sui vsum nullum relinqui, manibus enim pedibusque æger qui destitutus est ità, vt neutrum illorum suum exsequatur officium, pro semi-mortuo habendus est. Quomodocunque autem illud accipiatur, reipsa palàm est, tibicines præstolandos esse, hoc est (vt hodie loquimur) vespillonibus opus esse, qui desperatæ valetudinis ægrum iam quasi tumulo componant, atque omninò supremo officio mandent. Tibicines enim apud antiquos illis temporibus in exequiis canebant. Dicuntur etiam monumentarii *ceraulæ*, item *siticines*, quod apud humi sitos, id est, defunctos & sepultos canant, nec non *θρηνῳδοί*. Hinc *Statius Thebaid. libr.* v.

——*cum signum luctus cornu mugit adunco*
Tibia——

Sic de *Claudii Imp.* funere *Seneca*: *Et erat* (inquit) *omnium formosissimum Claudii funus, vt scires deum efferri: cornicinum, tibicinum tanta turba.* Idem moris apud *Hebræos* tum temporis fuisse, elucescit ex *Euangel. Matth. cap.* IX. vbi SERVATOR noster puellam iam mortuam, ad cuius exequias celebrandas iam-tùm confluxerant tibicines & præficæ, in lucem ac vitam miraculosè diuinâ manu suâ restituit. Præficæ autem erant mulieres condu-

conductitiæ, quæ in funere hominum illustrium, quos, dum viuebant, vix alioquin cognôrant, emptis ære lacrymis & planctibus compita omnesque domus viarumque angulos penè replebant; prout superius latius præfati sumus. Sic in funere *Petri Ronsardi*, Poëtæ Gallicani, superiori seculo *Regis Christianissimi* Psalmistas ac tibicines tam omnis generis instrumentalibus, quàm vocalibus melodiis, atque in medio interruptis cantibus, velut certis singultis, exequias tanti *Poëtæ* tantâ luctus celebritate prosecutos fuisse accepimus à *Io. Iacob. Boissardo*, vt innumeræ penè hominum ad funus confluentium multitudini veros singultus, lacrymasque ea threnodia expresserit. Sed isthoc non tam moris prisci, quàm honoris noui igitur ad exemplum contigisse arbitrandum est.

Quod verò ad prognostica huius morbi attinet: Sciendum primò est, *Paralysin* morbum esse frigidum, chronicum, atque difficilis planè curationis: in quo non facilè pollicenda est ægris salus; quanquam ii tamen, vt obtemperent melius, bonâ spe sustentandi, confortandique sunt. II. Ea *Paralysis* iudicatur grauissima esse, quæ in sinistrum latus incidit, eo quòd vicinior est cordi, vitæ principio. Nerui siquidem omnes ab ipso Cerebro in spinali nimirum medulla sunt interdistincti. Hinc fit, vt in quamcunque partem, siue dextram, siue sinistram, defluxio inciderit, vel *Apoplexia* terminarit, in ea *Paralysis* generetur. III. *Paralysis* in pede citiùs curatur, quàm in manu. Complures enim conspicimus, *Paralysi* alterius lateris contactos, pedibus incedere, qui manibus tamen vti frui minimè possunt. Id quod siccitati, & robori neruorum adscribunt, qui in pedibus sunt. Etsi itaque videatur à corde maior calor propter vicinitatem in manus influere, quàm pedes, vt eâ ratione manus in *Paralysi* facilius curari debeant, nihilo-minus tamen manuum *Paralysis*, quia in ea frigus cordi propiùs viciniusq; obrepit, difficilius soluitur. IV. Neruorum morbi difficilius curantur, quàm venarum: sicut habet *Hippocrates libr. de locis in homine*. Rationem addit *Marcell. Donatus*: *Quia* (inquit) *humores ad neruos decumbentes suâ naturali grauitate facilem motum habent, sed si quando illos occupârint, non nisi maximo negotio amoueri possunt, cùm non adsint vasa, per quæ recurrentes euacuari possint, sed semel impacti non nisi resolutione demi possint, torpescente neruorum vi, vel dissiti validâ quadam vi*; vt habet *libr. II. d. histor. medic. mirabil. cap. V.*

Paralysis quando est in aliqua corporis parte, & partes faciei sunt sanæ, signum est, quod nocumentum est in principio spinalis medullæ. Quando verò partes faciei sunt læsæ, signum est, nocumentum esse in cerebro. Vnaquæque autem Cerebri cellula diuisa est in duas partes, & propterea pro decubitu etiam humoris in hanc vel illam partem facies diuersimodè afficitur: prout autor est *P. Bayrus libr. II. pract. cap. XIIX.*

Non abs re igitur, iuxtà *Medicorum* decreta, sequentia verba Circi apud PETRONIUM exciderunt haud temerè: *Quodsi* (inquit) *idem frigus genua manusq; inuaserit tuas, licet ad tibicinas mittas.* Hoc est; quodsi eadem *Paralysis*, quâ velut virilia tibi contacta laborabant, infestârit genua manusque, tibicines, aut vespillones accersas licet. Vel, quòd cessantibus manuum pedumque functionibus, reliqui corporis vsus fermè nullus sit: vel, quòd ascendente ab inferioribus ad superiora tanquam nobiliora, *Paralysi*, eâque ad *Thoracem* vsque obrepente, tunc, ob cordis vicinitatem, peius sit, adeoque prorsus velut conclamatum. Morbus enim omnis, secundùm Medicorum præcepta, quicunque ab ignobiliori parte ad nobiliorem transit, periculo non vacat.

Porrò,

Porrò, veram in *Polieno* neutiquam *Paralysin*, sed languorem potius ex prægressa Venere, aut aliâ debilitate fuisse, patet è sequentibus, quæ in literis *Circes* annectuntur, vbi remedium certum atque indubitatum languido *Polieno* præscribit, è quibus ioco *Paralysin* eam vocatam esse, clarum fit. Sic enim porrò *Circe*: *Quid ergò est? Etiamsi grauem iniuriam accepi, homini tamen misero non inuideo medicinam. Si vis sanus esse, Gitonem roga; recipies, inquam, neruos tuos, si triduo sine fratre dormieris.* Ecquid verius potuisset afferri ad hunc morbum præ isthâc medicinâ? Quodsi, inquit, triduo abstinueris à puero, seorsimque dormietis, neruos tuos, id est, vires, roburque virile, ex nimio prægressa Veneris vsu deperditum feriando recipies. Et hæc pars curationis rectè procedit per contrarium. Præscribitur enim remedium, quod languorem, ab euacuatione atque inanitione causatum, additione atque repletione curare sufficit. Quibus verbis *Polienum*, intereà feriantem, ac masculum redditum, tacitè quasi ad concubitus suos inuitat.

Eandem in sententiam, quâ *Circe Polieno* languorem istum atque impotentiam obiicit, *Corn. Gallus*, siue potiùs *Maximianus Etruscus*, Poëta Elegiacus venustissimus, iuxtà ac lasciuissimus, sibi ipsimet velut indignatur, quòd tum præ senio, atque imbecillitate corporis alioquin decrepiti, libidinibus pristinis tantoperè desideratis indulgere, vt antè, non posset. Sic enim frigiditatem languoremque proprium incusat *Eleg. v.* quæ non pigebit asscribere:

Sic mihi prima quidem nox affuit, & sua soluit
Munera, grandæuo vix subeunda viro.
Proxima destituit vires, vacuumq; recessit
Ardor, & in Venerem segnis, vt antè, fui.
Illa, velut proprium repetens infesta tributum,
Instat, & increpitans debita reddis? ait.
Sed nihil hic clamor, nil sermo mitis agebat:
Quod natura negat, reddere nemo potest.
Erubui, stupuiq;, omnes verecundia motus
Abstulit, & blandum terror ademit opus.
Contrectare manu cœpit frigentia membra,
Meq; etiam digitis sollicitare suis.
Nil mihi torpenti, nil tactis profuit illis,
Restitit in medio frigus, vt ante, foco.
Quæ te crudelis rapuit mibi femina? dixit,
Cuius ab amplexu fessus ad arma redis?
Iurabam curis animum mordacibus vri,
Nec posse ad luxum tristia corda trahi.
Illa dolum credens: Non falles, inquit, amorem;
Plurima cæcus amor lumina semper habet.
Quin potius placido noli vnquam parcere ludo,
Proiice tristitias, & renouêre iocis.
Obtundunt siquidem curarum pondera sensus:
Intermissa minus sarcina pondus habet.
Tunc egomet toto nudatus corpore lecto,
Effusis lacrymis talia verba dedi.

Cogimur

Cogimur heu! segnes crimen, vitiumq; fateri
Ne meus extinctus forte putetur amor.
Me miserum, cuius non est culpanda voluptas,
Iudicor infelix debilitatis ope.
En! longo confecta situ tibi tradimus arma,
Arma ministeriis quippe dicata tuis.
Fac, quodcunq; potes, nos cedimus: hoc tamen ipse
Grandior est hostis, quò minus ardet amor.
Protinus Argiuis admouit turpiter artes,
Meq; cupit flammis viuificare suis.
Ast vbi dilecti persensit funera membri,
Nec velut expositum surgere vidit opus.
Erigitur, viduoq; toro laniata recumbens,
Vocibus his luctus & sua damna fouet:

Et quæ sequuntur castis auribus indigna.

Idem paulò post:

Dum defles nostri languorem femina membri,
Ostendis morbo te grauiore premi.

Totidem penè verbis, amoris alioquin præceptor, *Ouidius Naso*, languorem suum detestatur, quòd ab amica tantoperè desiderata receptus, cum ea libidinem explere nequiuerit. Ità autem ille *Amor. libr. III. Eleg. VI.*

Hanc tamen in nullos tenui malè languidus vsus,
Sed iacui pigro crimen, onusq; toro.
Nec potui cupiens pariter cupiente puellâ
Inguinis effœti parte iuuante frui.
Illa quidem nostro subiecit eburnea collo
Brachia, Sithoniâ candidiora niue.
Osculaq; inseruit cupidè luctantia linguis,
Lasciuum femori suppositiq; femur.
Et mihi blanditias dixit, dominumq; vocauit,
Et quæ prætereà publica verba iuuant.
Tacta tamen gelidâ veluti mea membra cicutâ,
Segnia propositum destituère meum.
Truncus iners iacui, species, & inutile lignum,
Nec satis exactum est, corpus, an vmbra forem.
Quæ mihi ventura est (siquidem est ventura) senectus,
Cum desit numeris ipsa iuuenta suis?
Ah! pudet annorum, quòd me iuuenemq; virumq;,
Nec iuuenem, nec me sensit amica virum.
Sic flammas aditura pias æterna sacerdos
Surgit, & à charo fratre verenda soror.

Ad eundem languorem, atque impotentiam referuntur, quæ apud PETRONIVM hinc-inde occurrunt. *pag.* 8. *Encolpius de Psyche* ancilla: *Sollicitauit* (inquit) *inguina mea mille iam mortibus frigida.* Et pag. 55. *Perfusus* (inquit) *ego rubore manifesto, etiam, si quid habui iam virium, perdidi, totoq; corpore velut luxato, quæso, inquam, Regina, noli suggillare mise-*

 riam,

rias, veneficio contactus sum. Similiter *pag. 56. Encolpius ad Gytonem: Funerata est illa pars corporis, quâ quondam Achilles eram.* Hùc refer integram epistolam *Circis* ad *Polienum*, quâ illi languorem ac frigiditatem suam exprobrat; eiusdemque *Polyeni* responsum & confessionem: *pag. eadem.* Idem occurrit *pag. 60.* vbi *Proselena anus Encolpio: Quæ striges (ait) comederunt neruos tuos? aut quod purgamentum nocte calcasti in triuio, aut cadauer?* Idem eadem anus de *Encolpio*, ad *Enotheam, Priapi* sacerdotem: *O, inquit, ô Enothea, hunc adolescentem, quem vides, malo astro natus est: eam neq; puero, neq; puellæ bona sua vendere potest. Nunquam tu hominem tam infelicem vidisti. lorum in aqua, non inguina habet.* Idem quoque *Encolpius* arguit *pag. 64. Saltem (inquit) si permitteretur osculum capere, si illud cœleste, ac diuinum pectus amplecti, forsitan rediret hoc corpus ad vires, & resipiscerent partes veneficio, credo, sopitæ.* Sed iam curationem istius languoris, atque impotentiæ, apud PETRONIVM propositam, videbimus.

Caput XI.

CVratio maris ad Venerem inepti apud PETRONIVM integra proponitur. Eius partes sex explicantur. *Balneum* quid ad Venerem conducat? quid *Vnctio*? quid *Bulbi* & *Cochlearum ceruices*? quid *vinum* parcius sumptum? quid leuissima *ambulatio*? quid denique *abstinentia* à coitu? in quibus omnibus curatio maris frigidi, scopusque ac ratio verborum PETRONII explicantur, illustranturque.

POsteaquam igitur *Polienus*, ignauus atque exhaustus Veneris miles, manifestam *Circis*, amicæ suæ, reprehensionem metuisset, culpam emendaturus, statuit ignominiæ istius maculam abstergere. Quo igitur nouos neruos, & robur militare sibi acquireret, misso ad *Circen* per *Chrysidem* ancillam responso, quo veniam deprecans multo etiam grauiora suâ illâ frigiditate commeruisse se palàm confitetur, mox ad medicinam anhelat, corpusque satis ea in parte ægrum atque exhaustum validioribus remediis in viam reuocare accingitur. Eccel autem videamus, quonam medicaminum genere, quâque methodo mas frigidus, atque ad Venerem ineptus, curam ignominiæ suæ auspicatus sit. *Pag. 57. Dimissa (inquit) cum eiusmodi pollicitatione Chryside, curaui diligentius noxiosissimum corpus, balneóque præterito modicâ vnctione vsus, mox cibis validioribus pastus, id est, bulbis, cochlearumq; sine iure ceruicibus, hausi parcius merum. Hinc ante somnum leuissimâ ambulatione compositus sine Gytone cubiculum intraui. Tanta erat placandi cura, vt timerem, ne latus meum frater conuelleret.*

Non vnicum itaque hîc saltem remedium, sed integra *Curatio* præscribitur, quâ *Polienus* languorem istum expugnare, adeoque Venerem suam placare nitebatur. Quinque ergo, aut sex omnino proponuntur remediorum genera, quibus ea curatio conficienda erat.

Primum erat *Balneum.* Secundum *Vnctio.* Tertium constabat è *cibis* Venerem prouocantibus. Quartum constituebat *Vinum.* Quintum erat *deambulatio* ante somnum. Sextum denique absoluebat, *abstinentia* à fratre, vel *Gytone.*

Quæ singula iam nobis erunt ordine consideranda.

I. Pro primo igitur non temerè quæritur, *quid Balneum conducat ad Venerem?* Pro cuius resolutione breues erimus. *Hippocrates libr. II. de vict. rat. in Acutis: Balnei (inquit) abstinentia,*

nentia, consumpta humiditate siccat, eodem sanè modo neglecta vnctio. At verò Vnctio calefacit, humectat, & emollit. Galenus *libr. 1. de vsu part. Balneum* (ait) *cum natura humidum sit, & moderatè calidum, humiditate quidem natam ex caliditate siccitatem irrigat, caliditate verò ortam ex gelu frigiditatem persanat.*

Balneum itaque est remedium vniuersi corporis. Adhibetur enim, vel ad detersionem; v. gr. in sudoribus, cutis fœtore, hirco alarum, pedumque sordibus; vel ad dolores mulcendum; v. gr. in Colis, Nephriticis, & Hystericis passionibus; vel ad lassitudines; v. gr. in itineribus, præsertim æstate; vel ad vitia cutis; v. gr. in scabie, icteritia; vel ad intemperiem totius; v. gr. in febribus, præsertim Hecticis, in quibus frequens est balneoru m vsus. Cùm igitur *Balneum* toti corpori conducat, eo quod calefacit & humectat, quod quidem naturæ corporis humani, quæ in calido & humido fundatur, admodum conueniens est, non immeritò id ipsum, sicut olim penes veteres, ità hâc etiam nunc tempestate tantùm non ad corporis valetudinem, sed etiam ad voluptatem atque lasciuiam vsurpari constat. *Gulhelm. Rondeletius method. curand. morbor. cap.* XXIV. *de Paralysi: Balneum* (inquit) *effeminat, & vsus calidorum nimius resolutionem inducit. Ouidius* quoque testis est, *Balnea* libidine non vacasse, *libr.* III. *de Arte:*

Celent furtiuos balnea multa iocos.

Sic *Pindarus in Nemeis, Oda* IV. aquam calidam membra mollia facere, ac refocillate cantat. Sic *Philippus, Rex Macedonum, Tarentinum* quendam magnæ existimationis militem, dignitate sua priuauit, quòd calidis balneis, tanquam re effeminatâ, vsus fuisset; vt est apud *Polyænum libr.* IV. *Stratagem. pag.* CCXXV. Sic *Scipio* quoque omnes meretriculas è castris eiecit, itemque militibus *balneis* vti interdixit; eodem autore *libr. Stratagem.* VIII. Quæ quidem satis indicio sunt, etiam apud veteres balnea voluptatis gratia in vsu fuisse, adeoque milites, qui fortes, & ad sustinenda belli tædia masculi atque infracti esse debent, ea minimè decere, nisi effeminati inde euadere, atque meretriculis potiùs, quàm bello operam dare velint. De quibus, qui plura cupit, recurrat ad *libr. 1. cap. X. suprà, de Balneis.* Sic, autore *Dione, Poppæa, Neronis Imper.* pellex, quam ex *Othonis* coniugio mutuò acceperat, adcò voluptatis, inprimis corporis formæque fuit studiosa, vt ex lacte quingentarum asinarum, quæ proximè pepererant, quotidie recens emulcto balneum sibi fieri curaret, ad formæ ac corporis nitorem.

Quemadmodum igitur, teste *Hippocrate*, omne frigus neruis inimicum, ità è conuerso calor neruis amicissimus. Neruos autem etiam in frigidis maribus, è *penu* obortâ velut *Paralysi*, affectos esse, superiori quæstione de *Paralysi* vidimus. Quò cùm faciat *Balneum*, imò apprimè calfaciat, imò verò, autore *Duncan. Liddelio, d. curat. febr. hectic.* partes externas relaxet, quo promptiùs alimentum attrahant, ecquis iam idipsum eâ ratione ad voluptatem Veneremque conferre ambigat?

II. Pro secundo: Calefacto ità per *Balneum* totius corporis habitu rationi maximè consentaneum est, tum demum vnctionem altius penetrare, atq; efficacius operari. Sicut enim communiter *Medici*, ad emolliendas corporis durities, tumores, & scyrrhos, de industria primùm balneis particularibus, quos fotus, fomentaq; appellamus, partem calidè fomentant, quò eò facilius spiracula cutis laxentur, humores tenaces colliquentur, imò ea corporis pars omnino laxetur, aperiaturque, adeoque insuper facilius inunctionem recipiat: ità veteres similiter, qui balneis atque vnctionibus ad-

dictissimi fuerunt. vnctiones post prægressum *Balneum* adhibuerunt, vt eo melius vnguenti, aut olei vis corpori, eiusque poris per balnei calorem ac humiditatem apertis, insinuaretur. Non tantùm verò vnctiones, valetudinis igitur, in vsu fuerunt, sed, prout modo de balneis obiter repetiuimus, inprimis etiam ad lasciuiam, voluptatem, ac curam corporis eædem cesserunt.

Dioscorides lib. I. cap. LII. vnguenta, ait, affectibus non-nullis accommodari, quæ tribus modis vsurpentur, vel medicamentis admisceantur, vel instillentur, vel perfundantur, vel naribus etiam obiiciantur. Eodem *libro cap. XXX. de oleis* in genere ita edisserit: *In vniuersum autem oleum omne calefaciendi vim habet, carnem emollit, corpus contrà algores munit, ipsumq; ad actiones obeundas expeditius reddit.* Cùm itaque vnctio, *Hippocratis* quoque suffragio, emolliat, humectet, inprimis calfaciat, ea vtique *Polieno* apud PETRONIVM maximè conueniens fuit, vtpote cui, præ debilitate, & in Venerem segnitie, *Circe* frigiditatem obiecit, adeoque ipsam *paralysin* cauere iussit. Prout autem ipsa *balnea*, itemque vnguenta, pro ratione affectus iam magis minusque aperientia, calida, aut efficacia requiruntur, ità in affectibus maximè frigidis, impotentia coëundi, eadem è calidis maximè ingredienribus, v. gr. *Pyrethro*, *seminibus erucæ*, *sinapis*, *nasturtii*, itemque *pipere*, *euphorbio*, *borace*, *formicis*, imò ipsis *cantharidibus* interdum infusis, præparantur. Quæ & id genus vnguina, ad Venerem facientia, non quidem toto corporis ambitu illinuntur, sed infrà *Testiculos* maximè, eo scil. interstitio, quod inter *podicem* ac *testes* excurrit, calidè affricantur.

Eo enim loci *penis* corpora, itemque *vasa seminaria* delitescunt: quæ acrimoniâ, potentiaque, imò vi stimulatrice eius-modi inunctionum irritata semen eò faciliùs, eoq; copiosiùs ad *Testiculos* ablegant, vnde *penis* seminis, & flatuum ei congenitorum copiâ stimulante, inturgescit.

Eius-modi verò est vnguentum *D. Plateri*, quo eo in casu regionem inter *Anum* ac *Testes* inungi iubet:

℞. Rad. pyrethr.
piper.
zingib.
sem. sinap. an. ℥ j.
euphorb. ʒ ß.
ol. laurin. ℥ ij.
ol. d. spica. ℈ j.
Ceræ parum. f. Vnguentum.

Aliquando etiam ipsum *scrotum*, *virga*, vnà cum *perinæo* inunguntur, vt hoc:

℞. Ol. nuc. moschat.
ol. macer. an. ℥ ß.
ol. garyophyll. dest gr. iij.
mosch.
zibeth. an. gr. j.
cum Ceræ s. q. vel sine cera. f. Linimentum.

P. Bayrus dextri pedis pollicem oleo, in quo *cantharides* sunt dissolutæ, inungit, & multos inde miram in coëundo vim expertos esse narrat. Alii eodem fermè modo exterius *perinæi* regionem inungunt *oleo nucum*, in quo *formicæ* & *cantharides* fuerint decoctæ.

Sed

Sed dispiciendum, quibus, & quando hæc præscribantur. Illis enim qui ex frigiditate, vel impotentia vasorum seminalium laborant, isthæc inseruiunt potius, quàm qui ex alimenti atq; seminis flatulenti defectu laborant: illi enim magis rebus alimentosis, hi verò flatulentis opus habent.

Eo itaque pacto verba *Polieni* apud *Petronium* nostrum interpretanda esse arbitramur, quæ ita habent: *Balneoq; præterito modica vnctione vsus*: vt intelligatur, oleo, vel vnguine ad Venerem suscitandam appropriato, qualia suprà proposuimus, non quidem vniuersum corporis ambitum (sicut *Balneum* totum, *Insessus* verò medium corpus ad vmbilicum vsq; comprehendit) neque latus corporis hoc vel illud, sed perinæum, sed interstitium illud inter *Anum* & *Testes* duntaxat inunctum fuisse. Is enim locus, cum non amplus sit, neq; etiam amplam inunctionem postulat. Accedit, quod *olea*, vel *vnguenta* Venerem, præsertim in frigidis, stimulantia, exquisitarum sint virium, vtpote quæ è *pipere, sinapi*, imò *euphorbio*, imò *formicis* ac *cantharidibus* coctis componuntur, ideoque iis modicè atq; in mediocri quantitate vtendum, ne exulceratio vasorum seminalium, ipsiusque vesicæ, propè adiacentis, (quod factu alioquin facile) nedum cutis excoriatio suboriatur, vndè inflammatio, & grauissima accidentia alia exspectanda.

Atque sic *modicam vnctionem post Balneum* paucis vidimus.

III. Quod ad tertium remedium attinet, ait *Polienus*, præmisso *Balneo*, atq; *vnctione modica*, pastum se esse validioribus cibis, atque in specie *bulbis*, *ac cochlearum sine iure cernuis*. quæ obiter videntur medendi methodo, præceptisq; *Medicorum* velut repugnare. Nullus enim cordatorum Medicorum curam à particularibus auspicatur, sed potius ab vniuersalibus, lege methodi. Vniuersalia autem vocamus *Laxantia, potiones digestiuas, purgantia, venæsectionem.*

Quibus ab initio neglectis facilè æger in periculum adducitur, si incidentibus, calefacientibus, stimulantibusque, atque id genus medicamentis vehementibus, qualia maximè sunt Venerem acuentia, atq; hîc speciatim etiam *a Petronio* proponuntur, curatio initio instituatur. Neque enim *Topica* facile applicamus, nisi in fine *Curationis*, præmissis maximè vniuersalibus, atque intrà propinatis remediis. Hîc autem primò proponuntur, *balnea, vnguenta*, externa, tum *bulbi, cochleæ, vinum*, interna velut ἀφροδισιακά, Quanta enim sæpenumerò, & periculosa accidentia, præsertim in corporibus impuris, & cacochymicis, ex neglecta purgatione oborta fuerint, testantur vbique grauissimi Medici. Inter alios multos *Dn. Guilh. Fabricius*, Medico-Chirurgus huius ætatis præstantissimus, autor est, ex sola scarificatione & cucurbitularum applicatione cæcitatem caussatam fuisse, tantum ob neglectam corporis vniuersalem purgationem.

Verum enim verum, cum cura isthîc ordinaria, sicut à *Medicis* fieri receptum est, ab *Arbitro* nostro, qui *Satyrici* personam implet, non proponatur, excusabimus eo pacto autorem nostrum, & remedia, qualia porrò describit, accuratius paulò contemplabimur.

Quanquam igitur in affectibus aliis, vt diximus, merito vniuersalia particularibus, interna topicis præmittenda sint, nihilo-minus tamen scitè hanc *curam* hoc in *Polieno* institutam esse, eamque extraordinariam, vt qui alioquin (ità loquendo) ordinario, aut propriè ex ægritudine non laborabat, age, comperiemus. Is igitur more eius seculi ante cœnam curam auspicaturus primo, *balneo* vtitur (quod ante cœnam antiquitati consuetissimum erat) ad calfaciendum totius corporis habitum, qui refrigeratus esse

Ii i 3 vide-

videbatur: Curatio enim hæc integra in calefacientibus stimulantibusq; vertitur. Poris cutis hoc pacto, per *balneum* apertis, laxatoque corporis habitu, vlus eti *vnctione*, tanquam quæ post *balneum* magis penetraret, efficaciusque vires suas in subiectum corpus exerceret. His ità præmissis, vtpote quibus abundè frigus corporis dispelli posse, tum alimentum quoq; & semen ad *testes* allici, deferriq; optime indicauit, hæc quidem ad calorem earum partium sufficere posse, sed neutiquam sufficere ad Venerem, ac penis erectionem, sine qua actus ille perfici nequit, rectè censuit. Calor enim irritatio, & stimulus ad erectionem virgæ minus sufficiunt, nisi itidem adsit seminis copia, idemque illud sit flatulentum, & turgens. Ad cuius generationem certè neque *balneum*, neque *vnctio* quicquam confert, sed conferunt maximè alimentosa, atque ea, quæ optimum sanguinem succumque corpori conferunt. Semen enim est nobilior pars sanguinis.

Rectè igitur præscribitur victus è *bulbis*, *cochleisq;*, vtpote quæ tum apprimè nutriunt, tum ex specificâ proprietate semen mirificè augent, tum flatus quoque cumulant, virgamque erigunt. Meritò igitur hos *cibos validiores* appellat, nempè, quod extraordinariam vim atque energiam ad Venerem promouendam natura sua sortiti sint. Id quod dubio procul didicerat è *Dioscoride*, qui *de mater. medic. libr.* II. *cap.* CC. de *Bulbis* in genere ità disserit: *Bulbi autem omnes* (inquit) *acres sunt, & excalfactorii: Venerem stimulant, linguam & tonsillas exasperant, plurimum nutriunt, & carnem augent, verum inflationes pariunt. Plinius natur. histor. libr.* XX. *cap.* IX. ex *bulbis Megaricos* Venerem maximè stimulare asserit. Apud *Aristophanem in concionatricibus* iocus de *bulbis* extat: ὁ καταφαγὼν βολβῶν χύτραν: id est: *Qui deuorauit bulborum ollam.* Anicula enim ad iuuenem coitum recusantem, quod vnus duabus non sufficeret, καλῶ, (inquit) ἐπειδὰν καταφάγῃ βολβῶν χύτραν. Vide *Des. Erasmum Chil.* III. *Cent.* IV. XLIV. Cum *Plinio Megaricos bulbos* commendat *Columella*:

Iam Megaris veniant genitalia semina bulbi.

Hinc ex *Athenæo libr.* II. *Dypnosophist.* in impotentes dicterium: Οὐδ' ἐν σ' ὀνήσει βολβὸς ἂν μὴ νεῦρ' ἔχῃς: id est: *Neruis carentem iuuerit bulbus nihil:* *Ouidius* quoque *libr.* II. *de arte*, inter remedia, Venerem stimulantia, *Bulbos* præscribit:

Candidus Alcathoe qui mittitur vrbe Pelasgâ
Bulbus, & ex horto qua venit herba salax.

Idem inculcat *Martialis lib.* XIII. *Epigr.* XXXIV.

Cum sit anus coniux, & sint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis quàm satur esse potes.

Quo loci *Fari[illegible]us in Martialem*, ex *Alex. ab* Alex. autor est, *ex bulbis* cum *nucleis pineis*, *eruca*, *pipere*, in nuptiali cœna sponso ferculum olim parari solitum. Apud *Athenæum lib.* X. *in opere* περὶ τῶ κυλῶ, certum quoddam cibi genus referrur, quod, ex bulbis & lenticula confectum, Græcis in deliciis erat, & βολβοφακῆ dicebatur. De *Cochleis* idem sentiunt autores, atque ipsa experientia testis est: vt hoc etiam-nunc tempore pueris in ore sit, *Cochleatum* comestione Venerem proritari. Etsi autem neque *Dioscorides*, neque *Plinius* cochleas ad libidinem commendet, tamen vel ex *Athenæo lib.* III. *cap. de ostreis*, liquere potest, *cochlearum*, sicut *ostreorum ceruices* in cibis venisse. Quò facit *Iusti Lipsii* calculus, qui *epistolicar. quæst. libr.* III. *epist.* 13. super hoc loco dubitat, an cum *Plauto* legendum sit, *sine iure struicibus*. Verba ipsius sunt: *Vide* (inquit) *ne verum sit: Sine iure strui-*

cibus

cibus, voce Plautina. Quamquam vulgatam lectionem tamen firmare Athenæus videatur libr. III. qui capite de ostreis, experti ceruices earum ostendit in cibis, & non semel nominat τραχήλους ... Sic hodie etiam-nunc ceruices *cochlearum, ostreorum, cancrorumque*, apud delicatulos, ritè præparatæ, in vsu sunt. *Martialis* quoque *Anatis ceruicem* inprimis commendat, vnà cum pectore, *libr. XIII. Epigr. LII.*

Tota quidem ponatur Anas, sed pectore tantum,
Et ceruice sapit: Cætera redde coco.

Verisimile itaque est, eos *Cochlearum ceruices*, quas sine iusculo vsurpauit *Polienus*, dubio procul *Pipere*, aut puluere quodam aromatico, conuenienterq; stimulante, conditas fuisse, sicut hodierna quoque tempestate eiusmodi testacea aromatisari consueuerunt. Nostrates aliquando *lacte dulci* cum *sacchar*o, & *pipere albo* ad Venerem vtuntur. *Medici* verò complures eius-modi pulueres, ad Veneris stimulum excogitatos, præscribunt, quibus cibos aspergunt, condiuntque. Cuius generis hic est puluis, *pro condiendis ouis ad coitum:*

℞. Cinam. opt. ʒij.
Salis stinci: vel interioris partis stinci, quæ circa Renes est, ℈ij.
Galang.
Piper. long. an. ʒj.
borac. ʒß. m. f. puluis.
S. Puluis pro ouis.

Sequens puluis *pro cibis* est *Rein. Solenandri*, singulariter efficax.

℞. Cinam. interior. acutiss. ʒß.
Galang ʒj.
Cardamom.
Sem. pastinac.
eruc. an. ʒ j ß.
Croci. ℈ j. m. f. puluis.
S. Puluis pro cibis.

Similiter *pro piscibus condiendis*, ad idem institutum, *pulueres*, vel *trageæ*, parantur.

℞. Zingib. el.
Piper. long.
Piper. alb.
cinam. el. acrior. an. ʒij.
Galang.
macer. an. ʒj.
m. f. puluis.
S. puluis *pro piscibus* condiendis.

IV. Pro quarto, quantum ad *vinum* fa it, vini vsum inprimis, sed parcè moderateq; sumpti, potissimum generosi totius corporis robur & facultates confortare, spiritus alacriores reddere, omnibus notissimum est. Hinc rectè *Terentius: Sine Cerere & Baccho friget Venus:* id est, is nempè Veneri ineptus est, imò frigidus; qui sine alimentis optimum sanguinem succumque generantibus, tum vino quoque corpus affatim recreante, Veneri sacrificare concupiscit. Neruus enim hæc res, calore, & seminis virtute opus habet. Contraria in frigidis adsunt omnia.

Quo-

Quo pacto interim, & in qua quantitate *vinum* accipiendum sit, pulcrè explicat *Arbiter* noster in curatione *Poliæni* sui, maris frigidi: *Hausi* (inquit) *parcius merum.* Rectissimè per Venerem! Prout enim vini copia, atque ebrietas non tantùm neruis officit, sed totius corporis robur eneruat, vt ebrij etiam stare aut incedere nequeant, imo ad omnes fere actiones, præsertim venereas, inhabiles reddantur: ità vice-versâ *merum*, id est, vinum generosum, parcius tamen sumptum, corpus roborat, calfacit, atque ad Venerem, spiritus excitando, disponit. Quo optimè alludit *Q. Seren. Sammonicus*, *libro de medicina, cap. de medela locorum obscœnor.*

Languidus antiquo purgatur penis Iaccho.

Ouidius passim *ebrietatem*, tanquam Veneri rem maximè aduersam, amatoribus cauendam præcipit: sic a. *libr. 1. de arte:*

Certa tibi à nobis dabitur mensura bibendi,
Officium præstent mensq; manusq; suum.

Et paulò post:

Ebrietas vt vera nocet ———

Discorides libr. v. de re medic. cap. 11. de *Vini* facultatibus, non incongruè hunc ad locum: *In vniuersum* (inquit) *vinum omne meracum, & sincerum, ac sua natura austerum, excalfacit; facilè in membra distribuitur, stomacho conuenit, appetentiam ciborum inuitat, corpus alit, somnum conciliat, robur auget, & colorem commendat.* Ibidemque in fine: *Ebrietas omnis, maximeq; iugis, frequentiorve, perniciosa.*

Adde, quod post esum cochlearum, atque eiusmodi terrestrium, aquatiliumque, *vinum*, inprimis generosum, maximè conducebat, videlicet, quod frigiditatem terrestreitatemque calore suo emendet, tùm efficaciâ quoq; ac virtute suâ facilius concoquat, ac dispergat.

Sic medicamenta alia, Venerem incitantia, imo ipsum etiam *Electuarium*, vel *Antidotus Diasatyrionis*, qui in gratiam frigidorum in officinis publicè prostat, cum vino propinatur, aut lacte, cubitum ituris, quo eo facilius in corpus distribuatur, atq; operetur; sicut superius *lib. 1. cap. v. de Satyrio* disseruimus.

V. Pro quinto: *Deambulatio antè somnum* quid, & quomodo Veneri conferat, interrogatur? Pro cuius solutione notandum est; quem in modum per desidiam, atq; ocium immodicum, calor innatus exstinguitur, concoctionesq; in corpore labefactantur; ità vice-versa exercitatio (moderata, inquam) calorem natiuum auget ciborum concoctionem reddit expeditiorem, & plurimum momenti ad sanitatem conseruandam affert. *Hippocrates* pro exercitio laborem ponit. *Sanitatis* (ait) *studium est, impigrum esse ad labores.* Et *Galenus lib. 11 de sanitat. tuend. Sanitatis* (inquit) *tutela à labore auspicanda est.* Idem *libro de cibis boni & mali succi: Ad sanitatem tuendam* (habet) *maximum quidem malum est, omnimoda corporis quies, perinde atq; maximum est bonum, motio moderata, hoc est, si corpora moderatè exerceantur. Tria autem sunt,* autore *Leonh. Fuchsio, potissimum commoda, quæ corpora sese exercitando consequuntur, nempè instrumentorum ex mutuo ipsorum attritu durities, insiti caloris augmentum, & spiritus citatior, vehementiorq; motus. Sequuntur vero hæc* (addit) *reliqua etiam particularia incommoda. Instrumentorum quidem duritiem, tum vt minus ex labore afficiantur, tum ad actiones robur. Caloris autem augmentum, tum deducendorum in corpus validi attractus, tum immutatio magis expedita, tum nutritio magis felix, tum singularum corporis partium fusio, cuius beneficio solida mollescere, humida attenuari, meatusq; laxiores fieri accidit:* de quibus vide

Fuchsium

Fuchsium libr. Instit. II. sect. III. cap. I. II. III. & seqq. Quibus prolixiusculè fauet *Cornel. Celsus lib. I. cap. I. & II.* Sic autem *cap. I.* habet: *Siquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat: illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit.*

Cæterum, inter prænumerata exercitia haud frustrà referri debet *deambulatio*. Quę siquidem è motu constet, meritò exercitatio nuncupanda venit. Motus enim est genus exercitationis, qui sub se se omnia exercitia, eorundemq; species, continet. Prout autem alia exercitia aliis vehementiora, tardioraque sunt, ità eâ ratióne inuicem variant. Aliud enim est velox; in quo scil. est motus celeritas. Aliud vehemens; in quo violentia & celeritas concurrunt. Aliud est tardum; aliud imbecillum; in quibus motus est tardus atq; debilis. Aliud est lene & mite; in quibus motio est facilis: de quibus omnibus *Galenus de tuend. sanitat.* XI. fusius commentatus est. Ex quibus iam manifestum fit, ad quam exercitationis speciem deambulatio referenda sit. Illam autem sub exercitio *leni, & miti*, ità dicto, cõtineri, nullus ambigit; præsertim cum ea deambulatio ità comparata fuerit, vt ipse *Polienus* leuissimam mitissimamq; eam nuncupârit. Sic enim textus habet *pag. 57. Hinc antè somnum leuissimâ ambulatione compositus, siue Gytone cubiculum intraui.* Quibus verbis tum exercitii, tum ambulationis species, tum tempus simul illi exercitationi congruens, exponitur. *Leuissimâ* itaq; meritò dicit ambulatione. Quare? Quia eam celebrabat post pastum, cibumque, quo tempore, *Medicorum* decreto, exercitium penè omne interdictum. Quod si conuenienter, atq; ex præscripto fieri debet, opus est, vt instituatur post ciborum concoctionem. Secus enim, & à cibis initum, corpus crudis humoribus replet. Nam cibus eo pacto prius distribuitur, quàm concoquatur: quod calor per motum atque exercitium auctus accensusq; cibos incoctos ac crudos ad habitum vsq; corporis propellit, aut genus venosum; vnde obstructiones viscerum, cachexia. Interim nihilo-minus lenis inambulatio post mensam, etiam ex artis præceptis, tantum abest, vt sanitati quicquam officiat, vt potius ad alimentorum distributionem, calorisque ventriculi robur apprimè prosit. Vt isthîc tantum post cibos assumptos, prandium scil. aut cænã, ea exercitia vitari debeant, quæ ex genere sunt velocium, aut vehementium præsertim. Ea enim damnis minimè vacant. Sed contrà fermè, etiam vulgò idiotis innotuit: *post mensam standum, aut parum ambulandum esse*: quo eo facilius ciborum fiat distributio, & concoctio. Hinc rectè *Schola Salernitana lib. d. conseruand. valetud. cap. II.*

——— *Sta pranse, vel, i,* ———

Itemque *cap.* LXXVI.

Et mox post escam dormire, nimisq; moueri,
Ista grauare solent auditus, ebrietasq;.

Appositè *Ioan. Curio ad cap.* LXXVI. *Schol. Salernitan. Stare tamen* (ait) *post comestionem vel suauiter deambulare, quo cibus ad fundum descendat ventriculi, multum expedit, & confert, ob bonam ciborum concoctionem. Idq; vulgato etiam hoc comprobatur versiculo:*

Post cænam stabis, aut passus mille meabis.

Quæ circumstantiæ eo magis obseruandæ, quo plus homo sedentarius est, vitamque quietam degit. Hic enim faciliùs ab exercitio paulo vehementiori post cibos inito læditur, quàm homo alius laborib. assuetus. Hoc pacto *Hippocrates* exercitia antè cibos præscribit, imo etiam somnum, Veneremque. Sic enim *lib. VI. aph. V. Labor*, (inquit) *cibus, potus, somnus, Venus, omnia mediocria.* Cautè igitur *Petronius: Hinc antè somnum leuissima ambulatione compositus*: ne scil. in artis Medicæ placita impingeret, quibus cautum esse nullus

lius ignorabat, ne post prandium, cœnamque exercitium vehemens aliquod iniretur.

VI. Quamuis autem præcedens ambulatio post pastum leuissima remediorum Venerem irritantium, non quidem ipsa remedio propriè extiterit; cum nulla per se ambulatio propriè ad Venerem facere possit, sed saltem per accidens, distribuendo nimir. res, ciboſq; ingestos, caloremq. natiuum acuendo adiuuet: pro coronide huius curationis non de nihilo *Polienus* abstinentiæ insuper meminit, qua quidem se dicit sine *Gytone* cubiculum intrasse. Ità enim in textu: *pag. 57. Hinc antè somnum leuissimâ ambulatione compositus sine Gytone cubiculum intraui. Tanta erat placandi cura, vt timerem, ne latus meum frater conuelleret.* Ex quibus abstinentiæ pariter *Polienum* de industria operam dedisse, euidens est. Et rectè id quidem, atq; ex præscripto. *Medicina* enim cum *aliud nihil* sit, teste *Hippocrate, quàm additio & ablatio*; rectè hoc loco curatio debilitatis ex prægressa Venere instituitur per contraria. Vbi enim immodicè, vel nimis euacuatum, inanitumque est, rectissimè repletio additioq; deperditum restituit. Abstinentia itaq; à coitu, qua seminis deperditi copia restauratur, loco repletionis venit, qua in absumptæ substantiæ locum noua substantia reponitur. In hac vnica particula aliquando vniuersa istius debilitatis cura sita est. Contraria igitur hæc abstinentia inediæ est, de qua suprà hoc *libr. II. cap. VII.* Hæc enim (inedia) cum nullum alimentum in eiusce locum, quod deperditum est, succedat, eo pacto vacuat, atq; inanit: vndè etiam inter remedia corpus vacuantia numeratur. Illa verò (abstinentia coitus, inquam) potius è conuerso in locum deperditę substantiæ nouam substantiam accumulat, adeoq; facultates spermaticas, ipsumque semen auget atq; multiplicat. Ex quibus *consectarium* sequitur, malè eos facere, qui abstinentiam cum inedia confundunt. *Abstinentiæ* enim vocabulum longè latius patet, quàm vt ad *inediam* tantum restringi debeat. Sed de isthac curatione maris frigidi, atque sex eius distinctis partibus, hæc hactenus. Sequitur iam post legitimam curationem, veneficium, & curatio Magica.

Caput XII.

C*Vratio* maris frigidi *Magica* sequitur, à *venefica* peracta, pro fascino soluendo. Quam curam nullus *Medicorum* facilè instituit. *Licium* quid? quotuplicis significationis? Licium adhibendi modus. *Ligatio* magica quotuplex? Coniuratio quid: *Sputi*, vel saliuæ humanæ, efficacia. Olim sputo D. N. CHRISTVS surdum. mutum curauit. Diabolus, diuinorum miraculorum æmulus, sputis etiam magicè curat. *Digitus medius* vndè dicatur infamis? *Verborum* ac *Carminum* vis vndè? Eorum caussæ, differentiæ. *Orpheus* magiæ arguitur. Verborum & Carminum vis naturalis *Characteres* nomina dæmonum sunt. *Cornel. Agrippa* lapsus de anima hominis. Exempla, verborum & Carminum vires arguentia. Magos dari certum est. Curationes autem dæmonum Magorumque fictæ simulatæque. Diabolus enim hostis humani generis.

QVem in modum superiori capite *Petronius* noster in *Polieno* suo, ad Venerem frigido, integram curationem, eamque artificialem atq; legitimam ex remediis natura sua coitum promouentibus, iisdemq; cautè ac circumspectè (secundum præscripta Medicorum) administratis, apprimè proposuit; similiter atq, ex aduerso postmodum alterius curationis meminit, superstitiosæ nimir. & non sine incantamento veneficioq; adhibitæ eodem in *Polieno*, qualis ab anu tri- venefica administrata fuit. Ea itaq; cum fascini plenissima, natùra-

turalibus caussis, viribus, atque applicationis modo Physico protsus destituatur, meritò superiori isti ex aduerso hoc in loco opponi debet.

Sic autem *pag. 57.* porro de semetipso *Polienus*: *Nec diu spatiatus consederam, vbi hesterno die fueram, cum illa interuenit, comitem aniculam trahens. Atq;, vt me consalutauit: Quid est, inquit, fastose, ecquid bonam mentem habere cœpisti? Illa de sinu licium protulit varii coloris, filis intortum, ceruicemq; vinxit meam. Mox turbatum sputo puluerem medio sustulit digito, frontemq; repugnantis signauit. Hoc peracto carmine, ter me iussit expuere, terq; lapillos conÿcere in sinum, quos ipsa præcantatos purpura inuoluerat, admotisq; manibus tentare cœpit inguinum vires. Dicto citius nerui paruerunt imperio, manusq; aniculæ ingenti motu repleuerunt. At illa gaudio exultans, Vides, inquit, Chrysis mea, vides, quòd aliis leporem excitaui.*

Hîc igitur Curatio per fascinum ab anu in *Polieno*, neruis ad Venerem destituto, suscipitur. Vbi inprimis notandum, *Petronium* eo in honore, vt par est, Medicinam habere, vt neutiquam abusum multiplicem tàm diuinæ facultatis, ligaturas nimir. & fascinationes, viris & Medicis cordatis asscribit, sed vetulis, vt quæ potissimum (absit Inuidia!) superstitionibus, fascinis, atque incantamentis addictæ feruntur. Minimè tamen isthoc de matronis piis ac grauibus acceptum volumus, quarum multæ, licet ad honoratam atque decrepitam senectam peruenerint, interim tamen antiquum obtinent, id est, pietatis, religionisq; Christianæ, exclusis superstitionibus vanissimis, sunt obseruantissimæ. Ætas enim sicuti neque sexus, hominem nequicquam infamant, sed malitia.

Interim, vt locum huncce, ex quo consectaria non pauca nascuntur, ordine ac methodo aliqua explicemus: primum, quid *Licium* sit, & quarum virium discutiemus?

Deinceps, quid *Sputum*, eiusq; signatio valeat? inprimis, cur *digito medio* peragatur.

Tum, *Verba*, imo *Carmina* in curandis morbis cuius sint efficaciæ? & cur *numerus ternarius* illîc requiratur? dispiciemus.

Quæ omnia, singulaq; vbi ordine commemorauerimus, haud dubiè lectori ob oculos ponent, testatumque facient, quo pacto *Petronius* noster legendus, atque etiam, dum anilia ac superstitiosa sæpenumero immiscet, interpretandus veniat?

I. Primum igitur, quod ad *Licii* etymologiam attinet, vocabularii autores id verbum potius in numero plurali familiariter vsurpant, v.gr. *Licia*, *liciorum*. Sunt autem fila, quibus in telis textrices implicant stamina: licet aliquando etiam pro staminibus ipsis vsurpentur Germani appellant: Das Weber Gezeug/ dadurch der Zettel vff den Stul gezogen wird. Hinc *trilicem* vocamus vestem, quæ tribus ex liciis constat. Hinc etiam *titiuillitium Plauto* vsurpatur, id est, res admodum vilis, & abiecta. In *Casinaria* enim inquit: *Non ego verbum emptitem titiuillitio.*

Deindè *Licion* aliud est à *licio*, quod pro aromate, vel re medicamentosa accipitur, prout describitur *à Plinio lib. XII. cap. VII. Est* (inquit) *etiam nunc in India piperis grani simile, quod vocatur garyophyllon, grandius, fragiliusq;. Tradunt in Indico luco id gigni. Aduehitur odoris gratiâ. Fert & in spina piperis similitudinem, præcipua amaritudine, foliis paruis densisq; cypri modo, ramis trium cubitorum, cortice pallido, radice lata, lignosaq;, buxei coloris. Hac in aqua cum semine excocta in æreo vase medicamentum fit, quod vocatur Lycion. Ea spina & in Pelio monte nascitur, adulteratque medicamentum. Item asphodeli radix, aut fel bubulum, aut absynthium, vel thus, vel amurca. Lycion aptissimum medicinæ, quod est spumosum. Indi in vtribus camelorum aut rhinocerotum id mittunt. Spinam ipsam in Græcia quidam Pyxiacanthum Chironiũ vocant. Dioscorides lib. 1. d. mater. medic. Lycion* duplex proponit, aliud *pixacanthã* vocat, quę

est arbor spinosa, virgis trium cubitorum, aut etiam longioribus: aliud succum, esse dicit, qui è fructu expresso, atq; insolato elicitur: sicut videre est *lib.* 1. *cap.* CXXXII. Et sic de *Licio*, quatenus telam & medicamentum significat.

Hoc verò in loco *Licium* à *Petronio* sumitur pro *fascino*, quod venefica vsurpat pro *Policno* ad Venerem confortando. Medici communiter id genus veneficii *ligaturas*, vel *ligamina* appellant. Alii *pittacia*, vel *breuia* nuncupant. Venefici igitur modo venefico curas suas instituunt. Hoc autem *licion*, inquit, *Petronius*, erat varii coloris: cui astipulatur illud *Virgilii Eclog.* VIII.

Terna tibi hæc primum triplici diuersa colore
Licia circumdo ———.

Et *Ouidius lib.* 1. *Fastor.*

Tunc cantata tenet cum fusco licia plumbo.

Adhibebantur autem *licia* in veneficiis discoloria, tantum non illigandi incantandiq; gratiâ: vt habet *Ramirez ad Martialem lib.* IV. *Epigr.* VIII. n. IV. *In veneficiis licia adhibebantur discoloria, non tantum illigandi incantandiq; gratiâ, vt in Pharmaceutria: sed etiam soluendi & expiandi, vt apud Petronium Arbitrum*: vt autor *Adr. Turnebus aduersar. lib.* XXVI. c. V. Quidam *licia tænias* vocant, quæ in magicis olim sacris vsurpabantur, erantq; diuersi coloris, quorum numerus non expressus. Plurima enim aliquando miscebantur. Ferè autē erant tria, aut duo, prout ex *Virgilio* suprà patet. Quæ *Nemesianum* illustrant *Eclog.* IV.

Hæc eadem nobis varieq; coloria fila;
Et mille ignotas Mycale circumtulit herbas.

In impotentia itaq; coeundi, aut inguinum affectibus, curatio cū *Licio* potissimum instituebatur; quod docet *Plinius lib.* XXIIX. *cap.* IV. *Inguinibus* (inquit) *medentur aliqui, Licium telæ detractum alligantes nouenis septenisq; nodis, ad singulos nominantes viduam aliquam, atq; ità inguina alligantes licio. Cornel. Celsus, Imponendum*(ait) *licium ex vino viro est, aut amurca cocta cum eodem.* Noster autem *Petronius* ex anicula venefica *licium* imponit & collum, aut ceruicem reuincit. Hūc à quibusdā *Horatii* illud refertur; quod habet *li.* I. *Satyr.* VIII.

——— *herbas atq; incantata lacertis*
Vincula cum magico risuq; iocoq; videres.

Quanquam autem *ligationes*, vel *ligaturæ* perhibeantur eædem esse cum *liciis*, nihilominus ligaturas potissimum in contrariam partem sumi, iisq; potius nocere veneficos, inhibere, & propriè ligate aliquid, ne hoc vel illud facere possit, quàm prodesse, aut iuuare, autores testantur.

Cornel. Agrippa, autor, si quis alius huius superstitionis callentissimus, *lib.* 1. *de occult. Philosoph. cap.* XL. *de Ligationib.* ità habet: *Restat* (inquit) *nunc videre rem magnæ mirabilitatis, & ipsa est ligatio hominum in amorem, vel odium, in ægritudines, & sanitates, & eiusmodi. Item ligatio furum, & latronum, vt in aliquo loco furari non possint: ligatio mercatorum, vt in aliquo loco emere, vel vendere nequeāt: ligatio exercitus, vt metam aliquam transire non possit: ligatio nauium, vt nullâ vi ventorum, etiam infinitis velis perventum tensis portum egredi minimè valeant. Item ligatio molendini, vt nullo impetu volui possit: ligatio agri, vt fruges in eo produci nequeant: ligatio loci alicuius, vt in eo coædificari nihil possit: ligatio ignis, vt in aliquo loco accendi non possit: & quod aliquod combustibile apposito fortissimo igne nō ardeat. Item ligatio fulgurum, & tempestatum, vt nocere non possint. Item ligatio canum, vt latrare non possint: ligatio auium, & ferarum, vt volare, vel fugere nequeant. & horum similia vix credibilia, quæ tamen sæpius experientia cognita sunt.* Hæc *Agrippa*.

At

At ibidem modum etiam docet, quo & per quem multipliciter variantem ligationes istius-modi perficiuntur. *Fiunt autem* (addit) *ligationes huius-modi per veneficia, per collyria, vnguenta, potiones, siue philtra, per alligationes, & suspensiones, per annulos, per fascinationes, per fortes imaginationes, & animi excessus, per imagines & characteres, per incantationes, & imprecationes, per lumina, per sonos, per numeros, per verba & nomina, inuocationes, sacrificia, adiurationes, exorcismata, consecrationes, deuotiones, perq; varias superstitiones, & obseruationes, horumq; similia.*

Germani vulgò has ligationes vsitato vocabulo Beschweren/ Beschwerungen/ Latinis *coniuratio, coniurare* sonat.

Eius generis coniurationum, præsertim medicatum, formulæ leguntur apud *Trallianum, Villa-nouanum, Albertum Magnum, Agrippam, Fernelium, Rod. Goclenium, Medicum*, atque alios plures. Sic serpentes aiunt coniurari his verbis, vt loco cedere nequeant: *Osii, Osiia, Osii.* Sic dentium dolorem mitescere affirmant, si quis, dum fit sacrum, dentes contingat, hæc verba efferens: *Os non comminuetis ex eo.* Sic sanguinis fluorem quidam sistunt, sequentia obmurmurando: *De latere eius exiuit sanguis & aqua.* Sic febris abigitur, nempè, si quis laborantis arreptâ manu dicat: *Æquè facilis tibi febris hæc sit, atq; Mariæ Virgini Christi partus:* Aut si antè paroxysmum aliquis, manus cum ægro lauans recitet secretò *Psalmum* illum solennem: *Exaltabo te Deus meus Rex*; de quibus videri potest *Fernelius libr. 11. de abdit. rerum causs. cap. XVI.* Sic *Alex. Trallianus libr. 11.* circa finem, ad *podagram* curandam, iubet effodere ante Solis occasum, *Alterciam* herbam, cum *Luna* est in *Aquario*, aut *Piscibus*, & dicere: *Adiuro te herba sacra per sancta nomina Iaoth, Sabaoth, Adonai, Eloi, Deus, qui terram formauit, & fixit mare fluuiis abundans fluentibus, & qui exsiccauit vxorem Loth in statuam salinariam: Adiuro, inquam, te, vt sistas fluxionem pedum.* Sic ad fluxum sanguinis sistendum, quidam ista mussitant: *Charat, Cara, Sarite, confirma, consona, imabolite*.. Ad eandem hæmorrhagiam compescendam, quidam iubent digito annulari partem tangere, & vicies septies dicere, &, quoties volueris, repetere, donec fluor compescatur: *Socnon, socnon.*

Quorum exemplorum ex ipsius Diaboli schola productorum seges hîc cumulari posset, si plures hanc in rem autores, qui de rebus eius-modi superstitiosis ac magicis scripserunt, allegare foret operæ pretium. Inprimis autem carmine, vel susurramine magico amnes agiles ad caput retrogredi, maris fluxum ligari, compescique, Solis cursum inhiberi, stellas auelli, diem aboleri, noctem geminari, præter *Poëtas* scriptores alii non obscuri vnanimiter consentiunt, de quib⁹ ad finem huius capitis paulò prolixius. Sæpius autem vi magicarum istarum ligationum, effecta atque operationes intentioni & vocis improborum hominum respondere experientia, quotidiana testis est, vt neque de effectis istis, neque de caussa atque autore, ipsissimo certè Diabolo, dubitari valde dignum sit; prout suprà *lib. 1. cap. XV. de Annulis & Signaturis* prolixius in vtramq; partem disputauimus; quorum efficacia nihilo-minus, nisi omnino hallucinamur, facilius ex astrologica medicina ex parte defendi possit. Cuius-modi est, quod *Albert. Magnus libr. d. herbar. virtut. cap. 1. de Heliotropio* habet. Narrat autem eius herbæ vim admirandam esse, si colligatur mense Augusto, Sole in Leone existente, & inuoluatur folio lauri, cum dente lupi, & sic gestetur. Et sic nemo gestanti maledicere, aut irata verba facere poterit. Idem de *cynoglosso* asserit, illud sub digito pedis maximo gestatum facere, vt canes latrare non possint. Et sic herbæ quoque vim ligandi sortitæ sunt.

II. Ad *sputum* quod spectat, seu *saliuam humanam*, eam in genere magnarum virium esse, *Medici* fatentur omnes. Discrimen tamen esse aiunt inter saliuam hominis irati, aut sitientis, esurientisque. Saliua enim esurientis, sitientisque actis est & potens, eius verò, qui pastum iniit, debilior est. Saliua ieiuni hominis à nutricibus vtiliter illinitur *herpeti infantium*, & *scabiei*. Ea totâ substantiâ aduersatur animalibus istis *venenatis*, quæ hominis vitæ insidiantur, occiduntque. Illitu itaque *Scorpiones* interficit, atque *auribus* indita *vermes* inibi existentes perimit, extrahitque. Quidam ieiuno ore triticum masticantes, illud *apostematibus* duris afficiant, quò emolliantur, atque maturentur. Hominis verò irati sputum adeò acre ac potens est, vt veneni quasi naturam induat, præsertim si quis ab irato mordeatur; teste *Dn. Guilhelm. Fabritio obseru. Chirurg. lib.* IV. *obseruat.* LXXXIIX. Morsus enim hominis inter asperrimos quoque numeratur, vt autor *Plinius libr.* XXIIX. *cap.* IV. Idem de *saliua* hominis ibidem sequentibus: *Hominum verò* (inquit) *inprimis ieiunam saliuam contrà serpentes præsidio esse docuimus.* Et paulò post: *Credamus ergò lichenas, lepras, ieiunæ illitu assiduo arceri: item lippitudines, matutinâ quotidie velut inunctione: carcinomata, malo terræ subacto: ceruicis dolorem, saliua ieiuni dextrâ manu ad dextrum poplitem relatâ, leuâ ad sinistrum: si quod animal aurem intrauerit, & inspuatur, exire.*

Cùm itaque multæ sint vires *sputi*, vel *saliuæ* humanæ, etiam in magnis casibus compertæ, nō immerito veteres leguntur sputo curationes morborum suscepisse. Qui modus curandi PETRONII temporibus, ætate *Apostolorum*, D. D. *Petri* & *Pauli*, qui sub *Nerone* passi sunt, in *Italia*, *Syria*, aliisque regionibus, perquam familiaris fuit, adeo vt etiam SERVATOR *humani generis* apud *D. Marcum Euangelistam*, *cap.* VII. itemque *D. Matthæum cap.* XV. legatur sputo mediante surdum-mutum curâsse. Sic enim est in *Historia Euangelica: Et posteaquam discederet* (CHRISTVS) *ex finibus Tyri & Sidonis, appropinquabat mari Galilæo, in meditullio decem ciuitatum. Et ecce! adducebant ad eum hominem surdum, qui erat mutus, rogantes eum, vt manûs illi imponeret. Et sumebat eum à populo seorsim, & digitos ipsi in aures imponebat, & spuebat, & linguam eius attingebat, & in cælum suspiciens suspirabat, dicendo: Hephetah, id est, aperiatur. Et oppidò aures ipsi aperiebantur, & ligamenta linguæ laxabantur, & loquebatur expeditè*, &c.

Hanc D. N. SERVATORIS curationem diuinam miraculosamque, diabolus omnino videtur postmodum imitatus esse, vt etiam asseclis hominibusque peruersis, mancipiis suis, modum dictauerit, quo, mediante sputo, res curationesque magicas perficerent. Quemadmodum etiam diuina quoque illa miracula, quæ *Moses* atque *Aaron* per DEI Opt. Max. omnipotentiam coram *Pharaone* edebant, imitabantur oppidò tum *Pharaonis* magi, diaboli mancipia; vt morem vel hinc etiam, si non aliunde, natum esse arbitremur, sputum pulueribus mistum pro magico deinceps remedio vsurpatū fuisse. Sic autem, inter alios, PETRONIVS de venefica sua disertè: *Illa de sinu licium protulit, varii coloris, filis intortum, ceruicemq; vinxit meam. Mox turbatum sputo puluerem medio sustulit digito, frontemq; repugnantis signauit. Hoc peracto ter me iussit exspuere, terq; lapillos conicere in sinum, quos illa præcantatos purpurâ inuoluerat.* Hinc liquet, *sputum* f. omni fuisse illirum *medio digito*, qui aliàs *infamis* dicitur, ac *ter* ægrum exspuisse. Quibus *Persius* illustratur *Satyr.* II.

Infami digito, & lustralibus ante saliuis
Expiat, vrentes oculos inhibere perita.

Eadem pariter *Tibullo* lucem afferunt, qui *libr.* I. *Eleg.* II. de ligamine, quo venefica virum

rum

rum ligat, ne vxorem adulteram deprehendat, aut eam talem esse credat, itemque de *sputo*, ac *numero ternario*, quo magica ista sacra repetebantur, ità canit:

Nec tamen huic credet coniunx tuus, vt mihi verax
Pollicita est magico saga ministerio.

Et paulò post:

Hæc mihi composuit cantus, queîs fallere posses,
Ter cane, ter dictis despue carminibus.
Ille nihil poterit de nobis credere quicquam,
Non sibi si in molli viderit ipse sinu.

Ad fascinum autem soluendum, abarcendumque, in sinum spuebant. Ità vt hîc *Pollienus* videatur ex arte venefica fuisse ligatus, ne cum *Circe* coire posset. Vnde *Plinius libr. Nat. hist.* XXIIX. *cap.* IV. *Despuimus* (inquit) *comitiales morbos, hoc est, contagia regerimus. Simili modo & defascinationes repercutimus, dextræq; clauditatis occursum. Veniam quoq; à Deis spei alicuius audaciorẽ petimus, in sinum spuendo etiam. Eâdem ratione ternâ despuere deprecatione in omni medicina mos est, atq; effectus adiuuare: incipientes furunculos ter præsignare ieiunâ saliuâ. Si quem pæniteat ictûs eminus comminusve illati, & statim expuat mediam in manum, quâ percussit, leuatur illicò percussus à pœna.* Idem habet *Marcellus de Medicament. Varulũ* (inquit) *remediũ tale facies. Annulos digitis eximes, & digitis tribus oculum circumtenebis, & ter despues.* Idem: *Quum hæc dixeris, tribus digitis terram tanges, & despues, idq; ter.* Hinc adagio vsurpatur: *Despuere malum*: super quo vide *Desid. Erasmum Chil.* I. *Cent.* V. XXV. *Cornel. Agrippa lib.* I. *de occult. Philos. cap.* LI. plurima eius-modi affert magica de *sputo*. Inter cætera verò, quæ ex *Plinio*, atque aliis desumpsit: *Est* (inquit) *rana parua arborem scandens, in eius os si quis expuat, ipsamq; dimittat, tussim liberare dicitur.* Et deinde: *Simili modo saliua manu ingesta, expuere similiter in calceamẽtum dextri pedis, antequàm induatur, bonum est, cùm quis transit locum, in quo aliquod periculum aderit.* Ibidem: *Iubent etiam in colligendis radicibus & herbis tribus circulis antè gladio circumscribere, posteà effodere, cauere præterea contrarium ventum. Item dicitur, quod si quis mensurauerit hominem mortuum cum fune, primò à cubito ad maiorem digitum, deinde ab humero ad eundem digitum, & posteà à capite vsq; ad pedes, faciendo ter omnes istas mensurationes, si alius quispiam posteà cum eodem fune simili modo mensuretur, ferunt illum improsperari, ac cadere in calamitatem ac tristitiam.*

Præterea *Anton. Sabellicus* annotauit, *Vespasianum Imp.* duos è plebe viros, opem sibi à *Serapide* demonstratam implorantes, sanâsse: alterum quidem visu captum, *saliuâ*; alterum verò crure debilem, *calcanei* contactu. Simili pacto *Pyrrhi regis pollicem* magicũ, medicumque fuisse, *Pelopis* verò costam eburneam morbos fugâsse, autor est *Plinius libro* XXVIII. *cap.* IV. Idem *Plinius* ibidem *Dei Fascini* meminit. *Fascinum* autem interpretantur pro pudendo virili, quod fascinum depelleret collo puerorum appensum: autore *Dalechampio in Plinium.* Vnde *M. Varro*: *Pueris* (inquit) *turpicula res quædam in collo suspenditur, ne quid obsit bonæ sceuæ causa.* Appendebatur olim etiam triumphantium curru i *Fascinus Deus*, vt in autores fascinum reiiceret, eosdemque fascinum & inuidiam recipere iuberet, vt est apud *Cal. Rhodiginum.*

Medio autem *digito*, vt diximus, veneficia peragebantur, qui ob id *infamis Persio* dicitur; prout è *Satyr.* II. suprà allegauimus:

Infami digito, & lustralibus ante saliuis
Expiat, vrentes oculos inhibere perita.

Olim quoque nihil nisi infame, ac probrosum eiusce digiti porrectione significabatur.

tut. Hinc *adagium* natum: *Medium digitum alicui ostendere*: id est, posticâ sannâ eludere; de quo videatur *Desider. Erasm. in Adagiis.*

III. Quantum ad tertiam quæstionem facit; vulgatum istud est, quod fertur communiter: *In herbis, verbis, & lapidibus consistit magna virtus*; ac si dicatur: longè maiorem virtutem ac vim esse in *herbis, verbis*, atque *lapidibus*, quàm facilè per physicam scientiam ab hominibus alioquin eruditis, eoque in studii genere versatis, intelligi, cognosci, aut ex rationibus fontibusque caussarum deduci possit. Per *verba* autem intelliguntur dicta, vel scripta. Per *dicta*, significamus verba pauca, eaque propriè dicta verba, v.gr. *orationes, propositiones*: vel medicamenta, eaque cantata, sicut sunt carmina. Dicta rursus proferuntur vel articularè, vel occultè, ac cum murmure: vnde susurramina, murmura. Per *scripta* notantur characteres, signa, sigilla, imagines. De horum autem omnium efficacia ac viribus non facilè ambigitur, cùm experientia haud rarò confirmet, stupendos effectus etiam ex verborum pronunciatione, scriptione, ac gestatione suboriri.

De caussis itaque, quantum eius licet, inquirendum meritò. *Cabalistæ* inprimis (quibus hæc verborum traditio ac doctrina asscribitur, scriptis annotarunt, literas & syllabas, quandam cum corporibus ac mentibus cœlestibus habere sympathiam, ac connexionem: verba verò naturâ suâ maioris esse efficaciæ, quæ orta sint partim à lingua digniori, atque à lingua sanctiori instituta, partim quæ res ipsas sanctiores denotant.

Deinde nomina propria radios rerum quosdam esse, quas significant, imò in ipsis vitam quandam latere; siquidem *Protoplastus* rebus, ab ipsarum ἰδιοσυγκρασίᾳ, naturaque intrinsecâ, desumpta, nomina propria indiderit, qua ad cœlestia habent analogiam. Tum DEVS OPT. MAX. ipse quoque, iuxta Regium Prophetam, creaturis omnibus nomina imposuit, sicut, inter cætera, scriptum est *Psalmo* CXLVI. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina dat.*

Addunt insuper, *nomina significatiua* multũ virium habere; quæ primariò per influxum cœlestem, secundario verò ex hominum instituto significant, quod vtrumque in illis concurrat. Sic *verba complexa*, cuius-modi sunt *orationes* ac *propositiones*, efficacissima esse ferunt, tum quòd veritatem eis accedentem sortita sint, tum quòd integrum orationis cuiusdam contextum proponant, vnde magis animus dictis incenditur, & per consequens vis imaginationis fortior redditur: de quibus vide *Cornel. Agrippam de occult. Philos. libr.* I. *cap.* LXIX. LXX *& seqq. Rodericum à Castro, libr.* IV. *Medic. Polit. cap.* III. *de salutatoribus.*

Atque ideo *verba* magnæ efficaciæ esse contendunt, quòd spiritus per arterias ex corde promanent, perque os loquentis, aut visum etiam aspicientis (fascinationem enim per oculos frequentem esse legimus) vel per poros denique tangentis (tactu siquidem *strumæ, apostemata, vlcera*, ac similia sanantur) erumpant, eoque validiùs penetrent, quo vehementior concurrat loquentis, videntis, tangentisque commotio aut affectus.

Plinius libr. XXIIX. *cap.* III. postquàm multa eo capite attulisset de verborum efficacia, tandem ad finem de ætiologia ac caussis nihil aliud subiicit, nisi vt quemcunque super his, ad libitum, suopte sensu abundare permittat. Ita enim ille: *Sed prodendo* (ait) *obstat ingens verecundia, in tanta animarum varietate. Quapropter de his, vt libitum cuiq; fuerit, opinetur.*

Cornel. Agrippa libr. I. *de occult. Philos.* quinque integris capitibus de verborum, sermonumque virtutibus agit. Primùm enim *cap.* LXIX. ostendit, prout in animi affectibus

bus

bus resideat magna virtus, ità non minorem inesse verbis rerumque nominibus, maximam verò in sermonibus & orationibus complexis. Itaque homines ait rationales dictos esse, atque à brutis differre, non quidem à ratione, quæ secundùm animam accipitur, quam *Galenus* etiam dicat bruta animalia nobiscum habere communem, licet alia magis, alia minus: verùm rationales homines dici à ratione, quæ iuxta vocem in verbis & sermone intelligitur, quæ vocatur ratio enunciatiua, qua parte cæteris animantibus maximè antecellimus: λόγος enim Græcis & rationem, & sermonem, & verbum sonat. Distinguit autem *verbum* in internum, & prolatum. *Internum* vocat conceptum mentis, motumque animæ, qui in cogitatiua præsentia sine voce fit: quemadmodum in somnis nobis loqui & disputare videmur, & in vigilia, etiam silentes, sæpè totam aliquam percurrimus orationem. *Prolatum* verò nominat id, quod quendam in voce & locutionis proprietate actum habet, & cum anhelitu hominis, oris apertione ac sermone linguæ profertur. Verba itaque medium aptissimum esse enunciat, inter loquentem & audientem, deferentia secum tantùm non conceptum, sed & virtutem loquentis, energiâ quadam transfundentia in audientes & suscipientes, tanta sæpè potentia, vt non immutent solùm audientes, sed etiam alia quædam corpora, & res inanimatas. Ex quibus verba præ cæteris maioris efficaciæ esse contendit, quæ res maiores, puta, intellectuales, cœlestes, & transnaturales, cùm expressius, tum mysteriosius repræsentant, quæque à digniori lingua, sanctiorique dignitate instituta sint.

Deinde *cap.* LX. virtutem nominum propriorum, & verborum significatiuorum proponit. Propria autem nomina magicis operationibus plurimum necessaria esse confirmat de communi sententia. *Platonicos* enim asserit in verbis, siue his nominibus, iam suis articulis formatis, ipsam vim rei sub significationis forma, quasi vitam aliquã latentem, affirmare. & quidem primò à mente ipsa, quasi per semina rerum conceptam, porrò per voces, siue verba, quasi partum editam, denique etiam scriptis seruatam. Ipse verò astruit *Agrippa*, secundùm cœlestium influxum, atque influentium proprietates propria nomina resultare, atque imposita esse ab eo, qui numerat multitudinem stellarum, omnibusque eis nomina dat: prout D.N. SERVATOR inquit apud *D. Lucam cap.* X. *Nomina vestra scripta sunt in cœlis:* itemque *Protoplastus*, sicut extat in *Genesi*, rebus nomina, secundum quidditates earum, imposuit, quòd ipse cœlestium influxus, rerumque singularum quidditates cognosceret. Hinc *Magi* dicunt, propria nomina esse quosdam rerum radios, vbique semper præsentes, rerumque vim seruantes: quatenus essentia rei signatæ in ipsis dominatur, discerniturque, immò per res illa, tanquam per proprias viuasque imagines, cognoscuntur. Omnem itaque vocem significatiuam, ait, primò significare per influxum harmoniæ cœlestis: secundariò per hominis impositionem. Quando verò in aliquo nomine vtraque significatio concurrat, tum quæ ab harmonia cœlesti, tum quæ ab hominibus imposita sit, tunc denique geminatà virtute, naturali scil. & voluntariâ, nomen illud ad agendum reddi efficacissimum, quoties debitis locis & temporibus, & solemnitate cum intentionê exacta in materiam dispositam, & à natura sua ab illo patibilem sit prolatum. Sic *Romani* olim vrbem aliquam obsessuri, diligenter inquirebant, cùm in nomen vrbis proprium, tum in nomen numinis illius quoque, in cuius tutela vrbs illa erat. Quibus cognitis carmine tum tutelares vrbis illius Deos euocabant, habitantes deuouebant, atque absentibus diuis vrbem in potestatem suam redigebant.

Tertiò *cap.* LXXI. differit vltrà verborum nominumque prællegatas virtutes, maiorem efficaciam reperiri in *orationibus complexis*, scil. à veritate, quæ in eis continetur, quam maximam vim imprimendi, immutandi, ligandi, stabiliendique habere autumat, hancque veritatem statuit in ipsis latere enunciationibus, cuius-modi sunt, *carmina, incantamenta, imprecationes, deprecationes, orationes, inuocationes, obtestationes, adiurationes, exorcismata*, & similia. In compositione verò carminum atque orationum modum docet, quo quis stellæ, aut numinis alicuius virtutem attrahere debeat: quæ quidem ab hoc loco videntur paulò esse aliena. *Orphea Poëtam* quoque insignem Magum fuisse prodit, vtpote cuius *hymnis* in magia nihil sit efficacius, si illis debita harmonia omni cum attentione, cæteræ circumstantiæ (quas sapientibus compertas esse affirmat) fuerint adhibitæ. Denique differentiam magnam insuper interuenire profitetur, sicubi *oratio, scriptura*, aut *verba*, iuxtà suos numeros, proportiones, formamque proferantur, & sic non nisi consuetos motus caussari: sicubi verò præter consuetum istum ordinem verba, vel orationes inuertantur, aut retrogradè proferantur, tunc insolitos mouere effectus omninò indicat.

Quartò *cap.* LXXII. carminum tantam esse potentiam enunciat, vt incantamenta velut solo eo nomine veniat, adeoque ex *Apuleio* omnem penè naturam subuertere posse putet. Super quibus citat suffragia *Poëtarum, Virgilii, Ouidii, Tibulli, Lucani*, quos omnes vnà cum *Philosophis* affirmare dicit, carminibus miranda multa perpetrari posse.

Quintò denique *cap.* LXXIII. de virtutibus scripturæ, atque imprecationibus faciendis agit. Scripturam itaque vocat vltimam mentis expressionem, sermonis, vocisque numerum, collectionem, statum, finem, continentiam, & iterationem, facientem habitum, qui vnius vocis actu non perficitur. Imò quicquid in mente, in voce, in verbo, in oratione, in sermone denique est, totum hoc atque omne etiam in scriptura est. Iccirco (inquit) Magi dicunt, in quouis opere faciendas imprecationes, inscriptionesque, quibus operans suum exprimat affectum. Id quod etiam *Albertum* probare in Speculo suo, itemque *Virgilii* temporibus vsitatum fuisse innuit sequentibus:

Terna tibi hæc primùm triplici diuersa colore
Licia circumdo, terq; hæc altaria circum
Effigiem duco ———

Et paulò post:

Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores,
Necte, Amarylli, modò, & Veneris, dic, vincula necto.

Ex superioribus nunc fusiusculè propositis facilè liceat animaduerti, quænam sit huius vel alterius autoris super verborum, carminumque efficacia, sententia. De effectis itaque, prout suprà attigimus, non est quæstio, cùm experientia pro teste sit; sed de caussis controuertitur. Essi verò libentius cum *Plinio* vnumquemque in hoc suo sensu, ad libitum, abundare permittamus; nihilo minus tamen illud certissimum sit, magnam tantùm non nudis verbis, sed etiam carminibus, naturalem efficaciam inesse. Ea enim prolata tantùm non auditum mouent, aures attigunt, sed internis etiam sensibus allabuntur, animum mouent, imaginationem concitant, atque in memoria haerent. Vnde videmus, vel vnius alicuius verbi prolatu homini aut iram subito, nasci, imò

velut

velut breuem in furorem agi, ſi nimirum ingratum atque inimicum id ſit, quod audit; aut triſtari etiam, varia ſibi imaginari, adeoque haud facilè, vnico aliquo verbo percepto, ex memoria deponere. E conuerſo, ſi plauſibilia proferuntur, gaudemus, lætamur, adeoque toto corpore, atque anima totus homo expeditior, atque agilior redditur. Et ſic verba imperium in totum hominem habere videntur. Quid dicam de naturali carminum energiâ, quæ graphicè decantata nunc hominem in hunc vel illum affectum abripiunt, atque quiduis ferè perſuadent? prout infrà *cap. de Poëtices & carminum præſtantia* fuſiùs probauimus. *Auguſti* ſiquidem *Imper.* coniugem ex carminum recitatione animo deliquiſſe: imò *Auguſtinum* quoque ſcriptorem illum Eccleſiaſticum IV. *Æneidos Virgilianæ* librum abſque ſingulari animi commotione, ac lacrymis legere non potuiſſe, accepimus.

Quantum itaque cantus atque claſſica animos magis ſtimulant, quàm oratio nuda & ſoluta, tantùm carmina potiùs ad mouendos affectus valent, quàm verba ſimplicia, & abſque numero, ſono, ſingularique elegantia, ligata. Cantus enim & carmen mellificium quoddam verborum inuentioniſque requirunt, ex quo ſelectiſſimus dicendi apparatus, admirandum ingenii acumen eliciatur merito. Et tantum quidem de naturali verborum carminumque efficacia, abſque vlla ſuperſtitione, religiosè ac verè pronunciare poſſumus.

Quod verò ad myſticam illam, abſtruſam, magicamque *verborum*, *orationum*, *carminum*, & *ſcripturarum* energiam attinet, cùm de cauſſis iſtorum omnium, quæ nobis quidem occultiſſimæ ſunt, nihil ſciamus (ſcientia enim eſt rei per cauſſas cognitio) conſultò aliquid ſtatuere præpoſterum foret. Cùm enim, teſte *Corn. Agrippâ libr.* III. *de occult. Philoſ. cap.* XXIX. inter alia, characteres (prout quidem diſertè arguit) nihil aliud ſint, quàm ignorabiles quædam literæ, & ſcripturæ, ſacra deorum & ſpirituum nomina à prophanorum vſu & lectione cuſtodientes: quas literas veteres hieroglyphicas, ſiue ſacras, vocabant; certè haud fruſtrà dubitari poteſt, an per ignota ea, obſcura, ac myſtica vocabula, iidem dei (dæmones, inquam) & ſpiritus apertè inuocentur, quibus peruerſi quidam homines morborum curationes inſtituunt. Ideoque in iſtas iniquitates myſticas inquirere ſcrupuloſius, omnino abs re fuerit: cùm nihil ſint aliud, quàm caſſes, ac retia dæmonum, quibus occultatis intus aculeis, animas hominum, etiam piorum, ſubdolè venantur. De eo verò, quod *Agrippa* habet, *cap.* LXIX. *libr.* I. (vt ſuprà allegauimus) homines rationales dici, non ab anima, quæ nobis, ſecundùm *Galenum*, communis ſit cum brutis, ſed ab oratione, vel ratione enunciatiua, quæ iuxta vocem in verbis & ſermone intelligitur: ſi brutam iſthanc opinionem dixerimus, ecquid impedit? An is ergo *Agrippa*, tantus, & quidem myſticus, Philoſophus, ignorauit hominis definitionem? quâ vulgò ſtatuitur, homo eſſe animal rationale?

Quâ genus igitur conuenit cum brutis, quod cum illis habet commune, ſed non quâ ſpeciem & differentiam. Alioquin homo nihil aliud eſſet, quàm animal brutum. Differentiam autem oportet vnamquamque ex rei cuiuſcunque ἰδιοσυγκρισίᾳ, ſpecie, ac proprietate ſumi, quibus ab aliis differt, aliàs nulla eſt, neque propria differentia. Quemadmodum omnis in genere definitio genere ſuo & differentiis propriis conſtare debet, iuxtà vulgatum illud Philoſophorum, aliàs non eſſet definitio, ſed miſtio, imò confuſio, imò alterum ab altero ſeparatim intelligi, cognoſcique nequiret

 penitus.

penitus. Pereat itaque is homo, non homo, qui quidem cum brutis animam habet rationemque communem. Iccircò hominis differentiam, quâ à bestiis dissidere *Agrippa* dicitur, vocis sermonisque præstantia neutiquam constituit, cùm auiculas etiam *psittacos, picas*, &c. garrire, verba humana æmulari, imò χαῖρε suum expedire nemo inficietur. An ideo *Psittacus* animæ illius immortalis, quæ hominis primatiã præcipuamque partem constituit, atque à qua tot nobilissimæ actiones proueniunt, capax erit? Ethnicum certè! & licet in *Galeno* excusandum, in *Agrippa* hoc tamen execrandum. Sed de his obiter in transcursu satis.

Quo autem exemplis hæc quæstio illustrior euadat, non-nulla isthîc ex autoribus de verborum, carminumque vi magica, mysticaque interspergemus, de quibus tamen quid statuendum sentiendumque sit, cuiuis sententiam liberam permittimus. Quidam, ad hæmorrhagiam sistendam, friuola isthæc verba obmurmurant: *Charat, Cara, Sarite.* Similis farinæ est, quod habet *Marcellus*, pro curatione paronychiæ: digito enim parietem continges, inquit, & rursum digitum ducens, dices ter *Pu, pu, pu*, &c.

De scripturæ efficacia vulgatum illud est *Seren. Sammonici Abracadabra*, contra *hæmitritæum*. Quod quidem ita scribitur, vt in conum vsque abeat ad extremam vsque literam; prout idem apud *Cornel. Agrippam* legitur. Sunt, qui in *Narium hæmorrhagia* cum sanguine fronti inscribunt: *Consummatum est*: quo facto profluuium illicò sisti aiunt. Similiter lamella aurea, in qua voces hæ sculptæ sunt: ὀρύω, ὀρύω: collo appensa lippientes *sanat*, autore *Marcello*. Vidi (inquit Fernelius) scriptâ chartulâ collo subnexâ, vniuersi corporis *icterum* vnâ nocte detergeri. Vidi (inquit idem) & *febres* verbis, & ceremoniis quadantenus profligari. Sic quidam contra febres *Euangelium D. Ioannis Euangelistæ*, IN PRINCIPIO ERAT VERBVM, &c. collo subnectunt.

De *Carminum* autem vi exquisitè magicâ, prolixi sunt *Corn. Agrippa*, & præter eum multi cum *Philosophi*, tum *Poetæ*. E quibus *Virgilius* ità in *Damone Eclog.*

Carmina vel cælo possunt deducere Lunam:
Carminibus Circe socios mutauit Vlyssi.
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Idem:

Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena
Ipsa dedit Mœris, nascuntur plurima Ponto.
His ego sæpe lupum fieri, & se condere syluis
Mœrim, sæpè animas imis excire sepulcris,
Atque satas aliò vidi traducere messes.

Pariter Ouidius *de Medea, libr. Metamorph.*

Cùm volui, ripis ipsis mirantibus, amnes
In fontes rediêre suos, concussaq; sisto,
Stantia concutio cantu freta, nubila pello,
Nubilaq; induco, ventos abigoq; vocoq;:
Vipereas rumpo verbis & carmine fauces,
Viuaq; saxa suâ conuulsaq; robora terrâ
In syluas moueo, iubeoq; tremiscere montes,

Et mugi-

Et mugire solum, manesq́ exire sepulcris,
Te quoq́ Luna traho.

Pariter *Tibullus libr.1.Eleg. 11.* ——

Hanc ego de cœlo ducentem sydera vidi,
Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter.
Hæc cantu finditq́ solum, manesq́ sepulcris
Elicit, & tepido deuocat ossa rogo.
Cum libet, hæc tristi depellit nubila cœlo:
Cum libet, æstiuo conuocat orbe niues.

Lucanus quoque *libr. Pharsal.*

Cessauere vices rerum, dilataq́ longè
Hæsit nocte dies, legi non paruit æther,
Torpuit & præceps audito carmine mundus.

Idem alibi:

Carmen Thessalicum dura in præcordia fluxit,
Non fatis adductus amor.

Quid? quòd apud *Petronium* nostrum *Enothea*, sacerdos *Priapi*, hanc artem veneficam conceptissimis verbis profitetur:

Quicquid in orbe vides, paret mihi, florida tellus,
Quum volo, spissatis arescit languida succis:
Quum volo, fundit opes: scopuliq́ atq́ horrida saxa
Niliacas iaculantur aquas, mihi Pontus inertes
Summittit fluctus: Zephyriq́ tacentia ponunt
Ante meos sua flabra pedes. mihi flumina parent,
Hircanaq́ tygres, & iussi stare dracones.
Quid leuiora loquor? Lunæ descendit imago
Carminibus deducta meis, trepidusq́ furentes
Flectere Phœbus equos reuoluto cogitur orbe.
Tantum dicta valent. Taurorum flamma quiescit
Virgineis extincta sacris: Phœbeia Circe
Carminibus magicis socios mutauit Vlyssis:
Proteus esse solet, quicquid libet. his ego callens
Artibus Idæo frutices in gurgite sistam,
Et rursus fluuios in summo vertice ponam.

Præter *Poëtas* complures, *Plinius natur. histor. libr.* XXXVIII. *cap.* II. de verborum vi in medendo sequentia initiò affert: *Ex homine* (inquit) *remediorum primum maximè quæstionis, & semper incerta est, valeantne aliquid verba & incantamenta carminum. Quod si verum est, homini acceptum ferri oportere conueniet. Sed viritim sapientissimi cuiusq́ respuit fides.* Et posteà: *Dixit Homerus, profluuium sanguinis vulnerato femine Vlyssem inhibuisse carmine, Theophrastus ischiadicos sanari: Cato prodidit luxatis membris carmen auxiliari: M. Varro podagris.*

Cæsarem Dictatorem post vnum ancipitem vehiculi casum, ferunt semper, vt consedisset, id quod plerosq́ nunc facere scimus, carmine ter repetito securitatem itinerum auspicari solitum.

Cæterùm, isthæc omnia fieri, in magicam artem, magosque passim inueniri, præter id,

quod experientia proh dolor! quotidiana nimis infelicibus exemplis comprobat, etiam ex *Exodo, Samuele*, atque aliis *sacra scriptura* locis plurimis, tum *Impp.* quoque & *Iureconsultorum decretis*, satis intelligimus. Sic enim loco citato *Plinius: Quid* (inquit) *non & legum ipsarum in Duodecim tabulis verba sunt? Qui fruges excantasset*: Et alibi: *Qui malum carmen incantásset*. Quæ rectè ac disertè excipit, Medicorum Gallicanorum facilè doctissimus, *Fernelius lib.* II. *de abd. rer. causs. cap.* XVI. Hæc (magica, inquit) *nisi multorum fide comprobata, contestataq́; forent, non tàm multas leges Iurisconsultorum prudentia in Magos contulisset, nec iis, qui messes incantassent, in lege duodecim Tabularum pœna esset constituta.*

Quid autem deniq́ue Curatio istius modi magica, ac diabolica præstet, aut quos successus post se relinquat, idem eruditissimus *Fernelius* apprimè recenset, curam eam nimir. ad speciem fictam, sanationemq́ue simulatam esse pronuncians, cum Diabolus, generi humano alioquin hostis infensissimus, neminé verè curet, aut si qua ad speciem curet, id operam det, vt curato corpore animam venetur, suosq́ue complices, ad se se, ceu Deum aliquem, honorandum, seducat.

Vt autem (inquit) *magicis artibus dæmon non res ipsas, quippe quas generare non possit, sed solas rerum species, & spectra quadam exhibet, quibus hominum mentes quasi prastigiis illudat, & oculorum aciem præstringat, ità & in his, quæ ad medendi vsum quouis modo accommodantur, nec certa, nec tuta, sed fallax, captiosa, & periculosa est sanatio. Vidi scriptâ chartulâ collo subnexâ vniuersi corporis Icterum vna nocte detergeri: vidi & febres verbis, ceremoniis quadamtenus profligari, sed quæ mox similiter, aut multò deterius recurrerent. Potest quidem dæmon quosdam integrè persanare: at tantum beneficium in hominem, quem perpetua consectatur inuidia, conferre haudquaquam velit. Fictam duntaxat simulatamque sanationem exhibet, cuius admiratione peruersas hominum mentes irretiat, sibique infidelitate subiuget, hoc vnum cumprimis adnitens, vt ab his, quos seduxerit, diuino cultu & honore colatur.* Idem de falsâ ac seductitia Diaboli cura grauiter inculcat *Barthol. Keckermannus systém. Physic. libr.* I. *cap.* IX. *super vnguento hopliatrico: Licet* (inquit) *Diabolus sanet morbos, tamen interim sauciat vel corpus, vel conscientiam eorum hominum, qui hac arte sanandi ipsi vel vtuntur, vel alios hac arte sanant. Nam, teste Andrea Libauio, sæpè homines sunt curati per hanc artem hopliatricam, sed paulò post tantos senserunt in toto corpore cruciatus, vt mallent priori morbo se absumptos fuisse.*

Consultò itaque (prout in ingressu capitis huius diximus) *Petronius* noster magicas istas curas *vetulis*, imò veneficis asscribit, eo quod *Medicos* bonos dedeceat ista magica, diabolica, friuola, atq; superstitiosa curandi ratio. *Ouidius* quoque pariter, itemque *Tibullus, Lucanus*, atque *Poetæ* alii optimi commatis, eundem tenorem perpetuo obseruantes veneficis pariter aniculis magiam ac superstitionem istam tribuunt. *Virgilius Maro* præsertim, autor grauissimus, in *Bucolicis Pastores, bubulcos*, atq; id genus homines è vulgi infima fece, veneficiis, superstitiosis, ac friuolis eius-modi nugis deditos coarguit.

Caput

Caput XIII.

Taurus, animal ferox, aspectu panni rubi irritatur. Ad *ficum* alligatus ferociam deponit. *Hannibal*, itemque *Lusitani Tauris* irritatis adversus hostes usi sunt. *Elephantes* veste clarâ & leones, atque *ursi* mappâ irritantur. *Virginea sacra* apud *Petronium* an sanguis menstruus, præsertim *Virginum*? *Epilepsia* cur dicatur *Medicis* morbus sacer? Usitatum est, ut cum *Medici*, tum *Poetæ*, magna quæque atque admiranda, sacra vocent. *Menstrui sanguinis* effectus stupendi: itemque veneficia ex eodem. *Ancunulenta* veteribus quid? Quid *imbubinare*, *imbulbitare*? Sed & locus *Arbitri* rectius illustratur per *fabulam Medeæ ac Iasonis*, *Medea* enim virgo dicitur *Ovidio*, antequam *Iasoni* iungeretur. *Tauri flammivomi* quid significent? Eiusdem fabulæ *Chymica* atque *Ethica* interpretatio: Corollaria alia *Chymica*. *Epitaphia* duo Chymica memorabilia.

Ag. 61. apud PETRONIUM *Enothea* sacerdos *Priapi*, vim veneficii atque magicæ artis suæ, quâ omnia se posse iactat, carminibus ambitiosè describit. E quibus sequens versiculus nobis examinandus venit:

——— Taurorum flamma quiescit
Virgineis extincta sacris.

Duo igitur hoc loco in quæstionem veniunt. Quorum alterum, quid intelligendum sit per *Taurorum flammam*? Alterum vero, quænam & qualia sint *sacra virginea*?

Nos paucis primò propositionem utriusque quæsiti investigabimus, atq; deinceps veritatem aliunde adducemus.

Principio itaque neminem fugere arbitramur, *Taurum* animal esse ferum, indomitum, ac furibundum, ita ut etiam apud *Romanos* olim in spectaculis publicis introducti fuerint *Tauri*, ut aut cum *leonibus*, *ursis*, *apris*, *leopardis*, aut ipsis etiam hominibus congrederentur. Hinc facilè id animal præ aliis irritatur, furorem concipit, ac flamma quasi exardescit. Hodierna adhuc tempestate in *Principum* aulis eius-modi spectacula cum *Tauris* solent exhiberi.

Annotarunt autem prisci antè res *Tauros panno rubro* offendi, atque in furorem commoveri, sicut videre est *Gallos Indicos* aspectu vestium rubellarum ita pidos irasci bile suffundi, toroque corpore turgescere, ut in pueros frequenter, atque etiam homines provectioris ætatis involent eo quod, singulari velut intercedente ἀντιπαθείᾳ, colorem istum natura sua, tanquam sibi inimicum, ferre nequeant. Idem autem de *Tauri* & *panni rubri* ἀντιπαθείᾳ *Iura* loquuntur. *Iustinianus* enim *libr.* IV. *Institut. de obligationibus, quæ ex delicto nascuntur. Et hoc* (inquit) *veteres scripserunt de eo, qui panno rubro fugavit armentum.* Quo appositè facit illud *Senecæ*, *libr.* II. *de ira*, *capite* XXX. *Frivolis* (ait) *turbamur & inanibus. Taurum color rubicundus excitat; ad umbram aspis exsurgit: ursos, leonesque mappa proritat.* Eodem eloquitur *M. Tullius libr.* I. *de divinat. Tu verò* (inquit) *quid habes, quare putes, si paulo ante cor fuerit in tauro optimo, subitò id interisse in ipsa immolatione? an, quod aspexit vestitu purpureo excordem Cæsarem, ipse corde privatus est?* Quod Ciceronis ità quidem exponit *Hotomannus*, *I. C.* celeberrimus, *ad libr.* III. *Institut. tit. d. obligat. quæ ex delicto nascuntur: Locus* (refert) *est* [illegible], *quem ex hoc loco intellexi. Quærit enim an Taurus is, cuius cor non est inventum in sacrificio, conspicata Cæsaris purpura, sic expaverit, & terrore exanimatus sit, ut cor amitteret.* A quibus non abludit *Ulpianus ff. de furtis: Cum eo* (ait) *qui pannum rubrum ostendit, fugavitque pecus, ut in fures incideret, furti actio est.*

Plu-

Plutarchus verò etiam hunc locum illustrat *in oratione de precept. connubial. Qui ad elephantos (narrat) se admouent, vestem claram non gestant, nec puniceam, qui Tauris: quod huius-modi coloribus illa animalia maximè efferantur.* Quod ipsum pariter inculcat *libr. I. de fortuna Alexandri: Belluas (refert) captantes homines sibi tergora obuoluunt, plumatiq́ue amiculis amiciuntur, qui ad aucupia exeunt: taurorum conspectum vitant, qui puniceas vestes gestant: vt Elephantorum, qui candidas, nimir. quod iis coloribus irritentur & efferentur belluæ.*

Ouidius præterea id ipsum confirmat *lib. XII. Metam.*

> *Haud secus exarsit, quàm circo Taurus aperto,*
> *Cum sua terribili petit irritamina cornu,*
> *Phœniceas vestes, elusaq́; vulnera sentit.*

Per *Phœniceas* autem hoc loco *vestes purpureas* intelligit *Iacob. Micyllus,* quibus agrestes tauri in arena irritabantur. Super quo themate videantur *Lud. Cælius lib. XVI. lect. antiq. cap. XI. 8: Ian. Gruterus in animaduersion. ad Senecæ lib. III. de ira.*

Inter cæteros autem fallor? an multò clarius super isthoc *Taurorum* furore, *à rubro colore irritatorum,* edisserit *Philip. Camerarius medit. historicar. part. I. cap. XXV. Nullâ autem re* (de *Tauris* loquitur) *magis efferantur, quàm rubro, vel puniceo colore. quod & nostratibus Tauris accidere consueuit. Vnde quum planiciem, vbi olim stetit Arpinum, patria Ciceronis, in qua gregatim pascuntur Bufali, & in paludibus atque lacunis volutatur, transiremus, à ductore nostro, qui vulgò Procacius appellatur, fideliter admonebamur, vt ii, qui rubras vestes, vel eiusdem coloris aliquid gererent, id, si tuti ab iis esse vellent, studiose absconderent.* Ibidem addit ea ratione *Tauris* irritatis, atq; in furorem actis, *Hannibalem,* atque alios, aduersus hostes immissis, vsos fuisse. *Mira sanè* (adiicit) *naturæ efficacia est, quod colore rubro tauri ità ferociant, cum tamen, quantumcunq́ue feroces, alligati, vt fertur, ad ficum, mitescant, sicut post alios Michael Glycas tradit. Quanta autem vis & belluinus impetus sit in irritatis Tauris, non ignorauit Annibal, quum ipsorum ope miro astu ex angustiis, in quas incautius inciderat, decepto Fabio Maximo, prudentissimo & cautissimo duce, vnà cum suo exercitu & præda euaderet. Sed obsoleta & trita hæc sunt. At recentior astus Insulanorum in Tercera non minus memorabilis est. Est autem Tercera vna ex Insulis in Oceano occidentali, quas Asores, seu Falconum vocant, longitudine CCCLIIX. latitudine XXXVII. gradui subiecta: non-nulli putant olim Cassiterides fuisse, de quo tamen dubito. Noluit hæc mortuo Sebastiano, Rege Lusitaniæ, & profligato Antonio, qui regni hæreditatem sibi vendicabat, admittere Hispanicum imperium. Miserat itaq́ue eò Rex classem, cui præfecerat Valdessum, qui in expeditione Belgica cum Albano Duce multa fortiter gesserat. Is exposuit in Insula quingentos milites, qui occupauerant viam angustam & cauam inter montes, & indè multum Insulanis incommodi inferebant, nec facile erat indè illos ex loco natura munito deturbare: quare hoc cōmento incolæ vsi sunt. Habet illa Insula multos Tauros feros, qui more aliarum ferarum vagantur. Eorum magnum numerum canibus, venabulis, & accensis facibus, compulerunt in eas angustias, in quibus Hispani latitabant: qui hoc modo irritati maximo impetu in eos irruerunt, & multos protriuerunt, atq́ue illam, vti putabant, tutissimam stationem coegerunt illos deserere, quos disiectos & dispersos incolæ facilè profligarunt, & plerosque interfecerunt.* Plura eius-modi idem autor recenset, *Cent. II. meditat. histor. cap. XCVIII.* stratagemata bellica per *Taurorum* ferociam patrata. Cum his omnibus opportunè consentit *Francisc. Valesius d. sacr. Philosoph. cap. LXXXII.* pugnaces feras intuitu rerum rubrarum irritari scribens. *Nam & in Hispania,* (inquit) *qui tauros agitant, rubris tunicis induti in forum prosilire consueuerunt, quasi ita illos magis irritaturi.*

Taurum

Taurum autem quantumuis ferocissimum, *ficui* arbori alligatum, quiescere, tactumque admittere, imò ferociam omnem velut elanguescendo deponere, grauissimi annotarunt autores; quos inter *Plutarchus sympos. lib.* VI. *qu.* X. itemque *Ioan. Bapt. Porta in Villa sua de mirabilib. ficus lib.* V. *cap.* XVI. & *Phil. Camer. operar. succisiuar. Cent.* II. *c.* XCIIX. XCIX.

Sed de aliorum quoque animalium, præter *tauros*, pauoribus sic, qui suprà, *Seneca: Ad vmbram* (inquit) *aspis exsurgit: Vrsos, leonesq́; mappa proritat.* Notissimum verò est, *Leones* vsque eo *Galli gallinacei* cantum refugere, ac formidare, vt nihil magis sit ipsis aduersum. Idem, quantumuis alias fortissimus animalium, terretur etiam strepitibus, vel nulla de caussa excitatis leuissimis. Quod idem euincitur è *Seneca libr.* II. *de ira, cap.* II. *Leoni* (inquit) *pauida sunt ad leuissimos strepitus pectora, & statim curriculi motus rotarumque versata facies Leonem redigit in caueam.* Quibus astipulatur *P. Faber IC. ad tit. d. orig. iur. Vt non quidem* (narrat) *ipsius mappæ color, sed curriculi Circensis strepitus & stridor motusq́; bestias illas offenderet.*

Homines præterea ipsosmet etiam à minutissimis quibuslibet occursatiunculis terrefieri idem *Philosophus, Seneca*, inquam, ibidem autor est *libr.* III. *d. ira, cap.* XXX. *Friuolis* (inquit) *turbamur & inanibus. Taurum color rubicundus excitat: ad vmbram aspis exsurgit: vrsos, leonesq́; mappa proritat. Omnia quæ naturâ fera & rabida sunt, consternantur ad vana. Idem inquietis & stolidis ingeniis euenit: rerum suspicione feriuntur.*

Sed de primo hoc proposito satis.

Quantum pro secundo attinet quod *Arbiter* habet:

Virgineis extincta sacris ———

haud temerè hîc menses, vt *Medici* vocant, vel *sanguis menstruus*, qui primò à *Virgine* venit, intelligendus sit. Ob id enim vocantur *sacra virginea*, quod menstruus sanguis, à *Virgine* præsertim exclusus, ad sacrificia, magicaque sacra, atque ad varii generis veneficia adhibeatur. Hinc magi, quoque sacerdotes, eorumque sacrificia dicuntur sacra, quanquam ista potius per ἀντίφρασιν ità dicenda sint, quasi minime sacra, aut horrenda sacra. Quo pacto apud *Catullum* in *Hendecasyllabis* ad *Caluum Licin.* oratorem habetur:

Dii magni, horribilem, & sacrum libellum?

pariterque apud *Virgilium libr.* auaritia, aliâs malum detestandum, per ἀντίφρασιν sacra vocatur:

Auri sacra fames, quid non mortalia cogis
Pectora?

Idem loquendi modus apud Medicos, eorumque filios, vsitatus est. *Epilepsia* siquidem, qui morbus est abominandus, & grauis, *Hippocrati* ἱερὴ νοῦσος, id est, *morbus sacer*, indigetatur, de quo Dictator integrum conscripsit libellum, qui *liber de morbo sacro* appellatur. Non tamen ità dicitur hic morbus, quod *Epileptici* à dæmonibus comprehendantur, quod refutat ipse *Hippocrates libro de morbo sacro*; nec quod à Diis immissus iste affectus censendus sit; *Neq; enim ego* (inquit *Hippocrates*) *existimo, hominis corpus à Deo inquinari impurissimi à purissimo*: de quibus videndus *Ioan. Langius libr.* I. *Epist. medicinal.* XXV. sed quod cerebrum animæ & mentis velut lacrarium, morbus iste grauis, ac metuendus primariò occupet, infestetque. Quo pacto etiam apud Medicorum filios frequens est, quodcunq; magnum, siue admirandum, siue horrendum, stupendumque, sacrum appellare. Sic enim *os vertebrarum dorsi*, quod in homine postremum, *os sacrum* appellari consueuit, quia nimir. est ossium maximum. Accedit, quod multi affectus à non-nul-

lis, gentilium more, ad Sanctos referantur, sicut *Epilepsia Germanis* vulgò vocatur: S. Veltins Kranckheit: morbus *D. Valentini*. Gallis aliàs est morbus *D. Ioannis*, vulgò: *le mal de sainct Iean*. Eodem respectu *Erysipelas* indigeratur *Ignis sacer*: vulgò Das Heilig Fewer: qu. ignem sacrũ, aut meruendum dicas. Alii vocant *ignem D. Antonii*: S. Anthoni Fewer: vel, quod *D. Antonius* eo morbo laborasse, vel quòd laborantes subleuasse credatur. Quâ ratione insuper *Epilepsia* dicitur *morbus Herculeus*: vel, quod *Hercules*, autore *Aristotele*, *probl* 1. *sect*. xxx. *Epilepticus* fuerit, siquidem melancholicus extiterit; melancholia autem cum epilepsia magnam habet affinitatem; vel, quod, prout alii volunt, Veneri lasciuius vacarit: vel denique quod is morbus medicamentis haud facile expugnetur, adeoque inuictus, &, κατ' ἐξοχὴν, *Herculeus* nominetur.

Eadem *Epilepsia* ab *Hippocrate libr*. vi. *Epid*. necnon à *Plinio libr*. xxxvi. *cap*. ix. *morbus magnus* dicitur. *Corn. Celso* verò *libr*. iii. *cap*. xxiii. *morbus maior* est; quod is grauis sit, deformis, tremendus & difficulter, præsertim in hominibus adultis, curabilis. Alii eundem affectum *diuinum* vocarunt: vel quod à Deo, ὑπὲρ τὴν φύσιν, pœnæ loco, immissus videatur, ideoq; difficilimæ, ac non nisi diuinæ curationis existat: vel quod κατὰ τὴν φύσιν licet oriundus, nihilo-minus τὸ θεῖον illud *Hippocratis* contineat, adeoque occulti quiddam, atq; admirandi in se habeat. Veteres prætereà, loco mali ominis, *Epilepticos insultus* interpretabantur: vndè *comitia* dissoluebantur, si quis in iis cecidisset; prout asserit, inter alios, *Q. Seren. Sammonicus d. morbo comitiali, cap*. lix.

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo est,
Quod fieri nobis suffragia iusta recusat.
Sæpè etenim membris atro languore caducis
Concilium populi labes horrenda diremit.

Hinc *Comitialis morbus* eidem *Sammonico Poëtæ*; *Gellio* verò *lib*. xx. *noct. Attic. cap*. i. *morbus sonticus* dicitur: vel, quod is sontes, pœnæ loco, inuaderet: vel, quod sonticum aliquid, aut pœnam imminentem denotare videretur, vndè *comitia* inauspicata habebantur, diripiebanturque.

Sed hæc paulò prolixius *de morbo sacro*, atque iis, qualia à *Medicis* hoc epitheto insignita leguntur.

Idem nunc de *Mensibus Mulierum*, præsertim *Virginum*, astruendum est. De quorum admirandis agit *Plinius lib*. vii. *cap*. xv. *Sed nihil* (inquit) *facilè reperiatur mulierum profluuio magis monstrificum. Acescunt superuentu musta. sterilescunt tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, & fructus arborum, quibus insedere, decidunt: speculorum fulgor aspectu ipso hebetatur, acies ferri præstringitur, eborisq; nitor: aluei apum emoriuntur: æs etiam ac ferrum rubigo protinus corripit, odorq; dirus aëra: & in rabiem aguntur gustato eo canes, atq; insanabili veneno morsus inficitur.* Et posteà: *Etiam formicis, animali minimo, inesse sensum eius ferunt: abiiciq; gustatas fruges, nec posteà repeti. Et hoc tale tantumq; omnibus tricenis diebus malum in muliere existit, & trimestri spatio largius. Quibusdam verò sæpius mense: sicut aliquibus nunquam: sed tales non gignunt, quando hæc est generando homini materia semine à maribus coaguli modo hoc in se seglomerante, quod deindè tempore ipso animatur, corporaturq;. Ergo cum grauidis fluxit, inualidi, aut non vitales partus eduntur, aut saniosi. Hæc Plinius.*

Multò verò grauiora, atque memoratu horrenda cum *menstruo sanguine* patrari, variiq; generis veneficia indè à magis sagisque parari, præter alios, luculentissimus est testis *Henr. Cornel. Agrippa, libr*. i. *de occult. Philosoph. cap*. xlii. vbi ità enunciat: *Nunc verò* (inquit) *narrabo quædam veneficia, vt horum exemplo sit parata via ad totam hanc considerationem.*

tionem. Ex eis igitur sunt sanguis menstruus, qui quantas in veneficio vires habeat, videamus.

Præter ea autem, quæ ex *Plinio* iam modo allegata sunt, ità pluribus ibidem *Agrippa: Equæ* (addit) *si sint grauidæ, contacto eo abortum patiuntur : abortum etiam facit illitum prægnantibus: Asinæ non concipiunt tot annis, quot grana hordei contracta comederint: cinisq; pannorũ menstruorum, si quis eum aspergat lauandis vestibus purpuram mutat, floribus colorem adimit. Ferunt Tertianas, Quartanasq; febres fugari menstruo in lana arietis nigri, in argento brachiali incluso. Præterea Tertianis Quartanisq; efficacissimum dicitur, plantas ægri cum eo subterlini: multoq; efficacius ab ipsa muliere etiam ignorante: sic & comitiales impetus morbosq; sanari. Inter eos autem conuenit, si aqua potusve formidetur à morsu canis, supposita tantum calici laciuia menstruo tincta statim metum eius discuti. Præterea ferunt nudatas in mense si segetem ambiant, eruscas, ac vermiculos, Scarabæosq; ac cantharides & noxia queq; decidere. cauendum verò, ne in oriente Sole faciant: sementem enim arescere. Similiter abigi grandines, turbinesq;, ac contrà fulgura prodesse, horum plura Plinius ipse recitat. Illud scias, maius venenum esse, si decrescente Lunâ accidat: Sed vim eius maiorem esse, si in silente Luna contingat. si verò in defectu Lunæ Solisue euenit, irremedicabile fieri, maximi verò ac potentissimi vigoris esse, quando purgatio illa primis annis euenit, atq; in virginitate prima sit. Id quoq; conuenit tunc ei. Nam tactis omnino postibus domus, irritum in ea fit omne maleficium. Præterea ferunt, quod fila vestis contacta, ne igne quidem vincuntur; atq; si in incendiũ proiiciantur, non dilatari amplius. Dicitur quoq; quod si radix pæonia cum castoreo & litura pannorum menstruosorum detur patienti, sanari morbum comitialem. Præterea, si stomachũ cerui cremaueris, vel assaueris, adiungasq; de pannis menstruosis suffitus, eo balistas nihil proficere ad venationem, capillos enim mulieris menstruosæ, si sub fimo ponantur, generare serpentes, ac etiam, si crementur, fugari eorum odore serpentes; tanta vis ei veneficio est, vt etiam venenosis sit venenum.* Hactenus prolixè satis *Agrippa*: cui, tanquam artifici, ea in arte credendum merito.

Veteres *Philosophi*, &, qui inter eos præcipuus, *Aristoteles*, præterquàm quod in *problematibus* autor est, *mulierem menstruatam* inficere speculum nouum, porrò *lib.* IV. *de generat. animal. c.* VII. *Mulieres mẽstruatis*, antiquo vocabulo, *Ancunulentas*, id est, inquinatas, vocarunt. Ità quoq; *Festus: Mulieres* (inquit) *quibus menses fluunt, veteres Ancunulentas dixerunt, quasi inquinatas.* Priscis hinc quoq; effertur *Bubinari*, id est, *menstruo sanguine inquinari*: quem ad modum *Bulbitari* ipsis fuit idem, quod puerili stercore fœdari. Græci βιλβιτᾶν dicunt. Vndè *Lucilius:*

Hæc te imbubinat, & contrà te imbulbitat.

Paulo fallor? an dissimilis locus legitur *in fragmentis Sallustianis*, post epistolam *Mithridatis Regis ad Arsacem.* Ità autem verba habent: *Cum interim, lumine etiam tum incerto, duæ Gallicæ mulieres conuentum vitantes, ad menstrua soluenda montem ascendunt.* Quæ verba in margine ità interpretatur, amicus noster, *I. Phil. Pareus, in editione Sallustiana: Lumine incerto*, inquit, id est, maturino crepusculo: addit, *sacra menstrua, quæ quot mensibus pro exercitus incolumitate, & maximè salute suorum persolui, Romani fuit moris.*

Cum itaq; tanta, ac tàm stupenda vis insit *menstruis* mulierum purgationibus, præsertim *Virginis* primo eam euacuationem patientis, vt illud veneficium, autore *Agrippâ*, etiam venenosis aliis sit venenum: ecquis tantoperè dubitabit, eodem veneficii genere *Taurorum flammam*, id est, furorem, atque efferuescentiam, ligari, retundi, atque omnino cohiberi posse; cum & musta eo acescere, tactas segetes sterilescere, insita emori, plantas hortorum exuri, fructus arborum decidere, speculorum fulgores hebetari, & multa alia, longè magis stupenda, indè ligari, atque corrumpi posse, tum *Plinio*, tum *Agrippa* perhibeantur: prout modo suprà ex iisdem fuit relatum.

Cæteroquin, quanquam præcedentia de *Taurorum flammis*, id est, ira ac furore eorum, rum de *Virgineis sacris*, id est, *sanguine menstruo*, à Virgine præsertim prima vice excluso, haud quidem absurdè, dici, explicariq; queant, sicuti propositis interrogationibus libenter satisfecimus: nihilo-minus tamen, sicubi rem paulò accuratius contemplamur, omnino apparet, hoc *Petronianũ* de *Colchico*, vel *aureo vellere*, inprimis de historia *Iasonis ac Medeæ*, interpretandum esse.

Fabulantur enim omnes penè *Poëtæ* veteres, *Colchis Tauros* ignem spirantes, & *Draconem*, templum, adeoque *Aureum vellus Arietis* custodiisse, ne quis id abriperet mortalium. Cum igitur *Iason*, *Æsonii* filius, mitteretur à *Pelia*, *Neptuni* filio, cum Principibus Græcorum *Colchos*, ad asportandam pellem auream, adiutantibus *Iunone* & *Mineruâ*, postquam *Oetæ*, *Solis* filii, regiam attigit domum, pulcritudine formæ suæ *Medeam* ità perculit, vt aduersus parentem *Iasoni* potius quàm illi consuleret. *Iasone* igitur in fidem coniugii accepto, *Tauros* ignem efflantes, & *Draconem*, *vellus aureum* custodientem, venenis ac carminibus (quem enim *Medeæ* veneficia fugiunt?) suis coëgit *Iasoni* parère, quo is prædâ tantoperè petitâ, securè potiretur, sicut contigit. Hanc integram historiam, inter alios, recenset *Ouidius*, *lib.* VII. *Metam.* & præter eum *Orpheus*, (qui expeditioni *Colchicæ* interfuit) itemque *Valer. Flaccus in Argonauticis*.

Medea igitur *virgo* illa fuit, cuius sacris, id est, carminibus ac veneficiis, *Taurorum flamma*, id est, *Tauri igniuomi*, vel ignem efflantes, iuxtà *Draconem*, *velleris aurei* custodes, ligati, retusi, atq; omnino, ne *Iasoni*, *Medeæ* amasio, nocerent, inhibiti fuerunt. Sic enim *Ouidius*, *Medeæ*, ceu *Virginis*, *Iasonem* depereuntis, commeminit:

Concipit intereà validos Æetias ignes,
Et luctata diu, postquam ratione furorem
Vincere non poterat, frustrà Medea repugnas,
Nescio quis Deus obstat, ait: mirumq; quid hoc est,
Aut aliquid certè simile huic, quod amare vocatur,
Nam cur iussa patris nimium mihi dura videntur?
Sunt quoq; dura nimis. Cur, quem modò deniq; vidi,
Ne pereat, timeo? quæ tanti caussa timoris?

Sequentibus autem se se *Virginem* ipsa indigetat, per apostrophen, quâ seipsam adhortatur:

Excute virgineo conceptas pectore flammas,
Si potes, infelix: si possem, sanior essem.
Sed trahit inuitam noua vis, aliudq; Cupido,
Mens aliud suadet: video meliora, proboq;
Deteriora sequor ———

Et rursus ibidem:

——— *quid in hospite regia virgo*
Vreris? aut thalamos alieni concupis orbis?

Tauros autem *Medeæ* carminibus ac sacris magicis ligatos fuisse, nequà *Iasoni* nocerent, resisterentue, ità porrò confirmat *Ouidius* ibidem; vbi *Medea* de *Iasone* à periculis imminentibus *Taurorum* ac *Draconis* liberando huncinmodum secum deliberat:

At nisi opem tulero, Taurorum afflabitur ore,
Concurretq; suæ segeti tellure creatis
Hostibus, aut auido dabitur fera præda Draconi.

Hoc

Hoc ego si patiar, tum me de Tigride natam,
Tunc ferrum, & scopulos gestare in corde fatebor.

Ibidem:

Cur non & specto pereuntem? oculosq́, videndo
Conscelero? cur non Tauros exhortor in illum?
Terrigenasq́, feros, insopitumq́, Draconem?

Et posteà de *Iasone Tauris* à *Medea* veneficio ligatis obuiam eunte sic:

Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant
Æripedes Tauri, tactæq́, vaporibus herbæ
Ardent: vtq́, solent pleni resonare camini,
Aut vbi terrena silices fornace soluti
Concipiunt ignem liquidarum aspergine aquarum;
Pectora sic intus clausas voluentia flammas,
Gutturaq́, vsta sonant: tamen illis Æsone natus
Obuius it, vertère truces venientis ad ora
Terribiles vultûs, præfixaq́, cornua ferro,
Puluereumq́, solum pede pulsauère bisulco,
Fumificuq́, locum mugitibus impleuère.
Diriguère metu subitò Minyæ, ille nec vllos
Sensit anhelatûs. Tantùm medicamina possunt.

De iisdem *Tauris flammiuomis Virgilius libr. II. Georgic.*

Hæc loca non Tauri spirantes naribus ignem
Inuertère, satis immanis dentibus hydri:
Nec galeis, densisq, virûm seges horruit hastis.

Apollodorus libr I. prodidit, *Medeam*, post crematam *Creontis* regiam, currum à *Draconibus* tractum à *Sole* accepisse, & contendisse *Athenas*, ibique nupsisse *Ægeo*, quæ cùm insidias machinaretur *Theseo*, *Athenis* aufugere coacta est: referente *Natali Comite*, *mythölog. libr.* VI. *cap.* VII.

Idem pulcrè edisserit, per *Medeam*, *Æetæ Solis*, & *Idyiæ Oceani* filiam, consilium intelligi (*Idyia* enim, quasi εἰδυῖα, cognoscens dicitur, quòd cognitio sit mater consilii) imò *Iasonem Medicum*, siue *Medicinam* significari, ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, quod est mederi, secum *Medeam*, id est, medicinam, abducentem. *Iason* enim à *Chirone* medendi artem in antro quodam edoctus fuisse scribitur, vnde ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, à medendo, nominatus fuit *Iason*, cùm prius diceretur *Dolomedes*. Hinc ἴασις est ars medendi, ἰατρὸς, Medicus. *Medea* verò est μῆδος, consilium.

Per *aureum* verò *vellus Dionysius Mitylenæus* hominem intelligit, qui *Phryxi* fuerit pædagogus, nomine *Aries*, qui quidem à *Colchis* esset captus, atque in custodia retentus, atque ob id *aureus* nominatus, quod doctrinæ præstantia, & consiliorum integritate excelleret.

Cæterùm de metallorum transmutatione, & re Chymica, plurimi historiam hanc Argonauticam interpretantur. Quo facit inprimis præfatus *Natalis Comes libr.* VI. *mythol. cap.* VIII. *de Iasone: Fuerunt igitur* (inquit) *qui res in Iasonis nauigatione gestas corporum Chymicorum mutationes, & Aureum Vellus deniq́, post tot labores captum, lapidem vocatum Philosophorum esse arbitrarentur, qui sit deniq́, post tot eorum corporum mutationes.*

Alii, eodem autore, *Iasonem vectum per mare Ponticum cum Argonautis ad Aureum Vellus in Colchicam regionem, Medeamq́; Æetæ filiam asportâsse, non poëticôs dictum existimârunt: sed librum vellus aureum fuisse dicunt, contextum ex arietum pellibus, in quo scriptum erat, quo pacto per Chymiam posset aurum fieri, inter quos fuit Suidas. Itemq; Vellus aureum pellem Arietis, in qua contineretur Auri faciendi ratio, iure vocatam fuisse putârunt.*

Rationem præcedentis fabulæ idem *Natalis* in sequentibus reddit isthanc, non aspernandam: *Cùm sapientes* (inquit) *antiqui Philosophiam magnifacerent, partim, ne in vulgus rude manaret, partim, vt sapientiæ præcepta cum suauitate, & rerum admirabilium admiratione imbiberentur, naturæ aut disciplinæ secreta sub variis fabularum figmentis occultârunt, non minus, quàm Ægyptii sub hieroglyphicis scientiam, rerumque sacrarum disciplinam tradiderunt. Est enim omnibus propè insitum vel res præstantissimas, quarum facilis facultas concedatur, parui facere, at quæ non nisi difficulter, & cum magnis laboribus acquiri possunt, miris laudibus extollere, & vt clarissimas admirari, in hoc vitium, qui non labatur cum vulgo, non potest esse vir mediocris iudicii.*

Hæc ex aliorum mente *Natalis*.

Propriam verò sententiam, quid ipse nimirum *de fabula Iasonis*, imò inprimis etiam (quod scopo nostro affinius) de *Tauris flammiuomis* sentiat, ità moraliter atque Ethicè confirmat: *Ego sanè* (inquit) *censeo, Iasonem in vtraq; fortuna, quâ animi moderatione vti conueniat, à Chirone didicisse, quod antidotum sit aduersus voluptates impuras, quâ animi temperantiâ ità placanda sit, quâ arte superanda auaritia, prosternenda libido, ambitio ex animo elicienda, cùm illa sit omnium monstrorum turpissima, vitiorumq́; maxima. His præceptis instructus Iason dictus est periculosa, & formidabilia monstra prudenter Diis adiuuantibus, aut certè Deorum ministeriis consulentibus, incolumis præteriisse, & in Colchidem profectus Tauros igniuomos ac æripides domuisse, quæ nihil aliud, quàm animi pertinacia, & ira putanda sunt. Qui enim non ratione, animiq́; constantia ducitur, is aut leuis est ingenii, aut pro constantia pertinaciam sequitur, & inanem arrogantiam. Hos animorum affectus, rationi, medicinæq́; animi subiicere quid aliud sit, quàm Tauros illos igniuomos vincere, & hominum cum armis è Draconis dentibus natorum furorem à se depellere? aut quid aliud est, spatiosum Draconem Medeæ auxilio consopire, quàm inuidiam sapienter consilio mentis frænare? Est enim ipsa Medea μῆδος consilium.*

Iisdem penè rationibus quidam *Idolum Vituli aurei* explicant, quod in absentia *Moysis* ab *Aarone* & *Israëlitis* fabrefactum, à *Moyse* ex *monte Sinai* redeunte confractum, atque in cineres per combustionem redactum esse, legere est *Exod.* 20. Hinc *Moyses* à quibusdam putatur fuisse *Hermes* ille *Trismegistus*, autore *Corn. Agrippa*, imò, secundùm *Marsil. Ficinum*, creditur quædam hausisse è scriptis *Hermetis*, quem merito reprehendit *Mich. Maierus libr.* 1. *Symbol. aur. mens. Hermetis* verò sepulcrum, plenissimum omnis generis thesauris, in expeditionibus suis inuenisse fertur *Alexander Magnus*, vt asserit *Albertus libr. de secret. Chym.*

Eodem referunt *fabulam Phœnicis, Cadmi* cum *Dracone* congressum, *Ganymedis* item, *Midæ, Danaës, Sphyngis, Tantali*, & id genus alia, è quibus omnibus *Chymici* caussæ suæ patrocinium accersunt.

Simili argumento *Mariam*, sororem *Moysis*, *Salomonem* item, ob sapientiam & diuitias incomparabiles, *Tubalcainum* etiam, ob artis metalla fundêdi diuinam scientiam, *Hyramum* similiter & *Reginam Sabam*, quæ *Salomoni* munera, atque aurum obtulit, arte Chymicâ excelluisse affirmant.

Sunt,

Sunt, qui D. *Joannem Euangelistam* eiusce artis quoque peritum fuisse, imò in *Apocalypticis* Chrysopopœïæ mentionem fieri, astruant.

Sunt, qui fabulas *Adonidis, Venerisq́*, quæ rosas albas rubras tinxit, ad idem artificium referant.

Eiusdem diuinæ atque occultę scientiæ gnatus proditur *Orpheus Poëta*, qui *Chymiam* ex Ægypto in Græciam attulit.

Eandem calluisse feruntur *Democritus* Philosophus, *Plato, Pythagoras, Apuleius de Asino aureo, Homerus, Virgilius, Ouidius*, inprimis verò *Morienus, Auicennas, Geber, Albertus Magnus, Arnoldus Villanouanus, Thomas Aquinas, Raymund. Lullius, Rocher. Baconius, Melch. Cibinensis, Bernh. Treuisanus, Theophrast. Paracelsus, Basil. Valentinus, Fratres Rosf. Crucis*, & innumeri penè Philosophi alii, qui omnes tum scriptis in vulgus extantibus, tum clàm-palàm opere ipso, & manuali labore *Chymiam* illustrârunt.

Eius-modi ferè videntur pleræque esse apud *Ouidium*, Poëtarum ingeniosissimum, fabulæ, quales in integris x v. *Libris Metamorphoseôn* continentur; quæ omnes, quòd de metis transmutationibus agunt, non aniles aut pueriles ideo putandæ sunt, sed sub inuolucris illis suis recondita multa, adeoque *Chymiæ* antiquum illud & diuinum artificium absconditum habent. De quibus omnibus ad *Chymiam* pertinentibus allegoriis & fabulis eruditissimum tractatum posteritati reliquit *Mich. Maierus*, quem inscripsit *de Symbolis Aureæ mensæ* x i i. *Nationum*.

Pro quorum omnium complemento, inpræsentiarum duo *Epitaphia*, antiquitatè veneranda, quorum alterum *Bononiæ*, alterum vero *Patauii* repertum fuit, *Chymiam* vtique ex asse referentia, isthîc attexemus.

Prius autem *Bononiæ* in marmore extat hâc inscriptione:

ÆLIA, LÆLIA, CRISPIS, NEC VIR, NEC MVLIER, NEC ANDROGYNA, NEC PVELLA, NEC IVVENIS, NEC ANVS, NEC MERETRIX, NEC PVDICA,
SED OMNIA
SVBLATA NEQVE FAME: NEC FERRO, NEC VENENO, SED OMNIBVS:
NEC COELO, NEC AQVIS, NEC TERRIS, SED VBIQVE IACET.

Et post:

LVCIVS AGATHO PRISCVS, NEC MARITVS, NEC AMATOR, NEC NECESSARIVS, NEQVE MOERENS, NEQVE GAVDENS, NEQVE FLENS, HANC NEQVE MOLEM, NEC PYRAMIDEM, NEC SEPVLCRVM, SED OMNIA:
SCIT ET NESCIT, QVID CVI POSVERIT.
HOC EST SEPVLCRVM, INTVS CADAVER NON HABENS:
HOC EST CADAVER, SEPVLCRVM EXTRA NON HABENS:
SED CADAVER IDEM EST ET SEPVLCRVM SIBI.

Posterius verò, quod sequitur in *Agro Patauino* superiori seculo repertum fuit, cum huius *Hexastichi* inscriptione:

Plutoni sacrum munus ne attingite fures,
Ignotum est vobis hac quod in vrna latet.
Namq́ elementa graui clausit digesta labore
Vase sub hoc modico MAXIMVS OLIBIVS.

Assit

Adsit fœcundo custos sibi copia cornu,
Ne pretium tanti depereat laticis.

Prædictam iuxtà *Vrnam* alia insuper *Vrnula* inueniebatur cum isthâc inscriptione:

——— *abite hinc pessimi fures,*
Vos quid voltis cum vestris oculis emissitiis?
Abite hinc vostro cum Mercurio petasato, caduceatoq́;,
Maximus Maximo Plutoni hoc sacrum facit.

Caput XIV.

A*Cetum* quid? Eius etymologia. *Acetum* aliquando accipitur pro ἀγχιβασίῃ, iudicio, atque acumine. Eiusdem genera: composita: itemq́ue virtutes ex *Dioscoride*. *Acetum*, iuxtà *Dioscoridem*, *vulnera* curat, tum sanguinem sistendo, tum inflammationem arcendo. Hinc verbis PETRONII lux affulget. Idem in *hæmorrhagia Narium Dysenteria* & *Peste*, cum emolumento vsurpamus. *Acetum* astringens esse è *Galeno* & *Dioscoride* demonstratur contra *Syluaticum* & *Rodericum a Castro*. Contrà destillatum metalla soluit. Modus parandi *Acetum* facilis pro rusticis. *Sale atq́; aceto*: *adagione* dicebatur in pauperes, tenuiter prandentes.

A*Cetum* est vinum euanidum, quod ex situ mucorem contraxit, cum odore ingrato. Fit è vino propriè: sicut amurca è sale, vel oleo. Licet non ignoremus, *Acetum* quoque è pyris, pomisq́ue austeris & syluestrib⁹ componi à rusticolis, vulgò vocant Aepffelessig: sed optimum est, quod è vino constat, & vocatur propriè Weinessig. *Germanis* dicitur Essig/ dubio procul ab infinitiuo Germanico Essen/ quod est edere: ità vt ex hac nominis etymologia euidens sit, *Acetum* naturâ suâ appetitum acuere, adeoque, vt auidè comedamus, facere. Vel dicitur Essig/ qu. Eyssig/ vel Keyssig/ quòd astringat. austerum, atq; acidum sit. Hinc *stuporem dentium*, qui caussatur ab astringentibus, vulgò ità efferunt: Die Zähn seynd mir eyssig. *Latinis* est *Acetum*, ab *acescere*, ità vt pateat, vinum acescere, quando in *Acetum* degenerat. *Proprium autem, inter liquores, vino mucescere, aut in Acetum verti*; vt autor *Plinius libr.* XIV. *cap.* XX. ad finem. *Panes* enim, *carnes*, & alia id genus diutino situ lanuginem contrahunt. Sic ferrum rubigini, argentum liuiditati obnoxium fit. *In vino verò mucorem nos intelligimus saporem euanidũ & obsoletum cum odore ingrato: vulgò, vin poussé*: vt habet *Dalechampius*.

Acetum autem metaphoricôs ac prouerbialiter pro mordacitate, acumine ingenii, aut eo, quod acre atque astutum est, accipitur! Hinc *Horatius in Sermonibus*:

At Græcus postquàm est Italo persusus Aceto.

Itemq́ue *Persius*:

——— *mordaci lotus Aceto.*

Eodem facit illud *Varronis in Sesquiulixe*, citante *Nonio*: *Alteram* (inquit) *viam deformâsse Carneadem virtutis, à copia acris Aceti hoc est, magnâ subtilitate.* Hæc *Plauto* quoque lucem afferunt, qui in *Bacchidibus*: *Nunc experiar, sitne Acetum tibi cor acre in pectore?* Idem alibi: *Ecquid habet Acetum in pectore?* *Desider. Erasmus* ità hæc explicat *Chil.* V. *Cent.* I. XVI. *Num* (inquit) *sapit? num quid habet astutiæ? Nam vt salsa, itidem & acida, palatum iuuant, acuuntq́;, & irritant stomachum.* Quæ autem de *Aceto* dicuntur, eadem de *Sale*, atque eius

eius præſtantia intelligenda veniunt. In ſtupidos enim atque fatuos torquetur, quod *Catullus* habet:

Nulla in tàm magno corpore mica ſalis.

Hinc prouerbialis locutio olim nata: *Ἅλμη οὐκ ἔνεστιν αὐτῷ*: *Salſitas non ineſt illi.*

Cæterùm, vſus edocuit varia *Aceti* genera componere, poſtquàm *Aceti* propriè dicti virtutes, quod è vino conſtat, magnæ & laudabiles in *Medicina* innotuiſſent. *Plinius* inquit, *Aceti nequitiæ ineſt virtus magnos ad vſus, & ſine queis vita mitior degi non poßit.* Idem paulò poſt autor eſt, de *Aceto* magna extare autorum volumina. Sanitatis autem ſtudium monſtrauit *Acetum ex roſis, garyophyllis, ſambuci folijs*, comâ *abſynthii*, aliiſque compluribus cùm herbis, tum aromaribus, artificio ceu quodam, parare: vt hoc tempore tantum non habeamus *Acetum vinoſum*, vel è *pomis ſylueſtribus* natum, ſed etiam *roſaceum, ſambucinum, garyophyllaceum, ſcyllinum*, & id genus. Hinc *oxymelitis* quoque vſus apud *Græcos Medicos* tantoperè celebratus, atque in hodiernum vſque diem tantùm non in *Pharmacopolijs*, ac *Diſpenſatoriis publicis* vſitatiſſimus, verùm in praxei quotidiana penes ægros cum ſucceſſu non vnâ experientiâ commendatiſſimus eſt. Componitur autem *Oxymel ex Melle, Aceto, & Aqua.*

Medici Auguſtani ità præſcribunt:

℞. Mellis deſpumat. ℔. ij.
Acet. vini acerrim. ℔. j.
Aquæ. ℔. iiij.

Mel cum *aqua* diligenter deſpumetur, & vbi aqua coquendo fuerit abſumpta, addito *Aceto* factâ vnicâ ebullitione, remoueatur ab igne, ac ſeruetur vſui.

Huius compoſitionis, licet ſimplicis, vires tantæ ſunt ad humores craſſos tenuandos, lentos incidendos, viſcidos detergendos, obſtructiones apetiendas, idque ſine notabili calore, vt in *febribus nothis & diuturnis* nihil vtilius penè ad humorum peccantium concoctionem adhiberi queat: prout de huius facultatibus pleni ſunt omnium penè tum Medicorum, tum officinarum libri. Et hæc ſaltem commoda præſtat *oxymel ſimplex.*

Compoſita autem, quo magis ad hunc, vel illum affectum diriguntur, atque artificioſius præparantur, eo maiorum quoque virium eſſe ab effectis comperiuntur: ſicut eſt *oxymel compoſitum Meſue, oxymel diureticum*, quod *Ambroſio* aſcribunt, *Oxymel ſcylliticum Meſue, oxyſaccharа* item *ſimplex & compoſita*: quæ omnes ex *Aceto* compoſitiones admirandarum eſſe in curatione morborum virium, ecquid atrinet multis commemorare, cùm quiꝺ de induſtria pagellarum numerum augere videri poſſimus, ſicubi omnia, aut pleraque eiuſ-modi, quæ de illis extant, hùc aſcribere tentemus?

Cæterùm, quid maximè de *Aceto*, eiuſque in re medica dignitate, ſtatuendum ſit, id nobis optimè ob oculos ponitur à rerum naturalium ſcriptore grauiſſimo, *Dioſcoride*, inquam, cuius autoritas ſit inſtar multorum. Ità autem ille, *lib. v. de mater. medic. cap. XXI.* poſteaquam de *vini generibus* ac virtutibus diſſeruiſſet, hunc in modum *Aceti* dotes perſequitur: *Acetum* (inquit) *refrigerat, & aſtringit. ſtomacho eſt vtile, & appetentiam cibi excitat: erumpentem vndecunq; ſanguinem potu, inſeſſuve ſiſtit: prodeſt alui fluxionibus, cum cibariis coctū: cruentis vulneribus idoneum eſt, ac inflammationes arcet, in ſuccidis lanis aut ſpongiis impoſitum. Reprimit & procidentias ſedis vuluæq; : item gingiuas abſcedentes* [illegible] *manantes. Eſt etiam efficax ad nomas, eryſipelata, herpetas, lepras, lichenas, & pteryg* [illegible] *conuenienti miſceatur:*

sceatur: phagadænas vlcerum, nomasq́; fotu continuo cohibet: podagricis calido fotu cum sulphure auxiliatur: sugillata tollit, cum melle inunctum. Contrà capitis ardores cum rosaceo in succidis velleribus aut spongia imponitur. Ad hydropem, auditum difficilem, auriumq́; sonitus, ac sibilos, feruentis vapor proficit: earundem quoque vermes instillatum necat. Panos coërcet tepidi fotus, aut si imbuta eo spongia admoueatur, & pruritus permulcet. Contrà venenatorum morsus, quæ refrigerando nocent, calidi fotus prodest: vti frigidi, contrà eorum ictus, quæ exurens virus eiaculantur. Calidum potum atq́; vomitionibus redditum, aduersus omnia venena efficax est: ac præsertim contrà haustum meconium, cicutam, sanguinem in ventriculo conglobatum, lac ibidem coagulatum, fungos, ixiam, taxumq́; cum sale: haustu voratas hirudines si sorbeantur, eijcit: tussim veterem mitigat, & recentem lacessit. In orthopnœa calidum commode sorbetur. Sed & gutturis fluxiones gargarizatum inhibet: anginis & laxatæ columellæ conuenit: nec non & calidum contrà dentium dolorem colluitur. Hæc prolixè *Dioscorides* super *Aceto*, eiusque qualitatibus. Ibidem de *oxymelite, oxalme, thymoxalme*, itemque *Aceto scyllino* non pauca habet, eorundemque virtutibus, sicut legere est *libr. v. de mater. medic. cap.* XXII. XXIII. XXIV. XXV. *&c.*

His ità prælibatis, iam ad quæstionem respondere opportunum fuerit: *An, & quatenus* nimirum *Acetum modicis vulneribus curandis prosit?* Occasionem huic interrogationi suggerit PETRONIVS *pag. 62.* vbi hæc in verba habet: *Vix* (inquit) *ad casæ ostiolum accesseram, quum ecce tres Anseres sacri, qui, vt puto, medio die solebant ab anu diaria exigere, impetum in me faciunt, fœdeq́; ac veluti rabioso stridore circumsistunt trepidantem: atq́; alius tunicam meam lacerat, alius vincula calceamentorum resoluit, ac trahit: vnus etiam, dux ac magister sæuitia, non dubitauit crus meum serrato vexare morsu.* Et paulò post: *Vulnusq́; cruris haud altum Aceto diluo.*

Ex his iam non indignè quæritur: *An Acetum aliquid ad vulnerum curationem faxit?*

Pro cuius solutione sciendum est: *Acetum* (prout ex *Dioscoride* didicimus) *erumpentem vndecunq́; sanguinem potu, insessuq́; sistere: prodesse alui fluxionibus, cum cibariis coctum: cruentis vulneribus idoneum esse, ac inflammationes arcere, in succidis lanis aut spongiis impositum.*

E quibus initio euidentissimum fit, *Acetum* ad vulnus istud ex morsu anserino apud PETRONIVM haud temerè, sed consultò & rectè, fuisse applicatum. Duplicem enim vtilitatem *Dioscorides* in verbis præallegatis *Aceti* ad vulnera nobis proponit. Dicit enim *Acetum* erumpentem vndecunque sanguinem potu insessuque sistere; dein inflammationes arcere. Cùm igitur sanguinem sistat *Acetum*, è vulneribus vndecunque etiam erumpentem, tum, quod potissimum quoque est, inflammationem arceat, commodissimè eo in casu illud vsurpari liquidissimum euadit. Hinc est, quòd hodierno adhuc die *hæmorrhagiam Narium* vsitatissimè sistimus *Aceto*, eoque vel solo, vel cum aliis astringentibus misto. Sic dictam *Narium hæmorrhagiam* illi, quibus ea familiaris est, ex tempore *Aceto* per fascias, aut sudariolum, naribus obiecto, feliciter retundunt. Alii, instar anacollematis, *Acetum* cum linteolis fronti ac pulsibus superiniiciunt. Alii spongiam vel fasciam *Aceto* maceratam pudendis gelidè obiiciunt, præsertim rubro, ad eandem intentionem, quod probant *Andr. Matthiolus, Oswald. Gabelchouerus*, & alii. Vsitatissimum verò, imò commodissimum est, vnà cum aliis astringentibus *Acetum* ad sanguinē cohibendum adhibere. Communiter *Sarcocolla, gypsum, mumia, bolus armena, puluis molendini, pili leporini, puluis ranarum combustarum, puluis spongiarum, albumen oui*, & similia, vel sola, atque separatim, vel cum *Aceto* atque coniunctim contrà sanguinis fluorem adhibentur, feliciusque operantur. Sic *Crocus Martis* quoque cum *Aceto* & *bolo armeno* dissolutus eodē in casu fronti, vt anacollema, imponitur. Imò, velut ipse *Crocus Martis*

externè

externè *hæmorrhagiam*, internè verò *dysenteriam* curat; ità *Acetum* quoque in *dysentericis* vtiliter fluxum cruentum reprimit, præsertim si (quod medendi methodus requirit) post vniuersalia eius vsus ineatur. Sic quidam *panem bis coctum* coquunt in *Aceto*, idq; ter repetunt, vsque dum pulueris etur. Hoc puluere iuscula ægro incrassant. Id quod optimè in *dysenteria*, licet vehementi, conuenit, post vsum purgantium, detergentiumque, vbi tum denique astringentibus locus est. *Matthiolus* contrà omnes *fluxus*, & *Dysenteriam* hoc experimentum prædicat.

℞. *Cancros viuos*, q. v. coquantur in *aceto* vinoso; posteà testas cancrorum contunde, atque in puluerem redige. Huius pulueris manè & vesperi propinetur ʒj. cum haustu *vini rubri*, vel *aquæ plantaginis*.

Quantas verò vires *Acetum* insuper, tempore pestis, contrà venena obtineat, ità notum est cuiuis penè, vt declaratione vix opus habeat. Ex eo enim super lateres ignitos affuso tantùm non conclauia suffiuntur, verùm inprimis *pulsus, regio cordis*, (præsertim in epithematibus) *nares* quoque manè, irrigantur: nò verò ipsa *Theriaca, Mithridatium, Electuarium de ouo, Antidotus Matthioli*, cùm certa quantitate *Aceti*, ad ciendos sudores, ipsumque venenum pestilens euocandum, vsitatè riteque propinantur. Hinc tot formulæ extant *Aceti Theriacalis, aceti ex scordio, garyophyllorum*, & similium.

Sed reuertamur ad institutum. Vnde autem istud fit, quòd *Acetum* sanguinem vndecunque fluentem sistit, an nimirum ex qualitate calfaciente, an refrigerante, atque astringente, haud abs re fuerit, porrò inquirere. *Acetum* heterogenearum partium esse, tum calidarum, siccarumque, tum frigidarum, *Medicorum* consensus est. Inter cæteros *Rodericus à Castro, de natur. mulier. lib. IV. cap. II.* de lactis caseatione ità disputat: *De Aceto* (inquit) *quo solo aliquando lactis serum extraximus, etsi eius nullam fecerit mentionem, difficilior possit suboriri controuersia: sed neq; hoc quidem frigidis suis partibus id efficit, verùm subtilioribus calidiusculis, & admodum siccis, quibus primùm penetrat, deindè caseosam partem cogit, atque constringit, quâ ratione ab eodem quamuis à prædominio frigidum sit, tamen propter has partes acredinem sero inesse, & quandam subducendi, astringendiq; vim superiùs iam prodidimus.* Quæ coincidere nobis videntur cum sententia *Ioan. Baptist. Syluatici*, Medici doctissimi, qui *controuersiâ* LI. integro capite demonstrare contendit, *Acida*, inter quæ etiam *Acetum*, suâ naturâ minimè astringere. Audiantur illius verba: *Acetum, siquidem terreum est & siccum, & tamen, vt audiuimus, non astringit, interius præsertim sumptum. Quod enim externè admotum Acetum astringere videatur, id siquidem fluxiones repellere, & omnem sanguinis è naribus eruptionem atq; dysenteriam, vapore suscitato, vel fotu etiam, cohibere, ipsasq; hæmorrhoidas, & immodicas vteri purgationes suffitu, insessuq; sistere, reiectionemq; sanguinis omnem impedire videmus. Ob id tamen inter ea, quæ propriè astringunt, illud enumerandum non est: quoniam externè admotum, vnius frigiditatis suæ altè subeuntis beneficio, fluxiones sistit: suâ verò siccitate, quæ planè valida est, sanguinis eruptiones omnes cohibet.*

Hæc, licet à doctissimis viris disertè prolata, nihilo-secius videntur tàm *Galeno*, & *Dioscoridi*, quàm sensui etiam atque experientiæ communi apertè refragari. *Galenus* enim in pluribus locis, præsertim *libr. I. de simpl. medic. facult.* *Acetum* astringere, disertissimis verbis pronunciat contrà eos, qui dicebant, *Acetum* hæmorrhagiam cohibere, quod vreret, instar Caustici, in quos regerit: *Cohiberi* (inquit) *sanguinis fluxiones non est signum Aceti calfacientis instar Cauterii: nam hæc inhibitio sanguinis fluentis fit multis modis. Fieri potest operculo quodam inducto, cuius operâ obstruitur, & clauditur exitus ipsi sanguini, quomodo non-nunquam contingit Emplastrum ex gypso apponi in sanguinis fluxu, quo gypso fit*

veluti operculum, & obstructio loci, per quem sanguis effluit: at hoc modo Cauteria cohibent sanguinis fluxum, quia ex vstione excitatur crusta, qua impedit sanguinis exitum instar operculi, & hæc cohibitio sanguinis non potest fieri, nisi ab vrentibus medicamentis. Alio modo (nota) *cohibetur sanguis aut astringentibus & refrigerantibus, cuius generis est Acetum, quod cohibet sanguinis fluxum, sicut astringentia, & refrigerantia, citrà crustæ inductionem.* *Galeno* subscribit *Dioscorides de mater. medic. libr. v. cap. xxi.* Sic enim ab initio expressè, ait, vt suprà allegauimus: *Acetum refrigerat, & astringit:* &, quò magis hæc astrictio confirmetur, addit statim: *stomacho est vtile, & appetentiam cibi excitat: erumpentem vndecunq; sanguinem potu insessuve sistit: prodest alui fluxionibus, inflammationes arcet.* Quibus quid clarius de astringenti vi *Aceti* dici possit, vix video. Non tantum enim *Dioscorides* dicit illud esse astringens, sed etiam probat ab eiusdem effectis, dum nimirum stomacho commodat, appetitum cibi auget, sanguinem sistit, fluxionesque cohibet, quæ omnia astringentium propria sunt.

Etsi autem concedamus, *Acetum* non esse quid simplex, sed cōstare ex diuersis partibus heterogeneis, quibusdam calfacientibus, quibusdam refrigerantibus; acerrimū enim dicunt maiores habere partes pluresque calfacientes, simplex contrà & minus acre copiosiores habere partes refrigerantes: interim tamen, neque partibus illis calfacientibus, neq; refrigerantibus vnquam tantum valet, vt illos effectus, quos illi adscribit *Dioscorides*, in sistendo sanguine, ciendoq; appetitu, coërcendo fluxu, repercutienda inflammatione, quę omnia propriè competunt astringentibus, edat. Etsi enim niuem, glaciem, aquam gelidam naribus in hæmorrhagia, aut vulneribus, obiicias, illa tamen suâ frigiditate nequicquam facient, vt sanguis sistatur, imò magis fluxum fors concitabunt. Nisi aliquis inopinatò ceruici gelidam aspergat, vbi aliâ ratione subitus nimirum terror facit, vt sanguine intrò recurrente substillum remittat: quantumuis eo pacto magnam hæmorrhagiam compescere aliquis non possit. Sic calidis quoque adhibitis, quæcunque illa sint, vel cum fomentis, inunctionibus, anacollematis, irrigationibus, odoramentisque nequicquam sanguis erumpens sistetur, imò fluxus caussabitur deterior, sanguine videlicet vi calefactoriâ attenuato, osculis, atque anastomosi venarum reseratis, vnde eo copiosius expeditiusque sanguis erumpit. Eadem ferè ratio est cum siccis: quæ etsi quidem faciliùs admitti possint, ad sanguinem sistendum, siccitas tamen ibi non omnino sufficit, cùm maius insuper aliquid requiratur, quod fluxum inhibeat, quàm id, quod solâ siccitate præditum est. Et si maximè calida vel frigida indifferenter id præstarent, vnumquodque calidum frigidumque vndecunque arreptum istud efficere satageret. Alia verò res est cum astringentibus. Ea enim vel odore, vel sapore, vel contactu, v. gr. quando in vulneribus, aut cutis exulcerationibus applicantur; vel effectis denique verissimè cognoscuntur esse astringentia, siquidem astringunt sanguinem, fluxum cohibent, stomachum confortant, appetitum cient, inflammationem denique abarcent repercutiuntque. Quo modo *Galenus* ipse *Acetum* repercutere non semel prodidit. *Repercussio* autem fit quâdam astrictione; prout ipse *Syluaticus* alioquin inficiari non potest. Liquet ergo *Acetum* astringens esse. Hinc *Germanis*, prout in limine innuimus, indigetatur Essig/qu. dicas essig/vel beissig/id est, quòd astringens, austerum, ac gustu acerbum sit. Hac aciditate, instar *Salis*, aut similis alterius condimenti, *Acetum* à putredine præseruat, purificat, mundat. Imò etiam *Poëtæ* veteres eum sapientem pronunciant:

——*cui lotum pectus aceto.*

Hodie

Hodie enim matresfamiliâs carnibus, ne marcescant, putrescantque, *acetum* aspergunt. Putribus siquidem *acetum* vel *origanum*, debetur. Hinc *adagium*: *Putre salsamentum amat origanum*, vel *acetum*. de quo consule *Des. Erasmum Chil.* II. *Cent.* III. LXXXIII.

Quamdiu itaque *Acetum* partium crassarum ac terrestrium est, tamdiu non potest non sua natura astringere: quando verò contrà exaltatur, Vulcani beneficio atque aliquoties destillatur, tum insignem vim penetrandi, dissoluendi, peruadendique sortitur. Quo in significato illud accipiendum esse putamus, quod de *Hannibale* literis proditum est, eundem *Aceto Alpes* perrupisse, transitumque eo artificio sibi fecisse. Si enim *Acetum* istud, (fides sit penes historiã) fuisset simplex, terrestrium partium, ac verè proprieque astringens, scopuli ex eo non fuissent diuulsi, sed constricti potius, conglutinatis vel obductis eorum poris. Ideoque *Acetum* istud à fæcibus separatum, exaltatumque fuisse credibile est; *Acetum destillatum* vocant, quo pariter *Chymici* hodie metalla soluunt.

Pro Coronidè, quod ad *Samaritani* illius remedium attinet, quod à *Seruatore D. N.* in *historia Euangelica* proponitur, certè id ipsum patribus-familiâs, tanquàm à summo illo Archiatro profectum, meritò debet esse commendatissimum. Ad cuius illustrationem exercitatissimus Medicus, *Raym. Mindererus*, in eleganti suo *libro de medicina militari*, *cap.* IX. *de Vulnerum remediis*, sequens *oleum, vel balsamum vulnerarium*, vulgò Samariters Oel/oder Wundbalsam/ præscribit; quod, quamuis paulò supra *libr.* II. *cap.* II. *de Araneis*, inter cætera asscripserimus, non piget hic reponere, ob vsum quotidianum ac domesticum:

℞. *Olei oliuarum* (vulgò Baumöl) *partem vnam, vini, partes duas, coquantur inuicem ad vini consumptionem, & quousque oleum remanens igni aspersum sonum aut strepitum nullum edat.*

Sic habes (inquit autor) *oleum balsamumq́; vulnerarium desideratissimum, quod filamentis carptis tenuibusq́; imponatur in vulnera tàm cæsim quam punctim facta, atq́; eo ipso, licet ad speciem vulgari remedio, in effectu tamen admiranda præstantur.*

Andr. Mathiolus quoque, in gratiam patrisfamiliâs, modum præscribit, quo vnusquisque præsto, quocunque etiam tempore, *Acetum* domi sibi præparare potest.

Accipe (inquit) *panem tostum, infunde in Aceto, & rursus exemptum, sicca. Hoc iteretur aliquoties. Eum panem si posteà in vinum, cereuisiam, aut aquam infundas, oppidò Acetum habes paratum.*

Veteres olim, cum tenue ac parcum prandium indigetarent, dicebant: *Sale, & Aceto. Miseris enim obsoniorum loco Sal est cum Aceto*: referente *Des. Erasmo. Chil.* V. *Cent.* I. XVI.

Caput XV.

SAcrificium quid? Sacrificiorum, sicut Dæmonum, apud gentiles genera varia. Eorundem, scil. sacrificiorum, catalogus. Modi sacrificium faciendi, & requisita eius rei. Victimæ Diis, siue Dæmonibus quibuscunque, propriæ. Textus PETRONII mutilus. *Vini* vsus frequens in sacrificiis, & lustrationibus. *Vinalia* festa apud *Romanos*. Præter *Vinum*, *Aqua* etiam ad sacrificia adhibita. Illotis manibus olim nemo faciebat sacrificium, neq; precabatur. Hinc prouerbialis locutio: *Illotis manibus aliquid aggredi*. Sacerdotum ordines apud gentiles. Eorundem castratio & castimonia. *Lustratio* vndè orta? *Sacerdotes* tantum non, sed *loca*, *vasa*, ac *Victima* lustrabantur. *Herba* ad *lustrationes* adhibitæ. Radix *Baaras*, apud *Iosephum*, ad lustrationes mirabilis. *Diuinatio* quid sit? Eius genera multa. Modi diuinandi. Magi in diuinationibus precabantur, vel imprecabantur potius. PETRONII locus quadrifariam illustratus. I. Quà sacrificium cum *Vino* factum. II. qua lustrationem. III. qua diuinationem. IV. quà Aruspicinam. Conclusio terminatur in artium magicarum abominatione.

SAcrificium (inquit *Corn. Agrippa*) *est oblatio, quæ & sacra fit efferenda, & sacrat, seu sanctificat offerentem, nisi illum aut irreuerentia, aut aliud quoddam impediat peccatum.* Sacrificiorum vero genera apud priscos gentiles varia ac diuersa fuerunt, prout ferè ipsos Deos, vel Dæmonas, inter se se diuersos & variantes numero constituerunt. *Hesiodus* triginta millia diuûm, vel dæmonum, esse prodidit:

Millia triginta terras habitantia diuûm
Sunt Iouis, hi obseruant hominum mortalia facta.
Obseruant pariter peragentes fasq; nefasq;
Aëris induti velamine.

Trismegistus vero *Iamblichus*, *Psellus*, atq; alii, tantum non trigintà dæmonum millia, sed aëra, cœlumq; plena dæmonibus esse scripserunt, qui quidem per aëra latè grassarentur, atque ad sacrificiorum nidores aduolarent. Prout igitur Deos, vel dæmonas diuidebant in *Aëreos*, *Infernales*, atque *Marinos*, ità pariter sacrificia differebant secundum vnius atque alterius naturam. Neque enim cunctis molas offerebant, neque omnibus lumina accendebant, neque vniuersis aras sublimes struebant, neque singulis per diem aut auroram sacra fiebant. *Iupiter* cœlitibus, *Neptunus* marinis, *Plutus* infernalibus imperare credebatur. Cum igitur cœlestes dæmonas, accedere ad naturam ignis iudicarent, quod regionem ignis, aut aëris inhabitarent, ideoque in horum sacrificiis adhibebant multa, quæ ad visum faciunt: sicut sunt *lumina*, *figura*, *ara sublimiores*. *Ioui* enim & *Superis* quicunque sacrificabant, id exsequebantur in aris in sublimi extructis, quia mons omnis *Ioui* sacer putabatur, eo quod Deo altissimo locus quoque conueniret editissimus. Sic apud *Apollonium* est *lib. II. Argonaut.*

Ingentem Iouis humentis tunc exstruit aram,
Et sacra imponit in montibus: hic quoq; sacra,
Sicius accepit, sic Iupiter ipse volebat.

Sic *Apollini* etiam in littore aram sublimem erectam fuisse, in montium defectu, idem *Poëta* testis est. Deindè Diis Superis sacra circà Auroram & Solem orientem celebrabantur. Inferis vero vitaque defunctis, circà occasum Solis, & per noctem. Tertio,

tio, sacrificantes Diis cœlestibus, purpureis vtebantur vestibus, inferis vero, atris induebantur. Quarto, Diis illis, qui benefici habebantur, albæ & placidæ victimæ, maleficis vero, ne qua nocerent, victimæ nigræ ac feroces mactabantur, ea tamen lege, vt maribus Diis victimæ masculæ, feminis feminæ cæderentur: Quinto coronabantur in ipsis sacrificiis etiam homines sacrificantes, tum victimę, tum altaria, v.gr. in *Cerealibus* sacris coronabantur quercu: in *Herculeis* populo: in *Apollineis Lauro*: victimæ vero cornua inaurata erant, tum collum coronis innexum: quin-etiam vasa, quibus vtebantur, coronabant. Sexto, vnicuique Deo peculiaris victima sua cædebatur: v.gr. *Cereri* primitiæ frugum: item *porca*, quod esset animal frugibus inimicum. *Baccho* cædebat *Caper*, quod vitibus esset infestus, item *Asinus*, secundum *Plinium*, itemque *porcus*, secundum *Herodotum*: *Marti* sacrificabatur, tanquam furibundo, *taurus* ferox: *Ioui* placido, *bos* arator, vel cicur: itemque *aries*, vel *agnus*: *Dianæ cerua*: *Fauno capra*: *Nymphis lac & mella*: *Æsculapio gallus*: *Herculi taurus* fulmineus: *Isidi anser*: *Maiæ sus* prægnans: *Mineruæ* capella: quod eius morsus oliuæ funestus: *Neptuno taurus*: *Nocti gallus gallinaceus*: *Priapo asinus*: quod intempestiuo eius clamore cum *Lotide* nympha dormiente coiturus, amante excitata, impeditus, ac reiectus fuerit: & denique vnicuique pro sua natura suæ immolabantur & peculiares victimæ.

De variis autem sacrificiorum generibus ità disputat *Cornel. Agrippa libr.* III. *de occult. Philosoph. cap.* LIX. *Sunt verò* (ait) *sacrificiorum plura genera: nam quoddam dicitur holocaustum, quando igne hostia consumitur: quoddam immolatio, propter sanguinis effusionem. Præterea quædam dicuntur sacrificia salutaria, quæ fiunt pro salute obtinenda, quædam pacifica, quæ pro pace obtinenda: quædam laudes, pro liberatione à malis, vel largitione bonorum; quædam gratulatoria, pro veneratione diuina ac gratiarum actione: quædam etiam fiunt nec propter honorem Dei, nec ex bona voluntate, quale erat apud Hebræos sacrificium zelotypiæ, quod solum fiebat caussa detegendi occultum adulterium. Eratque olim apud gentes sacrificium expiationis, quo expurgabantur ciuitates fame, aut pestilentiâ, aut aliâ quauis horrenda calamitate laborantes: cuius ritus erat, disquirere, quem in ea ciuitate reperire potuissent hominum turpissimum, illumque correptum ad locum constitutum deducebant, caseum cum placenta, & ficus siccas, manibus gestantem, illumque septies virgultis syluestribus verberatum, lignis syluestribus comburebant, cineremque in mare proiiciebant.*

Meminit horum Lycophron & Hypponax. Nec dissimilia multò narrat Philostratus de Apollonio Tianeo, dum pestilentiam Epheso fugaret. Multa prætereà sacrificiorum & victimarum genera erant, sicut Agonalia, Dapsa, Farreationes, Hecatombe, Hostia, Hyacinthia, Armilustra, Ianualia, Lucaria, Lupercalia, Munychia, Nouendinalia, Nictiluca, Palatialia, Pastilaria, Popularia, Proteruia, Scenopægia, Solitorilia, Stata, Rubigalia, Fontanalia, Ornia, Parentalia, Inferiæ, Consualia, Lampteria. Amburbia, Ambarualia, Vinalia, Tuji, Holocaustomata, Orgia, Latialia, Dianetauriba, Bacchanalia, Trieterica, Liberalia, Cocytia, Cerealia, Tesmophoria, Adonia, Theonia, Laurentialia, Opalia, Palilia, Quirinalia, Vertumnalia, Gynecia, Panathenæa, Quinquatria, Diapalia, Diasia, Horma, Hormea, Neinea, Mytriaca, Palogygia.

Rauisius fallor an luculentius ea omnia tã festa, quàm sacrificia, ordine alphabetico recenset *theatr. hist. Poët. lib.* I. *c.* XXI. Ita autem sequuntur: *Agonia, Aletides, Ambaruaiia, Anacalypteria, Anaria, Angeronalia, Anthesphoria, Amphisteria, Apaturia, Armilustria, Ascolia, Boedromia, Caprotinia, Carmentalia, Cerealia, Charistia, Chytria, Compitalia, Consualia, Cotynia,*

Dapsa,

Dapsa, Diabatisia, Dimastigosia, Diasia, Elaphebolia, Emploria, Encœnia, Ephestria, Equiria, Exitiria, Farrealia, Faunalia, Feralia, Fontanalia, Fornacalia, Foticidia, Furinalia, Gamelia, Helecatombea, Helenophoria, Hyacinthia, Hilaria, Hypecaustria, Hysteria, Inferia, Lampada, Laurentialia, Lemuria, Liberalia, Lucaria, Lupercalia, Matralia, Meditrinalia, Megalesia, Metagetnia, Minuscula, Monophaga, Munychia, Nephalia, Nouendialia, Nudipedalia, Nyctileia, Oenisteria, Omophagia, Opalia, Ornea, Oscophoria, Parilia, Palatualia, Pammilia, Panathenea, Panhellenia, Parentalia, Plynteria, Popularia, Populifugia, Proteruia, Pyanepsia, Quinquatria, Quirinalia, Regifugia, Rubigalia, Scænopegia, Scita, Septimontia, Terminalia, Thargelia, Theœnia, Theophania, Theoxenia, Thya, Tricterica, Tubilustria, Vinalia, Vortumnalia, Vulcanalia.

His ità prælibatis, pauca insuper de *lustrationibus* ac *piaculis* priscorum gentilium annotabimus, vt eo clarior euadat isthæc dissertatio. Omninò autem illa, quæ apud *Petronium* habentur *pag.* 64. de lustratione, siue expiatione, intelligi debent, quæ fiebant antè sacrificium, vbi hanc in sententiam *Satyricus* noster: *Infrà manus* (inquit) *meas camellam vini posuit, & quum digitos pariter extensos porris apioq; lustrasset, auellanas nuces cum precatione mersit in vinum; & siue in summum redierant, siue subsederant, ex hoc coniecturam ducebat.* Ex quo textu *tria* potissimum nobis discutienda erunt, quorum primum: *Quid vinum ad sacrificia fecerit?* secundum: *quid lustratio, vel lotio manuum?* & tertium: *Qualis isthæc Magiæ species extiterit cum auellanis in vinum immersis?* De quibus iam ordine videbimus.

I. Ad primum itaque, quod spectat, etsi quidem textus præcedens minimè integer, sed mancus & corruptus est, cum nulla in eo sit cohærentia; nihilo-secius tamen postquam *Polienus anserem Priapo*, & *matronis* sacrum, occidisset, verisimile fit, isthoc sacrificium, ob commissum istud piaculum, ab anu venefica institutum fuisse. Vario siquidem modo variis de caussis sacrificia à priscis fiebant: vel loco gratiarum actionis: vt, qui conualescebant; vel loco placationis; vt quibus irata erant numina; vel venerationis gratiâ: vt Deos colerent saltem, vel denique, consultandi igitur, vt deorum voluntatem expiscarentur. *Vino* autem frequenter vtebantur sacrificantes. Hinc tantum non sacerdotes, sed illi etiam, quorum caussa sacra fiebant, *vinum* inter cornua victimæ fundere soliti erant: qua de re *Virgilius lib.* IV. *Æneid.*

Ipsa tenens dextrâ pateram pulcerrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fudit.

Dein, cum sacrificium fieret, quo ignis ardescens magis incrementum sumeret, *vinum* etiam, ignibus sacris affundebatur, sicut *Homerus* testis est *Iliad.* I.

Vsit ligna super senior: tum munere Bacchi
Libauit, fuditq; merum ———

Victimas vbi mactassent, *vinum* cum precibus in sanguinem effundebant. Ità enim *Ouidius lib.* VII. *Metam.*

Tum super inspergens liquidi carchesia Bacchi
Alteraq; inspergens tepidi carchesia lactis,
Verba simul fundit ———

In *Cereris* tantum sacrificiis prohibitus erat *vini* vsus. *Plutoni*, loco *vini*, *oleo* sacrificabant. *Vinum* enim maximè in sacrificiis deorum superorum adhibebatur. In sacrificiis tamen *Oceani*, *Nymphæ* vinum in flammas, non in mare, fundebant. In sacrificiis pariter atque exequiis mortuorum, *vini* vsus non infrequens erat. Cineres enim & ossa mortuorum

tuorum

tuorum, quæ ex combustione reliqua erant, collecta vino irrigabantur, vt suauiori cum odore cadauer extingueretur, cuius reliquias isthas in vasa vel aurea, vel argentea, vel ærea includebant. Hinc *Virgilius lib.* v I. *Æneid.*

Postquam collapsi cineres, & flamma quieuit,
Relliquias vino, & bibulam lauêre fauillam,
Ossaq; lecta cado texit Corineus aheno.

In exequiis, quæ fiebant pro iis, qui peregrè erant, absentesque mortui, tumuli illis pro aris erigebantur, *vinumq;* & sanguis victimarum his ipsis ad tumuli radices offerebantur, aliquando etiam *lac* cum *sanguine.* Vocabant autem animas, quandoque etiam voce altissima, ad cohibendum sanguinem. Vndè idem *Virgilius libr.* III. *Æneid.*

Antè vrbem in luco falsi Simeontis ad vndam
Libabat cineri Andromache: manesq; vocabat
Hectoreum ad tumulum ———

Vinum etiam, præter sanguinem, in terram effundebant, vt in morte *Patrocli* habet *Homerus Iliad. libr.* XXXIII.

Ad terram fudit vinum, terramq; rigauit,
Patrocliq; animam supremâ voce vocauit.

Mulsum denique, *aqua*, & *mola* suprà *vinum* & *sanguinem* in foueam proiiciebant; vt idem autor est *libr.* XI *Odyss.*

Effodi foueam, quâ descendebat in vlnam,
Inferias in quam cunctis effudimus vmbris:
Ac primum mulsum, plena hinc carchesia Bacchi,
Rursus aquam, niueâ texi quæ deinde farinâ.

Habebant prætereà *Romani Vinalia festa*, quæ celebrabant, & talia apud eos erant, qualia apud *Thebanos Dionysiaca.* Ea verò duplicis erant generis. Alia erant IX. *Kal. Mart.* vinis degustandis dicata, cum vina pura esse putarentur: alia vero, XII. *Kal. Septembr.* vel XIV. autore *Festo*, quo die *Veneri* ædes dicata fuit, & hæc *vinalia rustica* cognominabantur. Hodie nobis dici possent ea *Vinalia*, aliâs *Encænia*, vulgo Kirchweyhe / Kirchmeß / à templi, vel ædis alicuius sacræ consecratione.

Præter *Vinum*, gentiles insuper *aquam* quoque ad sacrificia adhibebant. Nam sacerdotes *aquam* in aurem victimæ solebant infundere. Verum singulis ferè sacrificiis propriæ erant aquæ; *Athenis* in sacrificiis, itemque nuptiis, nulla aqua vtebantur, nisi è fonte *Callirhoes.* Sic in *Delo* aqua templi tantum in sacrificiis vsum habebat. *Ioui Olympio* aqua *Alphei*, sacrum fiebat. Hûc-vsque de sacrificiis, rum de *vini* vsu in sacrificiis recepto.

Iam de *lustratione* disquirendum.

II. Apud antiquos in more positum erat, vt nullus hominum, vel sacerdotum, sacrificium faceret impuris, vel inquinatis manibus. Cum enim Deum mentem castam & puram optimi commatis Philosophi statuerent, & ab omni penitus sorditie immunem, rectè arbitrabantur, nequaquam ministrum aliquem, aut mortalem, ad illius summi Dei altare admittendum esse, nisi qui manus probè lotas, & ab omni impuritate immunes haberet. Rectè igitur, pieque in *Catonianis* illis:

Casta Deus mens est, castâ vult mente vocari.

 Hesio-

Hesiodus etiam Deo sacra fieri vetat, antequam manûs sint lotæ, *libro de operibus & diebus* :

Nunquam vina Ioui Superisq; rubentia libes,
Ante manûs fluuii quàm purâ lauerıs vndâ.

Si quis igitur temerarius neglectâ illâ lotione purgationeq; ad sacrificia, vel aras accessisset, illius preces neque deos audire, sed abominari arbitrabantur. Hinc *Æneas* apud *Virgilium libr.* II. *Æn.* sacra attingere penatesque meritò recusat, impuris scil. & cæde madentibus manibus:

Tu, genitor, cape sacra manu, patriosq; penates,
Me bello è tanto digressum, & cæde rubenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero ———

Hinc sacerdotes oportebat ab omni libidine per nouem dies noctesque vacare. Imò etiam *Demosthenes in oratione contrà Timocratem* sacerdotes iubet non certis saltem diebus castos esse, imò istam castitatem ac sanctimoniam per totum vitæ curriculum perpetuare. Sacerdotum autem ordines, autore *Agrippâ*, varii erant: *Pontifices* scil. *Flamines, Archi-flamines, Phylades, Salii, Hierophantæ*, & id genus alii. Religiosi vsque adeo fuisse feruntur *Cybeles* sacerdotes, vt membrum genitale sibi lapide quodam abscinderenr, quo membri genitalis energiam propellerent. Matronæ quoque castæ lectos è foliis *viticis*, vel *agni casti* sibi substernebant, ad lasciuiam retundendam. Ad idem institutum vsus *Rutæ* receptus est. Seuerè etiam isti olim puniebantur, quicunque impuris manibus ad aras, vel sacrificia conuenissent. Quapropter impuris atque illotis hominibus tantum non licebat ad aras accedere, imò nec Deos quidem precari, siquidem omnis deorum indignatio in impure precantes solebat conuerti. Hinc ergo orta fuit *lustratio*. Quæ nihil aliud erat, quam purgatio illius, qui scelere, aut impietate aliqua fuerat pollutus. Is itaque si ad aras accessisset, vel sacrificium, magis deorum iram in se concitasset. Ea de caussa necessarium erat, lustrationem antè sacrificium instituere, manusque ab omni iniquitate ac crudelitate purgare. Non solum autem *homines* lustrabantur, sed etiam *vasa*, sed etiam *loca*, sed etiam *victimæ*, quæ ad sacrificium concurrebant.

Lauabantur itaque *victimæ*, antequam sacrificarentur, vt omni sorditie carerent, ipsaque *loca*, & *vasa* consimiliter. Fiebant autem (inquit *Agrippa*) expiationes animi sacris quibusdam institutis, & sacramentis ab extra administratis, vt per *sacrificia*, per *baptismata*, per *exorcismata*, per *benedictiones*, per *consecrationes*, per *aquæ benedictæ aspersiones*, & per quasdam *inunctiones*, & per *suffumigationes*, non tàm ad hoc consecratas, quàm etiam naturaliter hanc vim possidentes. Sic ad expiationes istas locum habebat *Sulphur*, item *oua lustralia*, de quibus *Ouidius*;

Et veniet, quæ lustret anus lectumq; locumq;,
Deferat & tremulâ sulphur & oua manu.

Similiter *Iuuenalis de sulphure:*

———*cuperent lustrari, si qua darentur*
Sulphura cum tædis ———

Idem *Sulphur* in magicis lustrationibus ac suffitibus antiquitus vsitatum, magna-

gnarumque virium fuisse, non ignarus est *P. Lotichius Secundus* meus, in *Eclo ga V*

Spargite cæruleos mihi sulphura, spargite fumos:
Sulphuris in terra gremio diffusilis humor
Gignitur, & rerum caussas custodit, & ortûs:
Idem etiam Magicis tactas suffitibus herbas
Adiuuat, & cæcos, quibus vritur, implicat ignes.

Vtebantur iisdem sacerdotes in lustrationibus præter *Sulphur, asphalto*, atque ablutione aquæ marinæ, autore *Proclo*: itemque herbâ *Pentaphyllo, ramisq; oliuarum. Oliua* enim tàm casta esse proditur, vt manu meretricis plantata perpetuo exarescat, maneatque sterilis, referente *Agrippâ*. Ad easdem expiationes frequens erat vsus *thuris, myrrhæ, verbenæ, valerianæ, benedictæ, gariophyllatæ*, fellis item *canis nigri*, quibus vel seorsim, vel iunctim in suffitibus adhibitis expiabant dæmonas malos, veneficia, & similia. *Romani cæpas* etiam, *crines*, & *mænidas* pisciculos in lustrationibus adhibebant, teste *Plutarcho*.

Vbi igitur cædem aliquis, vel aliud quodpiam scelus admisisset, ibi à sacerdotibus *Porcellus* exiguus mactabatur; cuius sanguine manus lauabat lustrandus, vt eo velut cruore animæ maculas quoq; expiaret. *Porcelli* etiam in lustrationibus hominum comburebantur.

Quodsi loca *fumo Sulphuris* essent lustranda, solitum erat, salem in aquam mittere, ramoque lauri, oliuæ, vel arboris alterius, quæcunque illi Deo grata vel sacra foret, cui fiebat sacrum, in eandem illam aquam demisso locum leuiter irrorabant, idq; iure lustrationis; prout sunt autores *Apollonius Rhodius, & Theocritus*.

Tertullianus, cap. v. de Baptismo, penes veteres (inquit) *quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aquâ se expiabat*. Quo facit illud *Senecæ Tragici in Hercule furente:*

Et tota Thetis per meas currat manûs,
Hærebit altum facinus ——

Superis vero imparibus sacrificandum, *Inferis* autem paribus: vt est apud *Erasmum Chil. 1. Cent. 1. Adagior.* Idem autor est, primum mensem Diis cœlestibus habitum sacrum, secundum vero diis Inferis. Imo totius mensis dies tres principes & autores erant *Romanis*, scilicet *Calendarum, Nonarum, & Iduum*, atque hi *profestis* habebantur, ac velut Diis Superis dicatis. Reliqui, qui hos sequebantur, id est, postridie *Kalendas, Nonas*, & *Idus* Diis Manibus ascribebant, vndè *nefasti* etiam dicebantur. Sic apud *Græcos* tertius Crater Ioui Sospitatori, secundus semideis ac dæmonibus tribuebatur. *Ternionem* autem siue numerum ternarium absolutum esse statuebant, cum *ἑνάς*, numeri omnis principium, cui *δυάς* aduersatur, inter pares numeros primus sit, nec finem habens, nec perfectus. De numerorum vero mysteriis consulendi *Plato, & Pythagoras*.

Lustrationis autem legitimæ requisita erant, I. vt non nisi ab illo fieret, qui ad Solem orientem esset conuersus. II. Oportebat antè omnia lustrationum genera manû lauare illos, quicunque ad aras accessuri erant. III. Qui Superis erant sacrificaturi, toti debebant lauati, si eius fieri posset: sin minus, saltem manus lauabantur: qui vero *Inferis* litabant, tenui aqua tantum irrorabantur.

IV. *Ter* quoque *aquâ lustrali* solebant homines lustrandi aspergi, vt in illo *Virgilii* *libr.* VI. *Æneid.*

Idem ter socios purâ circumtulit vndâ
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ.

Hac ipsa aqua lustrali crines spargebant, & preces iuxta adhibebant, vt apud *Ouidium*, *libr.* V.

Spargit & ipse suos lauro rorante capillos,
Incipit & solitâ fundere voce preces.

Idem *libr.* VII. *Metam.*

Ter se conuertit, ter sumptis flumine crinem
Irrorauit aquis: ternis & hiatibus ora
Soluit ———

Hæc, nisi fallimur, lucem *Petronio* nostro afferunt, qui *pag.* 64. suprà citata, ità de certo lustrationis ritu habet: *Infrà manus* (inquit) *meas camellam vini posuit, & quum digitos pariter extensos porris apioq; lustrasset,* &c. quæ verba annon sint de manuum lustratione accipienda, ecquis dubitat? Modo enim superius paulò diximus, *manuum lotionem* antè sacrificia in genere omnino necessariam esse, adeo etiam vt is, qui impuris manibus sit, neque etiam deos precari, multo minus ad aras sacrificiumue accedere debeat, quin impuritatis temeritatisque istius suæ pœnas illico daturus, tum vero Dei maximè ergà se vindictam conciraturus sit. Addidimus deinceps quoque, eos, qui Diis Superis, de more gentium, essent sacrificaturi, toros atque per vniuersum corpus lotos esse debuisse, si fieri eius liceret, sin minus, ad minimum manus lauari oportuisse. Hinc manuum lotio *prouerbiali adhûc* sermone vsurpatur: *Illotis manibus rem aliquam aggredi*: quando significamus aliquem inepte, imo impræparatè, insulsè, temerè, atque impurè ad rem aliquam tractandam accedere. Hùc spectant, quæ suprà, *libr.* I. *cap.* XII. *de manuum lotione veteribus cum aqua niuata fieri solita*, aspersimus è *Münstero Annotat. in Deuteron. cap.* VIII. *ex Hebræo centum Benediction. libro.* Ità autem præscribit manuum, inprimis digitorum, ablutionem, eiusque ritum modumque veteribus vsu receptum: *Tradunt* (inquir) *manus primum abluendas & tergendas, alioquin panis, qui comeditur, immundus iudicatur.* Et posteà: *Fundenda est aqua tribus vicibus super manus; in prima fusione sunt digiti sursum leuandi, in posterioribus demittendi sunt, manus simul lauandæ, non vna post alteram. Denique opus est, vt in ablutione manuum, sinistra tanquam famula, subseruiat dextræ.* Quæ vtrum etiam in *lustrationibus*, locum habere possint, valdè non dubitamus, cum *digiti extensi* apud *Petronium* intelligi debeant de *digitis sursum leuandis*, qui ità in prima aquæ fusione solebanr lauari, prout è *Münstero* patescit.

De Porris vero atque *Apio*, an, & cur illa in lustrationibus fuerint vsurpata, præcisè diuinare non possumus. Nisi fors, quod vtriusque tum *porri*, tum *Apii* contrà venena, & per consequens, contrà veneficia etiam, maleficos, & dæmonas, vis magna afferatur. *Allia* enim *porri*, & *scordii* omne genus, contrà venena & pestilentiam magnam efficaciam, & vim alexiteriam sortita sunt. Itidem *Apium* tota substantia venenis aduersatur, vt autor est *Macer Poëta, cap.* VIII. *de herb. virtut.*

Tota venenatis occurrit morsibus hausta.

Idem *Macer Apium* dictum vult ab apice, id est, quod apex, siue pileus illius qui triu[m]-

triumpho potiebatur, solebat ferre hanc herbam, dum triumphus eius, qui egregiam assecutus erat victoriam, celebraretur secundùm morem veterum Romanorum. Erat autem triumphus omnium bonorum honorumque, qui à *Populo Romano* dari solebant, maximus. *Hercules* itaque primus dicitur coronam ex *Apio* contextam sibi imposuisse, prout è *Macri* verbis interpretatur *Guilh. Gueroaldus* in *Commentis* ad eundem. Sic autem *Macer* in principio *cap.* VIII. *de Apio:*

> *Est Apium dictum, quòd apex hanc ferre solebat*
> *Victoris, veterum fieret dum more, triumphus.*
> *Ipse sibi talem prior imposuisse coronam*
> *Dicitur Alcides: morem tenuêre sequentes.*

Veteres *Apio* quoque solebant funera coronare, atque monumenta. Hinc, vbi quis morbo lethali decumberet, dicebant: *Apio opus est:* τοῦ σελίνου δεῖται. *Plutarchus in Symposiacis* discertè istud enunciat: *Et qui periculosè* (inquit) *ægrotant, iis dicimus Apio opus esse.* Alii similiter morem coronandi *Apio* ab *Hercule* inuentũ fuisse, aiunt, cùm Nemeæ leonem interfecisset. Cuius rei igitur *Pindarum* citant in *Nemeis hymno* IV. Ἵνα ἐν ἀγῶνι βαρυκτύπῳ θάλησε Κορινθίοις σελίνοις: id est, *Vbi in certamine tumultuosi floruit Corinthiacis apiis.* Huius rei igitur, imitatione ceu quâdam, veteres in conuiuiis atque inter pocula tempora *Apio* coronabant. Cuius antiqui moris haud ignarus *P. Lotichius Secundus* noster, *libr.* I. *Carmin.* in die natali *P. Virgilii Maronis*, ad *puerum suum*, ità canit:

> *Ternas i, puer, ociùs coronas*
> *Nectas ex Apio, Maruq; rore,* &c.

Hûc pertinet elegans veterum *Adagium* de iis, qui adhuc in primis rerum elementis atque initiis versarentur: *Ne in Apio quidem:* vel, *Ne inter Apia quidem sunt.* *Græcis:* Οὐδ' ἐν σελίνοις εἰσίν. Hinc *Aristophanes in Vespis:*

> Οὐδέπω γ' ἐν σελίνῳ σ' εἰσὶν, οὐδ' ἐν πηγάνῳ:
> id est:
> *In Apio nondum est vel ipso, sed nec in*
> *Rutis adhûc.*

Apud antiquos autem extremus ille hortorum ambitus Apio conserebatur, quem, qui nondum præteriissent, velut in horti limine adhûc esse videbantur; vt autor est *Desider. Erasmus.*

De *porro* verò elegans apud eundem *Erasmum* occurrit *adagium Chil.* I. *Cent.* II. quod tale est: *Cupidinum crumena porri folio vincta est.* Hanc *Plutarchi* parœmiam ità explicat autor: *Dictum est* (inquit) *ob eam caussam, quòd amor assimilis sit ebrietati. Reddit enim & calidos & hilares, & effusos. Plutarchus itaq; sentire videtur, prouerbium alludere ad porri naturam, cuius vis est calefacere, ciere vrinam, irritare Venerem, mouere menses, & aluum inflare, quemadmodum docet Dioscorides libr.* II. *Suidas ostendit, hoc adagium dictum de iis, qui per amorem immoderatos faciunt sumptus, luxuiq; indulgent, quemadmodum in Comœdiis solent amantes.* Et posteà: *Proinde* (addit) *Cupidinis loculi porri folio vincti dicuntur; quod facilè soluantur, vel, quòd admodum fragile sit porri folium, vel, quòd huius genuina vis soluere corpus ac mouere.* Hæc *Desid. Erasmus.*

Cæterùm, præter præcedentia, quæ ad lustrationes olim adhiberi consueta erant, memorabile est, quod *Corn. Agrippa* ex *Iosepho de Antiquitat. Iudaic.* asscribit super *radice Baaras*, cuius ad expiationes summa prædicatur esse efficacia. Ità autem ille *libr.* III. *de occult. Philos. cap.* LVII. *Mirum autem* (inquit) *& vix credibile, nisi illud narraret grauis & non contemnen-*

contemnendus autor Iosephus in Hierosolymitana historia de radice Baaras, à loco iuxtà Macheruntem Iudææ oppidum, sic nuncupata. Hanc ait colore flammeo noctu splendorem emittere, captu tamen admodum difficilem, vt captantis manus fallat, oculosq; refugiat, neq; prius consistat, quàm menstruatæ mulieris lotio fuerit conspersa, neq; tamen hoc modo retenta sine periculo euellitur, quippe extrahentem præsentanea mors consequitur, nisi eiusdem radicis Amuleto fuerit communitus. Quo carentes, terram circum circà sacrificantes, radicem, laqueo vinctam, cani alligant, & repentè discedunt. Tandem nimio conatu secuturus canis, radicem extrahit, & veluti domini persoluens vices, illicò commoritur, nulloq; postmodum periculo radix illa à quouis tractari potest. Cuius vis (addit) *in expiationibus præstantissima, vt etiam eos, qui a spiritibus vexantur immundis, protinus liberare compertum sit.* Hæc *Agrippa.* Quæ latiùs persequitur, eiusdem herbæ historiam describens *Castor Durantes*, Medicus Romanus, in Herbario Italicè scripto.

III. Ad tertium quod attinet, dum post *lustratas manus* venefica vetula *auellanas nuces in vinum* immergit; illud ad *diuinationis* genus, vel artem diuinandi, ceu vocant, pertinere arbitramur. Videamus igitur textum prætallegatum: *Et quum digitos* (inquit *Arbiter*) *pariter extensos porri apioq; lustrâsset, auellanas nuces cum precatione mersit in vinum, & siue in summum redierant, siue subsederant, ex hoc coniecturam ducebat.* Quod idem de *ouis* recenset *M. Varro de re rustic. Ouum* (inquit) *mane natat, plenum desidit.* E PETRONIANIS autem, quid *Diuinatio* sit, planiùs innotescit. Ea autem omnis (*diuinatio* scil.) quanta quanta est (prout rectè *Arbiter*) coniecturâ nititur, vltrà cuius limites progredi nequit. Hinc non immerito *Panætius*, *Antipatri* discipulus, dubitâsse fertur, vtrum vlla vis diuinandi daretur? *Cicero* diuinationem dixit earum esse rerum, quæ fortuitò fiunt, prædictionem atque præsensionem. *Græci Manticen* nuncupant, id est, rerum futurarum scientiam. Huius primi autores dicuntur fuisse *Ægyptio Chaldæi*, ex syderum obseruationibus. Quidam duo eiusce artis diuinatricis saltem genera constituunt, quorum alterum, versari innuunt in extis pecudum, atque in sortibus: alterum vero ex natura consistere aiunt in *somniis* ac *vaticiniis.* Alii plura eius genera sic constituunt. *Diuinationem* enim, quæ per aquam fit, *Hydromantiam* appellant: quæ per securim fiebat, erat *Axinomantia:* quæ per peluim, in qua aqua mouebatur à dæmone, & vox tenuis index futuri reddebatur, *Lecanomantia*; quæ de punctis terræ fixis conflata erat, *Geomantia:* quæ de figuris ex flamma glomeratis colligebatur, *Pyromantia:* quæ per fumum peragebatur, *Capnomantia:* quæ de speculis ex imaginibus dissilientibus ducebatur, *Capyromantia:* quæ ex ære fiebat, *Æromantia:* quæ ex cribro, *Coscinomantia:* quæ ex sortibus, *Cleromantia:* quæ ex visus ac membrorum natura, *Physiognomia:* quæ ex manibus, *Chiromantia:* quæ ex herbis, *Botanomantia:* quæ ex amphora ventricosa, qualem puer solebat introspicere, *Gastromantia:* quæ ex auium volatu, *Augurium*, vel *Auspicium:* quæ ab extis denique *Extispicium* nominabatur. Ex quibus complura genera *Diuinationis* dare euidens fit.

Alii porro *Diuinationis* genera hunc in modum proponunt: scil. vt quoddam fit ab aspectu *Auium*, vnde *Auspicia:* quoddam à cibo, vnde *Solistimum*, aut *Tripudium:* quoddam à garritu auium, vnde *Anguria:* quoddam ab *Oscinæ* item cantu: quoddam à volatu *auium* dextro sinistrove: quoddam ab afflatu diuino; vnde *vaticinia:* quoddam à fulgurum, astrorumque obseruatione, &c. de quibus omnibus vide *Cornel. Agrippam*, vel *Petrum de Abano libro de speciebus Magiæ.* Quo in tractatu recensentur *Necromantia*,

Antropo-

Antropomantia, Leconomantia, Gastromantia, Captromantia, Onimantia, Hydromantia, Geromantia, Pyromantia, Æromantia, Capnomantia, Ceromantia, Ichthiomantia, Onomantia, Tephroamantia, Botanomantia, Sycomantia, Axiomantia, Libanomantia, Chiromantia, Coscinomantia, Aruspicina, Auspicium, Omina, Somnia, Signacula, Pentacula, &c.

Diuinabant autem *Magi*, vel *Veneficæ* inspicientes vel terram, vel ignem, vel aquam: visisque ostentis, aut prodigiis, portentis, monstris, somniis, aliisque eius farinæ signis aut ominibus, indiciisque, coniectutabant, quid euenturum esset, bonumne an malum, dextrum an læuum? Prout igitur auellanæ motu suo in vino vel subsidebant, vel sursum ferebantur, ità coniectura diuinationis sumebatur.

Sic in *Botanomantia* (cuius diuinationis basis *Saluiæ folia* habebantur, in quæ tum quærentis, tum rei quæsitæ nomina inscribebant) sortem sub diuo, clàm obmurmuratis verbis, adeo certam faciebant, vt tum furtum, tum furem dæmonum curâ ostenderent autore *Petro de Abano*. Sic in *Sycomantia fici folium* (quod basis erat) verbis necromanticis insignitum, quæsitarum rationem illico reddere credebant. Quod sicubi citò exaruisset, dirum erat ostentum, sin tardius, auspicatum. Similiter in *Lybanomantia* accidebat. In qua *Magiæ* specie si *Thus* igni obiectum auidè consumeretur, felicem eueatum, si refugeret verò, infelicem & abominandum præsumebant. Idem accidit ferè in *Coscinomantia*. In qua dæmone (vt inquiunt) vrgente per *cribrum* fit diuinatio: quis nimirum rei patratæ autor sit: vel quis commiserit hoc vel illud furtum; quis dederit hoc vulnus, & consimiliter? *Cribrum* autem inter duorum astantium medios digitos per forcipem suspenditur, ac factâ deiuratione per sex verba, nec sibi, nec aliis intellecta, qualia sunt: *Dies mies ieschet, benedœfet, dowina, enitemaus*: dæmon in hoc compellatur, vt reo nominato (omnes siquidem suspectos nominare oportet) non confestim circumagatur, sed per obliquum instrumentum è forcipe pendens reum prodat. Iconem & figuram ponit *Petrus de Abano*, siue is sit *Cornel. Agrippa, libro de speciebus Magiæ, cap.* XXI. additque infrà iconem de istius diuinationis, merito abominandæ, certitudine, sequentia: *Annis abactis plus-minus triginta, ter huius diuinationis genere sum ipse vsus: primò furti patrati causâ: secundò propter rete, vel casses, quibus aues capiuntur, a quodam inuido mihi disiectos: & tertiò amissi canis mei studio, vbi semper pro voto aleam cecidisse comperi. In posterum tamen quieui, timens, ne dæmon veritate, quá præter naturam in me vsus fuerat, os mihi sublineret, & ampliùs seducendo illaquearet. Hanc diuinationem cæteris arbitrantur veriorem; sicut etiam Erasmus scribit: Ex cribro diuinare.*

Sed nos, qui *Christiani* sumus, id est, DEVM Trinum & Vnum professi, toto corde magicas illas imposturas ac diuinationes abominemur, cùm sciamus è sacris literis, DEVM Opt. Max. olim in veteri fœdere eius-modi homines veneficos è medio tollere iussisse. Sic enim scriptum est *Leuit. cap.* XX. *Vir, siue femina, in quibus pythonicus, vel diuinationis erit spiritus, morte moriatur. Eos lapidibus obruant, & sanguis eorum sit super istos.* Ibidem extat: *Anima, quæ declinauerit ad Magos, & Ariolos, tollenda è medio populi sui.* Et *Exod. cap.* XXII. *Diuinatores ne patiaris viuere.*

Sed redeamus ad propositum.

Consimiliter itaque, sicut modo de *Botanomantia, Sycomantia, Axiomantia, Libanomantia,* & *Coscinomantia* prodidimus, factum fuisse cum *auellanis* apud *Petronium* in vinū immersis credibile est, cùm iuxtà earū vel ascensum, vel descensum, diuinationis coniectura-

iectura sumpta fuerit, sicut hæc verba *Satyrici* clarè innuunt: *Auellanas* (inquit) *nuces cum precatione mersit in vinum: & siue in summum redierant, siue subsederant, ex hoc coniecturam ducebat: nec me fallebat, inanes scilicet, ac sine medulla ventosas nuces in summo humore consistere, graues autem & plenas integro fructu ad ima deferri.* Quæ postrema ratio è *Physices* fontibus desumpta est, vbi naturâ suâ *leuia* sursum, *grauia* verò deorsum vergunt.

Siue igitur isthæc PETRONII verba sæpiusculè allegata, *Captromantiam*, quæ spiritus aëreos in peluim aquâ redundantem, speculo tamen subiecto, & tempore in hoc selecto, additis certis ritibus, solerter cogit: siue *Hydromantiam*: quæ fit, cùm aquâ cyathus impletur, & desuper annulus filo, tacitis & multis verbis priùs mussitatis, per digitum tenetur, ac res quæsita petitur: qui ancipiti voluntate, cyathi margines percutit, & constitutis ictibus, non sine astantium admiratione, quæsita prodit: siue *Axiomantiam*: quæ fit, cum trunco, ligno rotundo, infigitur securis, deinde, perpendiculum aptatur: sub cuius itaque nomine vel leui impulsu, circumagitur, ille culpæ reus esse existimatur. Siue *Botanomantiam*, siue denique *Libanomantiam*, aut *Coscinomantiam* sapiant, siue nouam magicæ diuinationis speciem constituant, quam *Oinomantiam* aliquis indigetare possit, quæ vino peragatur, nobis fermè perinde est, modò demonstrauerimus tantùm, illud lustrationis, vel sacrificii genus diabolicæ, vetitæ atque abominandæ *Magia* speciem esse certissimam; quæ ad *Solistimum*, vel *Tripudium*, quod quidam genus diuinationis è cibo esse produnt, referri fors quoque possit.

Mersit autem *auellanas cum precatione in vinum*, inquit *Satyricus*: id est, cum murmure magico diuinationem obiuit, quas preces honesto nimis & religioso vocabulo appellat; cuius-modi in *Coscinomantia*, vel *cribri diuinatione* vidimus. Quemadmodum enim in lustrationibus, ac sacrificiis, vbi aquâ manus, capillos, aut aliam corporis partem lauabant, iuxtà preces interserebant; prout suprà ex *Ouidio* citauimus:

Spargit & ipse suos lauro rorante capillos,
Incipit & solitâ fundere voce preces:

ità pariter in diuinationibus *Magi* quoque & *Venefica*, adhibebant suas precationes, id est, imprecationes, murmura, verba obscura, inuocationesque, consulendi, aut interrogandi dæmonas igitur. Inquiunt enim præstigiatores, in quouis opere magico faciendas imprecationes, quibus operans exprimat affectum suum. Hûc facit *Virgilii* illud, quod habetur *Eclog.* VIII.

Limus vt hic durescit, & hæc vt cera liquescit
Vno eodemq́; igni, sic nostro Daphnis amore,
Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros,
Daphnis me malus vrit: ego hanc in Daphnide laurum.

Ibidem ingeminatur isthæc imprecatio magica sequentibus:

Talis amor Daphnim, qualis, cùm fessa iuuencum
Per nemora, atq; altos quærendo bucula lucos
Propter aquæ riuum viridi procumbit in vlua
Perdita, nec sera meminit decedere nocti:
Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.

Eiusdem commatis sunt, & *Hydromantiam* sapiunt, aut *Pyromantiam*:

Fer cineres, Amarylli, foràs, riuoq; fluenti,
Transq; caput iace, ne respexeris. His ego Daphnim

Aggrediar:

Aggrediar: nihil ille deos, nil carmina curat.

Et posteà:

Aspice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte suâ, dum ferre moror, cinis ipse: bonum sit!
Nescio quid certè est: & Hylax in limine latrat.

Ad præcedentium velut imitationem, non incongruè alludere videntur, quæ extant apud nostrum P. *Lotichium Secundum, Eclogâ* V. quam *Daphnim* inscribit, vbi magica quoque, more pastorum, turbæ nimirum illius triuialis, vt plurimum superstitiosæ, immiscentur. Prius autem obtestatio, inuocatio, precesque fiunt ad *Eumenidas, Deos Deasq;* nocturnas, & aëreas, veneficiorum præsides:

Vltrices Diræ, quarum ad scelera impia numen
Excubat, & pauidis terrorem mentibus addit,
Diiq; animaq; omnes, quas hic circumfluus aër
Continet, has audite preces: mea gaudia Daphnis
Discedens, famamq; tulit, niueumq; pudorem,
Vindice vos illum pœnâ multate vicissim:
Et desiderium, & lacrymas, & mortis amorem,
Erroresq; vagos, longosq; immittite luctûs.

Ex quibus, quid petitum sit imprecantis, liquet. Mox ipsa subsequitur imprecatio in his:

Vt canis æstiui rapido cum syderis æstu
Vertitur in rabiem, totis sitis acta medullis
Extimulat pauidum, nulloq; extinguitur haustu:
Sic agat in furias Daphnim Deus vltor amantum:
Sic Daphnim Deus vltor agat, totumq; perurat,
Nec possit rapidos extinguere pectoris ignes,
Oceanum quamuis & cunctos ebibat amnes.

Pro coronide huius disputationis, quod superest, sequentia, quæ PETRONIVS eodem quasi in contextu habet *pag.* 64. vbi *Recluso* (inquit) *pectore extraxit fortissimum iecur, & indè mihi futura prædixit:* apertè ad illam *diuinationis* speciem, quæ ab aliquibus *Extispicium*, vsitatiùs verò *Aruspicina* indigetatur, referenda sunt. Eam autem exercentes, *Aruspices* vocantur, in hoc laborantes, vt exta pecudum inspiciant, velut *Cor* est. & *Iecur*, eo potissimùm tempore, quo castra metari, seu ciuitates cōdere, seu alias res grauiores instituere statuissent. Si enim sana ea reperissent, loci, seu rei bonitatem diuinabant, sin minus, infortunium. Cùm verò lapidosa, macilenta, marcidaque, aut penitus nulla, reperta essent, pro pessimo habebant præsagio, autore P. *de Albano, cap.* XXII.

Idem *Iulio Cæs. Imp.* contigisse aiunt, qui eo die, quo auream sellam occupauit, *Cor* in boue mactato non reperit; vnde *Aruspices* infortunium prædixerunt. Illicò enim interitum illius atque internecionem subsecutam fuisse annotauit *Apianus lib.* II. *de bell. ciuil.* cuius facti commeminit quoque *M. Tullius libr.* II. *de Diuinat.* Eiusce magicæ superstitionis autores fuisse perhibentur *Hetrusci*, teste eodem *Tullio*: imò paulò post totam *Italiam* eâ labe infectam, delusamque fuisse *Herodianus* perhibet *histor. libr.* VIII. Sub hac *Aruspicina* ostenta collocantur, eorundemque prædictiones. *Rauisius* ad sacrificia *Aruspicinam* hanc transferre videtur: *Alia enim* (inquit) *sacrificia mactabantur consultandi*

Ppp *gratiâ,*

gratiâ, quæ vocabantur Consultatoria. In his cæsis Hepatis & fibrarum situs ab Aruspicibus diligenter obseruabatur, ex quibus Deorum voluntatem prædicebant. Ad hanc *Diuinationis* speciem tacit illud *Ouidii libr. 1. Tristium*:

> *Hoc mihi non ouium fibræ, tonitruá, sinistri,*
> *Linguá, seruatæ, penná, dixit auis.*

Verùm enim verum, *Magiam*, omnesque artes præstigiatrices, præsertim etiam *Diuinationum* species vniuersas ac singulas, tanquam noctuas diabolicas, toto animo abominandas, toto corde detestandas fugiendasque esse *Christiano* accordato homini, superius paucis è sacro codice inculcauimus, cum istius-modi imposturis dæmoniacis vtentes tantùm non temporalis, sed etiam æterni supplicii rei pronuncientur. *D. Augustinus* maleficos eius-modi, nisi resipuerint serò, & temporius, ad æternam perditionem tendere asserit. Quid? quòd ipsi gentiles *Philosophi* diuinationibus fidem omnino derogandam esse grauiter recteque iudicârunt. Sic enim, inter alios, *Phauorinus* apud *Gellium*: *Aut enim* (inquit) *diuersa dicunt, aut prospera. Si prospera, & fallunt, miser fies, frustra expectando: si felicia promittunt, eaá, ventura sunt, expectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum gaudii fructum spes tibi iam deuorauerit. Si aduersa dicant, & mentiantur, miser fies, frustrà timendo: si aduersa, & non mentiantur, iam inde ex animo miser fies, antequam è fato fias.*

Caput XVI.

PETRONIVS è fragmentis consarcinatus. Suspicio insignis defectûs. *Scorteum fascinum* apud PETRONIVM, vnde & cur sic dicatur? Mentula non fuit, aut *penus coriacius*, sed *suppositorium* aut *glans*; cuius omnia habet requisita. *Suppositoriorum* vsus; genera; materia; effectus; Turunda species Suppositorii. *Suppositoria* Venerem, inter cætera, efficaciter excitant. Idem præstant *purgantia*, licet per os assumpta. *Olei* hoc loco vires: itemque *Piperis*, atque *Vrticæ seminis* qualitates: quid ad Venerem faciant? *Nasturtium & Abrotanum*, an pariter coitum adiuuent? Quid sit *viridis vrticæ fasce* inguina, aut partes infrà vmbilicum, cædere? Et an hoc ipsum Venerem irritare sustineat? In quibus PETRONIVS illustratur.

QVem ad modum fermè vniuersum illud ARBITRI nostri SATYRICON ex meris fragmentis ac reliquiis combinatum, vt ab interitu vindicaretur, ità potissimum *pag. 64.* conspicuum fit: vbi secunda curatio impotentiæ per aniculam celebrata proponitur. Suprà enim *pag. 57.* primò agitur de cura *Polieni*, ad prælium Venereum inepti, quæ quidem per remedia medica ac licita, licet tumultuariò, obitur. Deinceps eâdem *pag.* paulò post irrepit anicula tri-venefica, quæ per remedia non medica, sed magica, illicita, atque interdicta, eundem *Polienum* à suo isto languore, quo velut effascinatus erat, masculum reddit, vigorique pristino magna cum efficacia restituit. Tertio *pag. 64.* eadem curatio magica denuo repetitur; sed aliis remediis magicis, sed alio applicationis modo præscripta, atque introducta. Sic enim verba eo loci habent: *Profert Enothea scorteum fascinum, quod vt oleo & minuto pipere, atá, vrticæ trito circumdedit semine, paulatim cœpit inserere ano meo. Hoc crudelißima anus spargit subinde femina mea. Nasturtii succum cum Abrotano miscet, perfusisá, inguinibus meis viridis vrticæ fascem comprehendit, omniaá, infrà vmbilicum cœpit lenta manu cædere,* &c.

Hæc

Hæc curatio, quantumuis ad eundem scopum, scil. impotentiam, directa sit, aliis tamen remediis, alioque adhibitionis modo, procedit. Non immerito igitur dubitamus: An idem *Polienus*, qui eâ parte, quâ viri sumus, ligatus, fascinatusque antea fuerat, posteaquam tantùm non physicis ac licitis remediis, sed etiam liciis veneficiisque, sed vetitâ diabolicâ diuinandi methodo ab anicula curatus, atque ex impotente potens redditus foret, in eundem denuo languorem relapsus fuerit? Vnde rectè grauiterque à *Fernelio* dictum, *libr.* 1. *de abd. rer. causs.* Diabolum, humani generis iuratum hostem, aliquando ad speciem duntaxat homines à morbis curare, eos tamen affectus pauco post interuallo recrudescere, deterioresque, imò incurabiles reddi. Quo pacto de *Theophrasto* quoque *Paracelso*, magicis remediis potissimum curationes morborum obeunte, à *Thoma Erasto, Theod. Zwingero*, atque aliis, attestante *Cl. Dn. Sennerto, libr. de consens. & dissens. Medicor. cap.* IV. literis proditum est, eum vltrà semestre, aut annum circiter (qui mos alioquin Agyrtarum ac circumforaneorum) nullo penè in loco, vbi grauissimorum morborum curam suscepisset, substitisse; imò paulò post affectus istos, qui velut à *Paracelso* initio curati esse videbantur, recruduisse, imò incurabiles prorsus tandem effectos esse. Deinde: Si *Polienus* is idem non fuit, qui hîc magicè denuo ab *Enothea* ab impotentia curandus suscipitur, extitit sanè eius farinæ scortator excellens alius. Cuius cùm nomen in textu non occurrat, merito isthîc de defectu, & mutilo orationis PETRONIANÆ filo, contextuque, suspicamur. Sed ad rem.

Ex propositis autem suprà verbis, tria, aut quatuor potissimum nobis veniunt discutienda. Primò: *Quid scorteum fascinum, qualeque sit? Et an Venerem iuuare potuerit?* Secundò: *Quid Oleum, Piper, Semen vrticæ, Nasturtium insuper atque Abrotanum, conferant ad eandem energiam?* Tertiò: *Quid isthoc sibi velit, Vrticæ viridis fasciculo partes infrà vmbilicum cædere? Et an id coitum adiuuet?*

I. Quantum ergo ad primam quæstionē facit: per *scorteum fascinum* D. GOLDASTVS noster, atque alii autores illustres, *mentulam*, vel *penem coriaceum*, sine è corio fabricatū, intelligunt. Ego verò (pace tantorum virorum) *glandem* potius, vel *suppositorium*, quod genus remedii in re Medica vsitatissimum est, esse dixerim. Id quod in progressu ad oculum monstrabimus.

Ad etymologiam vocabuli, primò respiciendo, *scorteum*, id est, *coriaceum*, à *scorto* descendit, quod propriè pelliculam, aut corium significat, *Germanis* Leder. Metaphoricôs pro meretrice, aut prostibulo, accipitur, eo quòd meretrix, autore *Festo*, tanquam pellicula, subigatur. *L. Apuleius libr.* 1. *Metamorph. Scortum scorteum* appellant meretricem extremæ lasciuiæ, cui eo in genere extremius dari nequeat. *Pol quidem* (inquit) *tu dignus, inquam, es, extrema sustinere; si quid est tamen nouissimo extremius, qui voluptatem Veneream, & scortum scorteum Lari & liberis prætulisti.*

Non-nunquam etiam *scortum* de maribus dicitur, qui Sodomiticis obscœnis istis libidinibus vacant, atque inuerso naturæ ordine, se se, instar meretricum, prostituunt, ac subigi patiuntur. Ita vsurpat PETRONIVS suprà *pag.* 4. vbi Encolpius id vitium exprobrat *Ascylto*, inquiens: *Quid dicis, muliebris patientiæ scortum.* Pari ratione, vt *pelex* pro meretrice à pelle nuncupatur. *Balbus Ianuens. in Catholic. Scortum a scorto, pelle arietis, deriuatur, id est, meretrix: & dicitur sic quia defricantur pelles, quibus corruptela fit.* Veteres omnia è pellibus facta nuncupabant *scortea*. Propriè itaque *scortum* vsurpatur

 pro

pro corio animalium, præsertim eorum, quæ pellem habent crassiorem dutioremque. Quamuis *Festus Scortum* pro pelle arietina, vel testium arietinorum interpretetur, quę explicat *Politian. in Miscellan. cap. 62.* Hinc fortè apud *Desid. Erasmum Chil. I V. Centur. VII. XIIX.* eâ significatione *Adagium* accipiendum: Σκυτίνη ἐπικουρία: id est, *coriacium*, siue *pelliceum auxilium*: pro eo, quod est infirmum, aut imbelle. *Ouidius libr. Fastor.*

Scortea non illi fas est inferre sacello.

Antiquitus *nummi* fiebant è corio, qui dicebantur *scortei nummi*: Græcis σκύτινα νομίσματα. *Donatus* quoque ea in sententia est, *pecuniam* olim è corio bubulo constitisse, atque inde dictam *pecuniam*, quòd è pecore, aut *pecudibus* conflaretur.

Quanquam autem *fascinum* aliàs propriè pro incantamento accipiatur; prout quidem re verâ fuisse persuasissimum est: nihilo secius tamen, si pro *membro virili*, vt aiunt, aut *glande* veriùs, intelligendum veniat; quid impedit, pro fasciculo, fasce, fasciâ, aut fasciolâ, interpretari, etsi incantamentum; verumque fascinum præstò quoque fuerit? Omninò siquidem, siue *penis coriacius*, siue *glans, suppositorium ve* fuerit, necessariò ante in fasciculum redigi opus habuit, quàm in corpus, atque anum, ingredi debuit. Quodsi autem per *scorteum* isthoc *fascinum membrum virile coriacium* in e[l]igi debeat, nullus eiusce rei patet vsus, aut delectatio, nisi merum fascinum, id est, veneficium subsit. Et si maximè penis, aut mentula fuisset coriacia, rectius feminis id pessuli, vel pessarii genus applicatum, iniectumque fuisset, prout opportunè innuit *D. Goldastus* noster. *Pessi* siquidem in affectibus mulierum vterinis si legitimè vsurpantur; ad flatus vterum distendentes euocandos, ad menses suppressos, aut nimium fluentes, aut ad vlcerum detersionem, aut ad dolorem mitigandum, imò etiam ad sterilitatem tollendam, frequenter à *Medicis* præscribuntur.

Quid? quòd ad voluptatem quoque & lasciuam titillationem salaces quædam puellæ, ac meretriculæ dicuntur nodulos certos, ad formam virgæ virilis, consarcinare, quibus ad pruritus ac titillationes abutuntur. Cuius-modi lasciuas capellas *tribadas*, seu *fricatrices Medici* indigetant, eò quòd inter se se inuicem infames istos actùs frictionibus, aut pessulis arte confictis exerceant. De quibus, inter alios, *Rodericus à Castro*, Medicus doctissimus, *libr. III. de natur. mulier. cap. III.* hanc in sententiam: *Hinc, (inquit) teste Tralliano, faciliùs est virginitatem seruare, quàm castitatem. Nam facilius est non optare, quod nunquam habuimus, quàm quo aliquando fuimus potiti. Ideoq; virgines, quæ nunquam coitu vsæ fuerunt, non tantoperè optant, quia solùm ad deponendam molestiam reliquæ feminæ tùm hac de caussa, tùm, quia præteritæ voluptatis reminiscuntur, optant exercitium illud: imò quædam, quæ Tribades dicuntur, seu Fricatrices, solam fricationem inter se amant; & ità infamem actum mutuò inter se exercent; cuius flagitii aliquot iam accusari, & conuictas in exilium missas fuisse diximus.*

Rationabiliter itaque arguendo, quandoquidem id fascinum mari per anum inditum sit, non feminæ per vuluam, fallor? an consultò statuimus, *glandem*, aut *suppositorium* id fuisse. Duo enim in vsu sunt remedia; quæ per Anum iniiciuntur tàm maribus, quàm femellis, scilicet *suppositorium*, ac *Clyster*. De *Clystere* hîc suspicio nulla: itaque de *suppositorio* videndum. Id *Græcis* βάλανος dicitur, *Myrepso* ὑπόθετον: *Aëtio* glans subdititia: *Aureliano.* Balanismus, seu pessulus: *Columellæ*, inprimis *Auicennæ*, collyrium. Latini *glandem* vocant, à similitudine glandis quercinæ; vulgò *suppositorium* sonat, eo quòd ano supponatur.

Definitur

Definitur autem *suppositorium* remediũ solidum, oblongum atq; rotundum, formâ pyramidis, glandis, aut candelæ cereæ, quinque aut sex digitos transuersos longum. Illud ano inditur, vel ad musculi sphyncteris irritationem, vel ad facultatis expultricis stimulum, vel ad excrementorum præcipitationem. Longitudo itaque prædicta requiritur, cum toti recto intestino facultas expultrix insit. Si itaque irritare debet, oportet, vt intestini recti extremum tangat: quo fine, si longius iusto sit, inutile est. Præcipuus eorundem & primarius vsus est, sicuti diximus, vt aluum stimulent inobedientem, excretricem protritando. Secundario tamen nihilo-minus ad alios affectus adhibentur, aliosque effectus præstant. Iis enim vtimur cum successu ad vlcera, quæ sunt in *Intestino recto*, detergenda, consolidanda, atque exsiccanda; ad dolores, loco anodynorum, demulcendos; ad humores, qui sursum feruntur, deorsum trahendos, reuellendosque. Non-nulli in *Dysenteria* suppositoriis è stypticis paratis, itemque in *Tenesmo*, vtuntur. *Rulandus* in *colica passione* astrictâ aluo, præscribit. *Bauhinus* ad somnũ conciliandum *suppositoria* parat. Iis etiam, qui per valetudinem debiliores sunt, ac *Clysmata* detrectant, induntur. Imò vel *Clysmatibus* præmittuntur, vt viam faciant, fecesque in ano induratas prouocent; vel post *Clysmata* iniecta induntur, quando *Clysteres* subsistunt; prout in *affectibus melancholicis*, itemque *dolore Colico* accidere amat. Ità in *lethargicis, capitis* & *præcordiorum* affectibus, *morbis sphyncteris*, vel *intestini recti*, in *Paralysi* pariter, & contrà *Ascaridas*, tàm reuulsionis, quàm euacuationis igitur, præstant. Ex quibus omnibus haud vulgarem, nec contemnendam *suppositoriorum* vtilitatem esse, manifestum fit. Sunt autem genera *Suppositoriorum* tria, *Lenia*, scil. *mediocria*, & *fortia*, seu *vehementia*. *Lenia* pro infantibus parantur, fiuntque ex *lardo, seuo hircino, bubuloq;, ficu inuersa, candela cerea; sapone albo*, radicibus succum lentum habentibus, v. gr. *althea, malua, beta, mercurialis, brassica, bryoniæ, bliti*, & similibus. Eius-modi è caulibus quoque herbarum concinnantur detergentium; v. gr. *mercurialis, betæ, brassica*. Quidam è *foliis mercurialis* quoque parant, autore *Aëtio*. Frequenter item ex *melle, sacchara*, ac *sapone* indurato conficiuntur. Sumitur enim *sapo*, & instar digiti in acumen formatur. *Mel* coquitur ad consistentiam, & dein formatur glandis instar; cui adduntur pauca grana *salis*, ad stimulum. *Amygdala*, quoque saccharo obductæ, seu *trochisci saccharati*, ano subiiciuntur. Sunt, qui ex *allio* solo pueris *suppositoria* faxint, pro discutiendis flatibus.

Mediocria parantur ex *Melle* cocto ad crassitiem, cui adduntur *sal, spec. hieræ Galeni, agaricus, nitrum, stercus muris*. Aliquando his pulueres amari iunguntur, v. gr. *absynthii, centaurii, farina lupinorum, cumini, rutæ, thymi, cyclaminis, mercurialis, rad. ireos*, &c. quæ omnia, vel singula, *Melle*, tanquam communi materia, excipiuntur, atque ingrassantur.

Vehementia ingrediuntur, præter *Mel, helleborus* vterque, *scammonium, euphorbium, turbith, colocinthis, sal gemma, sal ammoniacum, nitrum, fel taurinum*. In officinis *species* ad *suppositoria* prostant, quæ conficiunt ex *helleboro albo, granis colocynthidis, esula* preparata, *hermodactylis*, & *spec. hieræ*. Et hæc acria, vel acuta vocantur.

Postremis igitur *suppositoriorum* formulis, tanquam valdè stimulantibus, atque à capite reuellentibus, vtimur in *lethargo, capitis affectibus* veternosis, *apoplexia, aurium, dentiumq;* doloribus.

Intereà expræmissis clarè nunc elucescit; *quid glandes sint, vel suppositoria? Ad quos affectus faciant? Qua forma componantur? E quibus ingredientibus fiant? Et cui deniq; loco inii-*

cientur. Quæ omnia & singula *Suppositoriorum* requisita cum ad vnguem vsque sortitum fuerit istud remedii genus, quod *Petronius scorteum fascinum* appellat, ecquis iam verum id ac genuinum fuisse *suppositorium* inficiabitur?

Etsi autem glandes è corio aut scorto fuisse combinatas nullibi legamus, quale fascinum illud fuerat; nihilo-minus tamen procul dubio in longitudine ac crassitie reliquis glandibus æquale fuit, alioquin in anum indi nequiuisset. Neque enim iusto crassius, quod indi non potuisset, neque tenuis fuit, sed mediocre extitit. Dicit enim *Satyricus: paulatim veneficam illud ano patientis inseruisse.* Deindè eadem ingredientia habet *Scorteum* illud *fascinum*, quibus constant *Suppositoria* acria. Recipit enim, *Piper, semen vrticæ*, quæ acria sunt, calida, & facultatem expultricem, itemque attractricem, & per consequens Venerem ipsam stimulantia, sicut in progressu patebit. *Tertiò, oleo* quoque fuit illitum, sicut alias inungi solent suppositoria. Quo enim ea facilius, & cum minori molestia in *Anum* subeant, communiter illinuntur *oleo*, & madescunt. Quidam, loco olei, vsus tempore, *butyro, adipe*, vel *axungiâ*, vtuntur. *Quarto*, eidem loco quoque inditum fuit, nimir. *Ano*, cui subiici solent *glandes*. *Quintò* affectus etiam consentiunt. *Suppositoria* siquidem acria (quale hoc erat) præscribuntur ad *reuulsionem humorum à capite, ad veternosos affectus, facultates sopitas, Paralysin*, inprimis ad irritandam ex[...]icem. Atqui hîc quoque in impotentia *Paralysis penis* ceu quædam concurrit: vt suprà audiuimus, *cap. x. de Paralysi, libr. x i.* adest quoque in languore frigiditas, facultas sopita, & stimulo indiget facultas excretrix, quæ circà *vesicam* maximè est, atque ad *testes* & *penem* pertransit. Commodè autem per *Anum* ad *vesicam* peruenitur. *Chirurgi* siquidem calculum vesicæ exploraturi, digito medio alias infami dicto, in podicem immisso calculos ritè rectèque diiudicant, explorantque, teste *Dn. Guilh. Fabritio Hildano.* Quòd si verò contingat, podicem (prout in *hæmorrhoidibus* accidere amat) vlceribus, inflammatione, fissuris, condylomatibus, glandulisq; affectum esse, ibi tùm *Medici* glandibus interdictum volunt. *Glandium* enim durities iis in casibus locum nullum habet. Itaque, vice *Suppositoriorum*, *Turundæ* è linteis mollibus parantur, quæ vnguentis obductæ, in doloris præsertim acerbitate, ano supponuntur. *Turundarum* tamen materia eadem, quæ *glandium* est. Cum *Melle* enim medicamenta teruntur, floccisq;, lanis, turundisq; excepta *ano* induntur. Imò istæ turundæ ex vnguentis refrigerantibus atq; anodynis, maximè in podicis inflammationibus, conflantur. Cuius generis sunt v. gr. *Vnguentum rosar. Mesues, vng. populeonis, Ceratum refrigerans, santalinum, vnguentum ex mucil. semin. cydon. & Psilii extract.* cum *aquis rosar. plantag*, addito *oui* vitello. Ad idē facit *Pomada, vnguent. de Cerussa*, & similia. Quę quidem ob id hanc in scenam producimus, an fortassis aliquis *scorteum* illud *fascinum* ad hanc *Suppositoriorum* speciem, *Turundas* scil. potius, quàm ad ipsas *glandes* referri posse puter. Sed, cum *Turundæ* istæ, prout dictum, præcipuè ad *vlcera, inflammationes*, scissuras, doloresque podicis, excogitatæ fuerint, *scorteum* verò id *fascinum* vice-versa neutiquam ex anodynis, emollientibus, refrigerantibusq; constiterit, sed potius vrentibus, facultatemq; sopitam irritantibus, cuius-modi maximè *Piper* est atq; *vrticæ semen*, consultò arbitramur, *fascinum* illud *scorteum* de ipsis propriè dictis *glandibus* ac *suppositoriis*, quæ naturâ sua irritare ac stimulare debent, accipiendum esse.

Obiiciat autem aliquis: Esto! *Scorteum* id *fascinum Suppositorium*, aut, instar *Suppositorii*, fuerit; nondum iccircò tamen euidens est, vtrum *Suppositoria* ad Venerem excitandam quicquam conferant. Ei sic regerimus: *Glandes*, aut *Suppositoria*, non quidem prima-

primariò ac per se Venerem prouocare. Neque enim primariò ac per se ad lasciuiam, sed ad aluum subducendam, excogitata sunt. Quicquid igitur faciunt, secundario & per accidens quoq; facere possunt, vt mentula erigatur, dum nimir. energia remediorum acrium stimulantiumq;, qualia alioquin ad lasciuiam vsurpantur, facultatem sopitam irritant, excretricem stimulant, humores à capite deorsum trahunt, vndè seminis à Cerebro (à quo inprimis, sicut ab omnib. aliis partibus, deciditur) materia copiosius descendit, potissimum verò in *Testiculos* colligitur, præsertim si vasa seminaria, atq; ea, quæ circà *vesicam* ac *testiculos* finitima sunt, *Suppositoriis* eas in partes iniectis exstimulentur, calefiant, turgescantque. Quod ipsum vt eò facilius nobis persuasum sit, *Suppositoria* scil. vi atq; energiâ suâ stimulante Venerem concitare, exemplo sint ipsa alioquin *Cathartica* & purgantia medicamenta, quæ, licet per os assumuntur, atque partes istas, vbi vasa seminaria delitescunt, eo modo, sicut *glandes* solent, minimè irritant, (vis enim medicamentorum, prout notum est *Medicis*, difficulter ad vesicam vsq; descendit) fidē abundè faciunt, suppositoria anum, vesicam, *vasa seminaria*, adiacentesque partes irritare stimulareque posse, cum ipsa, purgantia, inquam, quamlibet per os absumpta, eò quòd intestina, atque anum irritant, sæpenumero in ægris ac valetudinariis insignem veretri tentiginem prurituma; caussentur. Id quod vt non tàm affirmasse, quàm ex ipsa praxei, & viuis velut exemplis, comprobasse appareat, inter alios complures autores, consummatissimi illius Medici practici, *Felic. Plateri* suffragium isthic interiungemus. Ita autem ille *lib. prax. 1. cap. XVII. de vener. actus defectu: Catharti*ca (inquit) *exhibita, si calida, & aromatibus correcta, vti parantur, & leniora sint, quam vt aluum vehementer moueant, vel, si mouent, quoq; Venerem stimulare, obseruauimus: ità vt illis, antequam purgare incipiant, virga erigatur: sicuti mihi aliquando fassi sunt, in Pharmaco errorem commissum fuisse, existimantes.*

Idem autor *lib. obseruat. 1. de salacitate*, exempla aliquot commemorat, vbi ea *pilulis ex aromatibus*, præparatis propinatisque ægri tentigine diuexati fuerunt non modica: quamuis in quibusdam subsecuta Venus periculo non vacarit. Quæ cum huic loco lucem concilient, hæc in proscenium adducenda veniunt non immeritò. *Cum amicum* (inquit) *quendam meum, virum multos annos viduum, & continentissimum, pientissimumque, leuiter purgare vellem, ac pilulas leuiores ex Aromatibus paratas, sicque dictas, exhibuissem, sequenti manè ad me venit, expostulans mecum, me se decipere voluisse, cum nullam ab illis senserit per aluum euacuationem, sed prurituin & stimulum solum Venereum, à quo totâ nocte fuerit diuexatus: vixque illum à sententia potui dimouere, etsi à medicamentis purgantibus quandoque irritari ea loca, quæ ad seminis excretionem pertinent: ostenderem etiam, ideoque non studio, sed casu hoc factum esse.* Et paulò post similem historiam adiungit: *Memini idem* (ait) *alteri accidisse, cum mediâ nocte pilulas sumpsisset, mox vehementem tentiginem, antequàm aluus deiiceret, sensisse, qui sibi persuadebat, errore pharmacopæi, quod illi Venerem stimulans pharmacum, pro purgante, exhibuisset, factum hoc esse, quam opinionem illi subsequens purgatio tandem exemit.* Et deindè, nescio an paulò luculentius exemplum subnectit. *Alius quidam* (refert) *sumpto catharctico, cum illud adhuc operaretur, simulque eum ad Venerem stimularet, vxorem astantem, illique ministrantem, compressit, vndè valdè debilitatus, adeò vt Medicum accersere, illique delictum confiteri cogeretur, asserens, nunquam se adeò ad Venerem impulsum fuisse, atque eâ ipsâ horâ, qua adhuc per aluum deiiciebat, nec se continere vllo modo potuisse.*

Ex qui-

Ex quibus practicis obseruationibus euidens & manifestum fit, purgantibus licet per os assumptis, magnam quoque efficaciam ad Venerem excitandam, inesse. Vt eò facilius verum esse euincatur, etiam *Suppositoria* in *Anum*, & loca circà vasa seminaria adiacentia iniecta, præsertim è rebus acribus constantibus, vi atq; efficacia tantò maiori tentiginem suscitandi præpollere, præsertim cum ea ipsa per os cum cibis alimentisque ingesta; prout sunt *piperata, salsa*, atque *aromatisata*; è longinquo, & per tot ambages, atq; anfractus ad testiculos & vasa seminaria difficulter licet descendant, nihilominus tamen Veneris appetentiam, ac Veneri erectionem ità efficaciter caussare satagant. Hæc de *Scorteo fascino* quoad quid est.

II. Iam, pro secundæ quæstionis solutione, disquirendum, vndè, & ex quibus ingredientibus *scorteum* illud *fascinum* constiterit, imò quidnam virium ea ingredientia natura sua fuerint sortita? Sic autem *Arbiter* ingredientia describit *pag.* allegata 64. *Profert* (inquit) *Enothea scorteum fascinum, quod vt oleo, & minuto pipere, atq; vrticæ trito circumdedit semine, paulatim cæpit inserere ano meo. Hoc crudelißima anus spargit subinde humore femina mea.* His subiungit oppido: *Nasturtii succum cum abrotano miscet, perfusisq; inguinibus meis*, &c. Concurrunt itaq; *oleum, piper*, atque *vrticæ semen* ad fascinum istud. Paulò post *Nasturtii succus* cum *Abrotano* miscetur, ad inunctionem externam feminum. De quibus iam ordine disquirendum.

Quod igitur primum ad *oleum* attinet, idq; obiter, atque in genere acceptum, constat, illud ipsum calfaciendi, emolliendique vi præditum esse. Id quod hîc maximè cum *pipere*, atque *vrticæ semine* mistum fuisse astruimus, quo acrium atque irritantium illorum remediorum vis atq; exulceratio inhiberetur. Tum quoque vsitatissimum est (prout superius attigimus) *suppositoria oleo* communi inungere; cuius loco alij axungia, butyro, aut seuo, vtuntur, vt eo facilius in *Anum* inseri queant, tum nequa exulcerationem excitent. Clarius multo de qualitatibus *olei* nobis succinit *Dioscorides lib.* 1. *cap.* XXX. *Quod* (inquit) *vetustius ac pinguius est, ad medicamentorum vsum est accommodatum. In vniuersum autem oleum omne calfaciendi vim habet, carnem emollit, corpus contrà algores munit, ipsumq; ad actiones obeundas expeditius reddit. Bonam etiam aluum facit, estq; molliendi vi præditum. Exulcerantium medicamentorum vires permistum hebetat*, &c.

Veneris iccirco, aut stimuli igitur, istud adhibitum hic fuisse verisimile non est, sed tantum, vt acrimoniam *piperis*, atq; *vrticæ* seminis, adurentium exulcerantiumq; remediorum, restringeret, cum alioquin *fascinum*, siue *suppositorium*, istud non absque insigni molestia, exulceratione, atq; inflammatione podicis, in intestinum rectum iniici potuerit. De quo isthæc paucis.

Quantum dein ad *Piper* facit, *Medici* illud in quarto gradu calidum esse affirmant. De quo *Macer libro de virtut. herbar. cap.* LXVI.

Virtutis siccæ Piper asseritur calidæq;:

Cui succenturiatur *Dioscorides libr.* II. *de mater. med. cap.* CLXXXIX: *vim* (tradit) *habet communiter omne Piper ex calcfaciendi, vrinam ciendi, concoquendi, attrahendi, discutiendi, detergendiq; ea, quæ pupillis tenebras offundunt.* Idem autor *Piperis* species potissimum tres constituit, *Longum* scil. quod immensa mordacitate præditum, & subamarum esse dicit: *Nigrum*, quod albo suauius esse, acrius tamen, oriq; gratius, ac magis aromaticum perhibet: & *Candidum* denique, quod in acerbum vergens, antedictis infirmius atque inefficacius pronunciat. Easdem species *Macer* recenset, quantumuis is *Nigro* plurimum deferre videatur, *cap.* LXVI. *de Pipere.*

Tres

Tres sunt huic species: Album, Longumq́, Nigrumq́:
Sed quia sunt geminæ Medicis tantum modo notæ,
De specie Nigra dicam quædam mihi nota.

Nigrum itaque dum præfert reliquis, aliquot eius virtutes, velut in compendio, describit, istâ tamen obtestatione, additâ, neminem satis vires *Piperis* pro dignitate recensere posse; quippe *Piper* omnibus ferè *Antidotis*, *Electuariis* pretiosis, *Theriacis*, *Confectionibusq́* calidis, vtiliter permisceri ait, veluti sunt, v. gr. *Electuarium de Aromatibus*, *de gemmis*, *de moscho*, *de galanga*, *de cinamomo*, *Diatrion Pipereon*, *Mithridatium*, *Theriaca magna*, & id genus alia: ob quas dotes suas *Piper* adeò tàm *Medicis*, quàm coquis, & patribus-familiâs commendatum est, vt vberiori descriptione opus minimè habeat. Sic igitur *Macer*:

Nemo potest omnes Piperis describere vires,
Namq́ Piper fermè medicamina cuncta requirunt,
Antidotisq́ solet pretiosis pluribus addi.
Hinc puto tam paucas laudes de simplice dictas,
Quodq́ sit innumeris hoc dignum laude medelis.

Quod Venerem autem exstimulet, de eo neque *Dioscorides*, neque *Plinius*, neq; *Macer* aliquid afferunt, quamquam id, præsertim de *Pipere longo*, ob insignem excalfaciendi, irritandique vim, ad prædictam energiam valere, etiam in triuiis vulgatissimum sit.

De *Vrticæ* vero *seminio* res paulò planior est. Illud enim *Dioscorides libr.* IV. *cap.* XCIV. non solum *menses* ciere, procidentes vuluas restituere; sed ex passo potum Venerem stimulare, vuluamque aperire apertè edisserit. Quò respicit *Macer* quoque *libr. de herbar. virtut. cap.* IV. vbi canit, *vrticæ semen* cum vino bibitum Venerem ciere, atque eò efficacius id facere, si cum *melle*, & *Pipere* trito misceatur. Idem cum *myrtha* potum *menses* pellit. Sic autem *Poëta*:

Si claudit vuluam matrix humore grauata,
Vrticæ foliis reuocabitur illa fricata.
Cum vino bibitum Venerem semen mouet eius,
Et melius tritè si iungas melq́ piperq́:
Et si cum vino prædicto morc bibatur.

Plinius libr. XXII. *cap.* XIII. integro contextu vrticæ laudes persequitur, dicitque, *Phaniam Physicum* de eiusce laudibus scripsisse. Vtilitates itaque eius, & remedia, quibus pollet, plurima recenset *Plinius*, imò etiam, quod menses ducat, asserit, de stimulo autem Venerem nihil.

Ouidius verò *lib.* II. *de Arte*, non tàm *Dioscoridi* succinit; sed velut cum *Petronio* eandem sententiam iniuerit, ad Venerem prouocandam *Piper* cum *vrticæ semine* mistum commendat:

Sunt, qui præcipiant herbas Satureæ nocentes
Sumere: iudiciis ista venena meis.
Aut Piper vrticæ mordacis semine miscent,
Tritaq́ in annoso flaua Pyrethra mero.

Idem de *vrtica* inculcat *Iuuenalis Satyr.* I.

Irritamentum Veneris languentis, & acres
Diuitis vrticæ

Et *Satyr.* II. *vrticam* pro prurigine accipit;

Hac tetigit Gradiue tuos vrtica nepotes.

Piper itaque vnà cum *vrticæ seminio* vi excalfaciendi, penetrandi, stimulandique præditum est, & per consequens lasciuiam Veneris prouocat. Id quod tantum non elucescit ex ipsius *Piperis* qualitatibus, quibus vndique notissimum est, vt etiam, *Macro* teste, laudes ipsius describi satis non possint: imò verò libri Medicorum practicantium, tùm receptæ, quæ contra actûs Venerei (sine quo humana isthæc vita ac sobolis procreatio consistere nequit) defectum passim præscribuntur, testimonio sunt, *Piperis* vires tentigini ac voluptati isti multum auxiliari, præsertim cum compositionem medicinalem, ad Venerem vtilem, reperire vix liceat, quam *Piper* non ingrediatur. Qualia multa ex practicis huc afferre possemus, si foret operæ pretium. Nihilominus è recentioribus *Medicis* vnicum aspergemus exemplum ex *obseruationibus Fel. Plateri*, qui *libr. obseruat.* I. *pag.* CCLVI. meminit, quendam in cœna cibis *Pipere* duntaxat conditis vsum, prurìtu ac stimulo ad Venerem inusitato diuexatum fuisse. Quanto magis igitur *Piper* cum aliis eius-modi tentiginem irritantibus intro sumptum efficax esse poterit? Sic autem *Platerus* textu *de salacitate*: *Pruritu* (inquit) *& stimulo Venereo quidam se nocte diuexatum fuisse, narrabat, caussamque illius, quod insolitum sibi esset, quærebat, prætereà se ardorem ventriculi simul sensisse, & sitim fuisse passum. Cumque an piperatis cibis vsus esset, & salsis, die noctem illam prægressa quærerem, ità se rem habere fatebatur, hoc modo se caussse mihi explicans: Offam se comedisse ex pane, butyro, & capis, vti nostri* Zwibelsupp *vocant, adiecto pauco porro sectili, & Petroselino, instrato offæ ouo prius in aqua cocto cum sale. Pisces item dictos Albulas sale conditas, quæ ad hos salsæ ex Lacu Sempacensi aduehuntur, coctas in vino, cum Petroselino, & semine carui, vt apud nos in vsu est. Cinnaræ* (Artischock *dictæ*) *caput vnum coctum in iure, cum butyro, sale, & pipere conditum: cancros coctos cum pipere: Raphanos cum aceto, oleo, sale, & pipere: quæ & in prandio comederat. Acres itaq; & calidos cibos, hunc stimulum, ardorem, & salsos simul, sitim illi peperisse indicaui: quod in aliis itidem factum sæpius obseruaui.*

Hæc de *oleo, Pipere*, & *vrticæ semine*.

Iam de *Nasturtio*, atque *Abrotano* dispiciendum.

De *Nasturtii* autem *semine* res pariter clara est, sententiâ *Dioscoridis*, qui *libr.* II. *cap.* CLXXXV. illud ad Veneris lasciuiam conducere disertissimè enunciat: *Cuiusuis* (ait) *Nasturtii semen excalfacit, acre est, ac stomacho inimicum: aluum turbat, lumbricos pellit, lienem imminuit, fœtus in vtero necat, menses ciet, ac Venerem stimulat. Est ei denique natura sinapis, & erucæ semini similis. Plinius* vero à *Dioscoride* in eo dissentire videtur, quod à veteribus creditum sit, *Nasturtium* vim *Erucæ* contrariam nactum esse, scilicet quod vim, vigoremque animi suscitet, veneremque coërceat. *Eruca* enim ex aduerso Venerem acuit, vimque mentis hebetat; vndè κάρδαμον dictum *Nasturtium*, qu. *cor domans*, vel adagio teste: Ἔσθιε κάρδαμον: *Ede Nasturtium*: quod torqueri solet in socordes, ignauos, hebetes, ac stupidos, sicut explicat *Phil. Gueroaldus in Macrum*, & *Des. Erasmus Chil.* I. *Cent.* VIII. Verba autem *Plinii libr.* XIX. *cap.* X. hæc sunt. *Nasturtium nomen accepit à Narium tormento. Et indè vigoris significatio prouerbio id vocabulum vsurpauit veluti torporem excitantis.* Quo respexit *Varro in Pappo*: *Nasturtium nonne vides ab eo dici, quod Nasum torqueat. Vestispicam, quod vestem spiciat.* Maximè autem *prouerbium* indè natum fuit, quia *Nasturtium* sternutationes ciet. Hinc, dum aliquem à torpore, atque somnolentia excitare animus est, dici[illegible]

ere

E de Nasturtium: perindè, ac si dicamus; *Expergiscere.* Appositè igitur *Guilh. Guerealdus* ad *Macrum cap.* xxx. *de Nasturtio. Edamus igitur* (inquit) *nunc Nasturtium ab autore nostro liberaliter exhibitum: id est, ingenii torporem excutiamus, illius verba diligenter annotantes.*

Ipse autem *Macer Poeta-Medicus*, qui è *Plinio* sua hausit, licet *Nasturtii seminio* feruentes vires assignet, id tamen cum *Ruta* frequenter assumptum siccitate sua Venerem plus inhibere quàm augere, contendit:

Dicunt, feruentes quod habent Nasturtia vires:
Et siccas: Hac re Venerem cum Ruta cohercent
Siccando, semen fuerint si sumpta frequenter.

Abrotanum porrò quod concernit, ei quamuis *Dioscorides libr.* III. caput integrum tribuat, nihil tamen eo loci inuenire est, quod ad hunc *Petronii* locum illustrandum faxit. Præter enim id, quod menses subsistentes. & vrinam ciet; in potu sumptum, nihil de efficacia eiusdem ad rem veneream inibi habetur. Contrà luc *Plinius libr.* XXI. *cap.* XXII. quædam huic loco accommoda de *Abrotano* affert. Scribit enim, *Abrotanum* puluino subditum, Venerem stimulare, imo eandem herbam contrà quæuis veneficia, quibus coitus inhibeatur, efficacissimam esse; è quibus *Arbiter* noster oppidò illustratur. Sic autem *Plinius de viribus Abrotani: Abrotanum duorum traditur generum, campestre ac montanum: hoc feminam, illud marem intelligi volumus. Amaritudo absynthii in vtroque. Siculum laudatissimum, dein Galaticum. Vsus est & foliis, sed maior semini ad excalfaciendum: ideò neruis vtile, tussi, orthopnoicis, conuulsis, ruptis, lumbis, vrinæ angustiis. Datur bibendum manualibus fasciculis decoctis ad tertias partes. Ex his quaternis cyathis bibitur. Datur & semen tusum in aqua drachmæ pondere. Prodest & vulua. Concoquit panos cum farina hordeacea, & oculorum inflammationibus illinitur, cotoneo malo concocto. Serpentes fugat. Contrà ictus eorum bibitur cum vino, illiniturque. Efficacissimum contrà ea, quorum veneno tremores & frigus accidunt, vt Scorpionum & Phalangiorum: & contrà venena alia plura prodest, & quoquo modo algentibus, & extrahenda ea, quo inhærent corporibus. Pellit & interanea mala.* E quibus in genere eu dentissimè patet, *Abrotanum* aduersus omnis generis venena, algores, frigiditates, ipsamq; Paralysin vtiliter vsurpari. Verùm singularius insuper est, quod idem *Plinius* de occulta eius efficacia annectit, quâ *Abrotanum* Venerem exstimulat, atque inprimis contrà omnia ea venena, veneficiaq;, quibus coitus impeditur, peculiariter valet. Ita autem inibi subnectit: *Ramo eius, si subiiciatur puluino, Venerem stimulari aiunt: efficacissimamq; esse herbam contrà omnia veneficia, quibus coitus inhibeatur.* Super eadem herba *Macer Poëta* discursum suum ex *Plinio* mutuasse videri potest. Canit enim *Abrotanum* in tertio gradu calidum & siccum esse, semen herba magis feruere, neruis prodesse, pectori commodare, tussim & dyspnœam iuuare, lumbis, vuluisq; vtile esse, vrinam purgare, præcordia mundare, menstrua mouere, serpentes suffitu fugare, venenis resistere, lumbricos necare, ophthalmiam sedare, spinas euellere, &c. ordine commemorat *cap.* II. versiculis in sequentibus:

Tertius Abrotano legitur gradus esse caloris
Et desiccandi: semen feruentius herbâ est.
Vnde iuuat neruos: & caussas pectoris omnes.
Illius elixi si sit decoctio sumpta.
Sic quoq; dispnoicis prodest; tussimq; repellit:
Et prodest lumbis: sic uuluarumq; querelis:
Omnibus his crudum cum vino proderit haustum:

Vrinam purgat: sic & præcordia mundat:
Sic curat sciasim: sic sumptum menstrua purgat:
Serpentes nidore fugat, bibitumq́; venena
Illorum extinguit, sedat quoq́; frigora febris,
Antea quàm veniat, si mixto sumitur amne:
Aut oleo, quo decoquitur, si membra perungas,
Lumbricos ventris hanc sæpe bibendo necabis.
Huic panis micam & mala cydonia iunges
In simul amne coquens. Oculorum cocta dolori
Apponas, vel feruori: Curabit vtrumq́;
Stirpes infixas, & spinas abstrahet ipsum
Appositum per se, vel adeps si iungitur illi.

Hæc ordine *Macer*. Qui vt eò magis præcedentia ex *Plinii* lectione hausisse conuinci queat, ad finem eiusce capitis *Plinium* citat, quòd is inprimis *Abrotanum* ad omnia ista veneficia, quibus coitus inhibetur, summa cum efficacia valere affirmet. Itaque sic *Macer è Plinio* caput de *Abrotano* concludit:

Plinius vt scribit, Venerem mouet illius herba,
Si fuerit tantum puluino subdita nocte:
Et cunctis Veneri nocuis potata resistit.

Ergò, cur *Petronius Abrotanum* contra ligaturam, impotentiam, atq; incantamenta, quibus coitus impeditur, vsurparit, è præcedentibus conspicuum fit.

III. Pro complemento huius discursus, quantum ad tertiam propositionem facit, mirabile id remedium atq; miserabile haud frustrà videri queat, quod *Petronius* per aniculam veneficam introducit, quæ marem impotentem viridis vrticæ scuticâ, vel fasciculo, infrà vmbilicum cædere non dubitauit. Verba *Arbitri* sunt isthæc: *Nasturtii* (ait) *succum cum abrotano miscet, perfusisque inguinibus meis, viridis vrticæ fascem comprehendit, omniaq́; infrà vmbilicum cœpit lentâ manu cædere.* De quo quidem remedii genere valdè dubitari animaduerto ab interpretibus. Memini nihilo-minus me apud triuiales istiusmodi scriptores legere, qui de re familiari ac culinaria scripserunt, haud infrequens esse matribus-familiâs, gallinas illas, quæ alioquin ouis subiectis difficulter incubare solent, viridi vrtica, præruptis imo in ventre plumis, ventrem omnem perfricare, (quod *Arbitro* est *lenta manu cædere*) quò eò facilius ouis incubent, pullisque dent operam.

Ad idem fallor? an *Plinius* alludit *libr.* XXII. *cap.* XIII. ad finem: *Si* (inquit) *quadrupes fœtum non admittat, vrtica naturam fricandam monstrant.* *Macer Poëta* paulò luculentius id ipsum affirmat, dum quadrupedibus, vel pecoribus, quæcunque marem ferre, aut coire, recusant, *foliis vrticæ* vuluam fricandam esse monet, ad calorem naturalem eò magis excitandum. Sic autem ille:

Si quadrupes, quæcunq́; marem proferre recusat,
Vrtica foliis illius vulua fricetur: ——
Sic naturalem calor excitat ille calorem.

Quem locum sic exponit *Gueroaldus in commentariis* de verbo ad verbum: *Si* (inquit) *quadrupes, quæcunque, id est, aliquod brutum femineum, recusat, id est, renuit, proferre marem, id est, maris subire concubitum: vulua, id est, membrum genitale, illius fricetur, id est, concutiatur foliis vrticæ, calor ille, scilicet vrticæ, sic excitat calorem naturalem illius animalis, vt fiat* appeti-

appetitus coitûs. Quæ *Gueroaldi* interpretatio proximè videtur cum PETRONIO facere. Hodie matres-familiàs ventres gallinarum, vt diximus, vrticæ foliis confricant, vt ouis pullisque producendis dent operam.

Quapropter cùm præallegatorum autorum suffragia locum illum PETRONIANVM, alioquin satis obscurum, neque hûc vsque, prout quidem liquet, ab interpretibus, explicatum, apprimè illustrent, nullum relinquitur isthîc dubium, frictionem partium genitalium, atque earum, quæ infrà vmbilicum sunt, ab anicula tri-venefica in mare impotenti ac frigido eam ob caussam susceptam institutamque fuisse, quò eo remedio ad coitûs desiderium, excitato earum partium calore ac pruritu, (sicut de animalibus quadrupedibus dictum est) eò flagrantius stimularetur, indeque diutius pe. feneratiusque venereum istud exercitium, & sine intermissione, strenuè obiret.

Caput XVII.

Arthritis quid? Eius species præcipuæ, *Chiragra, Ischias, Podagra*: itemque succedaneæ. *Podagræ* definitio, caussæ. Per *lumbos* potissimùm *Medici* intelligunt *Renes*, non *Ischiaticum* affectum. *Nephritis Podagræ* affinis. Ea aliquando tàm acuta, vt *Podagricos* etiam dolores obscuret. *Lumbi*, ad mentem PETRONII, venùs accipiuntur pro vi generationis, & libidine, quæ in *lumbis* residere dicitur, item pro robore. Hinc *lumbi soluti* PETRONIO dicuntur, pro impotentiâ ad coitum. Qui igitur neruis, atque robore carent, *elumbia* vocamus. Hinc *elumbis*, *elumbus*, *delumbis*. E quibus locus PETRONIANVS lucem accipit.

PAGIN. 65. sequentia denuo maritum frigidum atque impotentem sapiunt, quæ toties alioquin inculcat PETRONIVS. Ità autem habet: *Eumolpus, qui tàm frugi erat, vt illi etiam ego puer viderer, non distulit puellam inuitare ad Pigiciaca sacra. Sed & Podagricum se esse, lumborumque solutorum omnibus dixerat, & si non seruâsset integram simulationem*, &c.

Quæritur ergo: *An Podagricus possit esse lumbis solutis, cùm magis id ad Ischiaticum spectare videatur?*

Ad quod respondemus: *Podagram* esse speciem *Arthritidis*, quæ laborem neruis patientibus in pedibus affert, teste *Gordonio*. *Arthritis* autem, autore *Fernelio*, est articulorum dolor ex interuallis inuadens. Eius differentiæ sumuntur ex numero articulorũ: quamuis tribus duntaxat nomina sint imposita, sicut sunt, *Chiragra, Ischias, Podagra*. PETRONIVS suprà *pag. 59. Podagrici pedibus suis maledicunt, Chiragrici manibus, lippi oculis.* Quicunque de cætero dolor in alium incidit articulum, sub nomine generis *Arthritis* appellatur. *Chiragra* itaque dolor est, qui manum infestat; eiusdemque aut carpum, aut partem exteriorem, aut digitorũ articulos, ac vincula occupat. Hæc comitem plerumque habet dolorem pulsantem, sæpè coniunctum tumorem, ruborem, caloremque, plenas insuper ac turgentes venas. *Podagra* autem infestat vel malleolos, vel pedium, inprimis verò pollicis articulum. Concurrit tumor, vt in *Chiragra*, imò partium ambientium venarumque rubor cum calore, & dolore pulsante. *Ischias* denique est species omnium vehementissima. Ea non eum articulum obsidet, quo femoris caput in coxendicem implantatur, sed coxendicem & summas nates adoritur, quo loci nerui à lumbis & ab osse sacro emergentes feruntur ad crura; Hæc in specie dolor crudelis tantummodo in coxendice est; imò in femur, suram, pedemque extremum sese diffun-

dit, secundùm nerui à coxa descendentis ductum: prout differit doctissimus *Fern.* [illegible] *libr. Pathol.* VI. *cap.* XIIX. cui totidem ferè verbis succent[illegible]riatur ampliss. *Crato in Analogismo de Arthritide.* *Gualth. Bruele in pract. empir. cap. de arthrit.*

Alii plures *Arthritidis* species recensent, scil. *Chiragram, Gorragram, Podagram, Tenontagram, Paralysin, Scelotyrben, Perosin, & Ischiada*; è quibus sunt *Gordonius, Leonell. Fauentinus,* & similes.

Tenontagram autem nuncupant maiorum neruorum dolorem: *Paralysin* mo[illegible]tus voluntarii deprauationem, neruis, vel musculis patientibus, in partibus, vel aliqu[illegible]piam tantùm, accidentem: *Scelotyrben*, speciem Paralyseôs, dicunt, quâ quis affectus modo in rectum, modo obliquum, modo in dextram, modo sinistram vacillat, vt rect[illegible] ambulare non possit. *Perosin* denique appellant naturalis actionis offensam, aut impedimentum, aut alicuius particulæ ablationem.

Quoad caussam *Podagræ* (cuius mentio fit in textu PETRONIANO) ea regulariter ad duo præcipuè refertur, scil. ad humorem, siue materiam fl[illegible]entem, & membrorum imbecillitatem. De quibus ita rectè ampliss. *Crato consil.* CCXXIIX. *In Podagrico* (in[illegible]q[illegible]it) *dolore duo præcipuè consideranda sunt: Fluxio, & materia fluens, atq; membrorum, seu pedum, imbecillitas.* Idem *Consil.* CCXLVI. *Caussæ* (inquit, morbi articularis) *duæ sunt: vna, morbifici humoris natura: altera, partium laborantium imbecillitas.*

Duo igitur, vt *Podagra* oriatur, vt concurrant, necesse est, *Humor* scilicet, seu materia fluens: & *Membrorum*, seu pedum, *imbecillitas*, ita vt patiens ad agens habeat, [illegible] & proportionem. *Quarum causarum si vna desit, impossibile est, vt vnquam Arthritis exagitet:* prout audacter edisserit *Reiner. Solenander sect.* I. *consil.* XX.

Ex prælibatis iam patet, *Podagram* esse dolorem articulorum in pedibus o[illegible]iundum: *Ischiada* contra dolorem diuturnum, solutu difficilem, ad vsq; suras, poplitesque vergentem, autore *Galeno*. Itaque *Lumbi* propriè in *Ischiade* non afficiuntur, multo minus soluuntur in *Podagra*, cùm *Ischias* coxendicis dolor sit, non hypochondriorum, lumborum, minus pedum.

Facilè itaque obtineri possit, duos & quidẽ diuersos inter se morbos apud PETRONIVM enumerari, *Podagram* nimirum & *Nephritim*. *Ischiadis* enim nulla mentio. Copula etiam *&*, vel *que*, non semper idem intendit, vt coniunctiua, sed aliquando etiam disiunctiua est: vt si dicam v. gr. *Podagra, & Nephritis:* vbi duos morbos diuersos intelligo. Quo quidem pacto legenda intelligendaque hæc verba autoris nostri: *Sed & podagricum se esse, lumborumq; solutorum omnibus dixerat.* Per *lumbos* itaque affectos non intelligimus passionem *Ischiaticam*, quæ coxendicis est propriè, sed *Nephritim* magis, aut *calculum in Renibus*.

Renes enim propriè alioquin in hypochondriis, vel *lumbis* siti sunt, vnde vulgò *passionem nephriticam* dicunt: das Lendenwehe/den Lendenstein: à *lumbis* scilicet, quos vtrinque *Renes* incolunt. Sic *Guilh. Gueroaldus* apud *Macrum cap.* II. *de Abrotano herba, Lumbos* pro *Renibus* interpretatur. *Macri* hæc sunt:

Vnde iuuat neruos, & caussas pectoris omnes:
Illius elixi si sit decoctio sumpta.
Sic quoq; dysnoicis prodest, tussimq; repellit,
Et prodest lumbis ———

Gueroaldi verò sunt ista: *Vnde, quia calida & sicca* (inquit) *in tertio gradu, iuuat neruos,*

id est,

id est, curat ægritudines neruorum, videl. paralysin, stuporem, contusionem lacertorum & neruorum. Est autem paralysis mollities, & relaxatio neruorum; & iuuat, inquam, omnes caussas, id est, morbos pectoris (id enim est apud Medicos morbus, quod apud Iurisperitos, seu Caussidicos, caussa) si decoctio illius Abrotani elixi, id est, bulliti in aqua, fuerit sumpta. Elixum est, inquit Mar. Cel. quicquid ex aqua mollitur, vel decoquitur. Nam lixam aquam veteres esse dixerunt: quoque, id est, etiam, prodest dysnoicis, id est, habentibus difficultatem anhelitûs, qui Asthmatici dicuntur. Et repellit, id est, curat tussim (quæ est malus motus expulsiuæ naturalis pulmonis & partium vicinarum, coadiuta a motiua animata lacertorum intertorum pectoris, vt rem grauantem pulmonem, & partes vicinas expellat.) Et prodest Lumbis, id est, Renibus. Nam, vt inquit Auicennas, frangit lapidem Renum & Vesicæ. Hæc verbo-tenus ità *Gueroaldus*.

Horatius lib. 1. *Sermon. Satyr.* 3. 1. rectè acuto morbo, qualis *Nephricus* est, *latera*, ac *Renes* affici cantat:

Quòd latus, aut Renes morbo tententur acuto.

Pro *lateribus* autem *lumbi* intelliguntur.

P. Bayrus pract. empir. lib. XIV. *cap.* III. per *latera Renes* etiam accipit: *Quandoquidem (inquit) incipit dolor in Rene, & in Latere, secundum descensum pori veteris, tendentis à Rene ad Vesicam.* Et posteà: *Vnge latus dolens ex oleo de scorpionibus, & fomenta cum parietaria.* Similiter *Crato* in *Consiliis medicinalib. Renum* morbos appellat laterales.

Pluribus verò, imò innumeris penè locis *Plinius Lumbos* pro *Renibus* accipit, eademque esse remedia indigetat, quæ præscribit *Renibus*, quàm quæ *Lumbis*. Inter alia autem *libr. Histor. natur.* XX. *cap.* X. *de Asparago* ità habet: *Ad lumborum & Renum dolores, semen trium obolorum pondere, pari cumini bibitur.* Idem *libr.* XX. *cap.* XXII. expreſsè dolores *Lumborum* ab *Ischiaticis*, vel *coxendicis* doloribus, distinguit, vbi de *Sinapi & Seseli* ait: *Veteres dolores Thoracis, Lumborum, Coxendicum, Humerorum, & in quacunq. corporis ex alto vitia extrahenda sunt, illitum caustica vi emendat, pustulas faciendo.* Ex eiusdem autoris *libr.* XXII. *cap.* XXI. *iuc. Dalechampius* per *Lumbos* interpretatur *Renes*, vbi *Plinius* ità: *Spinæque, ac lumborum sanguinem corruptum trahit, illitum semen* (heliotropii) *& potum in iure gallinæ, et decoctum, aut cum beta & lente*, &c. Ad quem locum *Dalechampius* sequentibus in *Scholiis*: *Quidem (ait) morbum significet, obscurum est, nisi fortè sanguinem impurum, feculentum, crassum intelligat, Renibus impactum, & dolores excitantem, quo in morbo prodest vrinam mejere turbidas, cruentæ similes, & t.nquam intestà permixtâ q. fuligine nigras.* In eandem sententiam pedibus it doctiſſimus *Heurnius, Comment. in Aph. Hippocr.* V. *lib.* VI. ad finem: *Præterea (inquit) videndum quasnam partes ille dolor in contagionem abripiat, vt si colico à dolore vomat quis, ac Lumbi doleant & Crura, sæpè à calculo id euenit Renum: vt in cæteris etiam id euenire, doctè hic demonstrat Galenus.*

E sacris quoque, nimirum *Leuit. cap* III. liquet, *Lumbos* pro eâ corporis regione intelligi, in qua *Renes* habitant. Iubet enim illic DEVS Opt. Max. in sacrificiis pro gratiarum actione instituendis (Danckopffer vocant) administrare ac sacrificare per filios *Aaronis*, Sacerdotes scil. legitimos, *Adipem* omnem *Intestinis* adiacentem, itemque *Renes* duos, cum adipe eorundem *Lumbis* adnascente, & *Omento*, quod ad *Hepar* est, à *Renibus* deciso. Sic autem verba habent vers. 3. interprete *Sebast. Castalione*. *Ipse ex hostia salutari Iouæ in re diuina obmoueto omentum, & totos lactes, & ambos renes, vnà cum eorum adipe lumbis adhærente, fibramq. iecoris cum renibus exemptam.* quæ verba repetuntur *cap. eodem, vers.* X. & XV. & *cap.* IV. *vers.* X.

Quò

Quo magis verò iſthic lectori confirmemus; *Nephritin*, ſiue *Renum affectûs*, qui quidem multoties grauiſſimè ſolent affligere, *Podagræ* haud raro coniungi, imo vero tàm acutos atque exorbitantes quandoque eſſe, vt etiam, crudele quantumlibet *Podagræ* πάθημα ſæpenumero obſcurare ac ſequeſtrare ſatagant, agedum è probatiſſimis autoribus facilè obtinebimus. Sic autem de *Renum calculo Podagræ* iungi ſolito grauiſſimus ille trium Impp. Medicus, *Ioan. Crato, conſil.* CCXXXIX. *Plerumq;* (inquit) *duo iſta mala, videlicet Renum dolor à Calculo & Podagra in corporibus coniunguntur.* *Donzellinus* apud *Mich. Maierum libr. de arthrit. cap.* IX. *Calculum* atque *Podagram* morbos ità ſibi mutuo affines cognatosque eſſe coarguit, vt non aſtruere dubitet, grauiſſimum vtrumque affectum ex eadem quoque materia, ſcil. phlegmatica, iiſdemque in corporibus, quæ *Hepate* ac *Renibus* calidioribus, *Stomacho* vero pituitoſo affecta ſunt, oriri, imo ambos etiam hæreditarios eſſe. Ea autem ſunt illius verba *Conſil.* CCXXXVII. *Calculi* (inquit) *& Podagra, morbi ferè ſunt affines atq; agnati, & ex eadem materia phlegmatica ſcil. & in iiſdem corporibus, quæ ſcil. Epate & Renibus ſunt calidioribus, ſtomacho autem phlegmatico prædita, fieri ſolent. Illud prætereà etiam habent, quòd morbi ſunt hæreditarii, & ex parentibus in filios per propaginem quandam transfundi ſolent.*

Quod autem *Nephritis, Lithiaſis,* aut *Veſicæ calculus* in eodem ſubiecto interdum *Arthritidem*, atque in ſpecie *Podagram*, obſcuret, ratio præſto peti poteſt ex *Aphor. Hippocrat.* XLVI *libr.* II. vbi ità ſcriptum habetur: *Duobus doloribus, nec eâdem parte obortis ſimul, vehementior minorem obſcurat.* Cauſſam reddit hanc *Heurnius*: *Quòd distracti* (inquit) *ſpiritus in partem vehementiùs dolentem ſubſidii ergò, ſenſionem impediunt rei in alterius partis ſenſum delatæ. Sic arthritici* (addit) *colico dolore ſuperueniente liberantur. contraq; colici incidente Arthritide.* Clariùs & verboſius id ipſum ex optimorum *Medicorum* placitis edisſerit *Mich. Maierus* eleganti tractatu de ciuitate corp. human. à tyrannide arthritica vindicata, cap. ... *An verò putandum* (ait) *dolorem dolore curari, vt calor à calore attrahitur, vel frigus frigore, velut hiſce oris magis nominatus, quàm promotus, Medicus cuidam Archiatro nobis noto podagrico, tanquam malo nodo malum cuneum, nempè violentam attrectationem, nihil curans ſuſpiria, & gemitus, vociferationesq; ipſius, pro remedio adhibuit. Sed conſiderandum eſt, ex eiuſ-modi præpoſtera curatione, malum hoc prorſus incurabile, & patientem ad internecionem reduci poſſe, cùm dolor attrahat, vt cucurbitula, humores, & inflammationem ac dolorem non ſolùm non tollat, ſed adaugeat. Si hoc ſit medicari, per maiorem dolorem minorem tollere, tum Nephritis non ſine cauſſa poteſt Podagricorum medicatrix dici; quia Renum dolor, communi prouerbio, fertur docere ambulationes patientem, non quaſi tollat eum, ſed obſcuret, & ità ad motum propellat.* Hæc *Maierus*.

Quorum occaſione ſicut in triuiis aiunt, nullam calamitatem ſolam atque vnicam eſſe, ità euidens eſt quoque, *Podagram*, etſi paſſionem acerbiſſimam, interdum grauioribus affectibus ſtipari, cùm ea ſaltem non morbus, ſed morborum ceu quædam ſylloge vocanda veniat. Eſt enim *Podagra* morbus organicus, ſcil. in via, quatenus muſculos & tendines humor, eiuſce cauſſa, obſtruit. Eſt in quantitate aucta: quatenus tumor concurrit. Et ſimilaris; quatenus intemperies calida partem affectam occupat. Eſt denique in vnitatis ſolutione; quatenus villi, ac partes muſculoſæ ab immani dolore diu. lluntur, diſtenduntur, lancinanturque. Adde, quod alios quoque in eodem ſubiecto exiſtentes latentesque affectus, dolore ac ſymptomatibus ſuis ſuſcitat: velut *Colicus dolor Nephriticos* aut *Vterinos* affectus familiariter ſuſcitat, aut coniunctos ſibi aſſociat.

Cæterùm,

Cæterùm, quantumuis quidem verba penes PETRONIVM de *lumbis solutis* pro *Nephritide*, quæ *Podagræ* haud rarò (prout audiuimus) coniungi solet, explicari, intelligiq; possint, veriorem tamen mentem ARBITRI iam iam proponemus, vbi *lumbos*, tanquã partes, in quibus robur maris, inprimis libido, & vis prolifica habitat, residetque, planius inspexerimus. In sacro enim codice frequens est, *lumbos* venire pro eâ parte, in qua vis & facultas prolifica continetur. Hinc apud antiquos *prouerbio* vsurpatum fuisse legimus: *Lumbos præcingere, ac succingere*: quod idem est, ac pudicitiam seruare, atque libidinem auersari, vt docet *Robertus Stephanus Ling. Hebraic.* Hinc *Origenes*, autor antiquissimus, *Homil. I.* in illud *Psalmi* XXXVII. *Lumbi mei impleti sunt illusionibus*: ità ad nostram sententiam apposite philosophatur: *In Renibus* (inquit) *vel in Lumbis humanorum seminum receptaculum esse dicitur, ex quo illud genus indicatur peccati, quod per libidinem geritur.* Quam *Origenis* sententiam luculenter affirmat, illustratque *Marsil. Cagnatus*, Medicus doctissimus, *variar. obseruat. lib. IV. cap.* VIII. *de Lumborum descriptione, & vsu: Quamobrem* (tradit) *existimo non immeritò dictum esse, libidinis in ea parte originem positam. Nam ex alimenti copia distentis venis & arteriis, seminis proiiciendi cupido inde nasci perspicuè sentitur; & dormientium pollutiones in lumbos cubantibus potissimùm accidunt. Lumborumq; leuamen proiectu seminis crebrò fieri compertum est, non secùs quàm extremo intestino, atq; vesicæ, copiâ excrementorum distentis, contingit, namq; hinc ventrem deiiciendi, illinc lotium reddendi libido naturaliter prouenit, & parte vtrâque, excremento reddito, tanquam onere leuata, insigniter animal recreatur.* Et posteà ad finem addit: *Illud quidem arridet, quod Aristoteles innuit, lumbos ad flectendum institutos esse; nam eorum flexionis vsus cum plurimus est, tum verò ad generandum maximè necessarius: quò scilicet mas ità curuari possit, vt in feminæ vterum queat semen proiicere.* E quibus apprimè euincitur, *lumbos solutos* apud PETRONIVM ideo vocati, quòd quasi eneruati, aut paralysi ceu quâdam contecti, incuruari nequeant, ad semen in vterum proiiciendum, opusque Venereum exercendum. Hinc *elumbis*, vel *elumbus* is dicitur, qui neruis & robore destituitur: quasi dicas, qui lumbos habeat confractos, imbecillos, aut qui illis ipsis, tanquam robore suo, destituatur. Vitium enim aliàs & roboris præcipua pars in lumbis extat: quòd illi corporis superioris molem soli, nullius ossis alterius ope, sustineant. *Lumbi* autem de inferiori parte spinæ dicuntur, quæ vertebris quinque donata est, quales mediæ existunt inter *os sacrum*, & *dorsi vertebras*. Ad Venerem itaque *lumbi* inprimis valentes & robusti requiruntur. Hinc simili in significato *delumbis* sumitur pro effeminato, impotente, atque imbecillo. Per metaphoram *Carmen delumbe* quoque dicitur, quod minus viro dignum, minus valens. Vnde *Persius Satyr. 3.*

——— *summâ delumbe saliuâ*
Hoc natat in labris.

Caput XIIX.

PETRONII locus de *Anthropophagis* ritè explicatur. *Hæredipetæ* enim olim carnes amicorum defunctorum comedebant idque spe hæreditatis, bonorumque legatorum. De *re coquinaria* igitur, & carnium condimentis, hic locus non intelligendus. *Carnium* genera, & differentiæ, quibus ad victum indigemus. *Carnes quadrupedum, auium, piscium*, earundemque qualitates ac prærogatiuæ examinantur. *Carnis humanæ* cum *suilla* comparatio ex *Galeno*. Ea non semel ab hospitibus improbis cocta, suillæque loco, mensæ apposita. Carnis humanæ & suillæ dulcedo vnde?

PAG. 67. ad finem SATYRICI sui PETRONIVS: *Aliqua (inquit) inueniemus blandimenta, quibus saporem mutemus. Neque enim vlla caro per se placet, sed arte quadam corrumpitur, & stomacho conciliatur auerso*, &c. Quæ verba de *Anthropophagis* aspergere videtur ARBITER. Eâdem enim pagella commeminit cuiusdam gentis horrendæ consuetudinis, penes quam vsitatum erat, vt propinquiores atque amici carnes defuncti consumerent. Ad hanc immanis feritatis acerbitatem respiciendo, *Eumolpus* iis quoque, qui ex testamento suo, vel supremis tabulis, legata exspectarent, eâ sub conditione bona sua tum demum percipienda relicturus erat, si corpus suum in partes concisum, populo spectante, comedissent. Sic enim SATYRICVS noster: *Omnes, qui in Testamento meo legata habent, præter liberos meos, hâc conditione percipient, quæ dedi, si corpus meum in partes conciderint, &, astante populo, comederint.* Addit autem insuper, eosdem apud barbaros in more positum fuisse, vt ægroti obiurgarentur, sicubi carnes suas redderent ad esum deteriores. *Apud quasdam* (inquit) *gentes scimus adhuc legem seruari, vt à propinquis suis consumantur defuncti, adeò quidem, vt obiurgentur ægri frequenter, quòd carnem suam faciant peiorem.* Hac de lege ac consuetudine *Eumolpus* amicos admonet, vt audacter corpus suum post obitum discerpant, idq; tàm auide faxint, quàm cupidi hæreditatis, vel legati, spiritum ipsius, id est, vitam, deuouerant. itaque pro nausea, quam ex misera illa laniena stomachus eiusmodi hæredipetarum incussurus foret, remedium vel antidotum præscribit, quo post lanienam & miseras istas cupedias vti debeant, nimirum multorum bonorum compensationem, id est, diuitias, è Testamento, vel hæreditate accipiendas. Iubet ergò insuper oculos delicatulos ac nauseabundos illos operire, fingereque, ac si non humanas carnes, sed opulentam potius hæreditatem adirent. Sic enim ait: *His admoneo amicos meos, ne recusent, quæ iubeo, sed quibus animis deuouerunt spiritum meum, eisdem etiam corpus consumant. Excæcabat ingens fama oculos, animosq; miserorum. Gorgias paratus erat exequi.* *

De stomachi tui recusatione non habeo quod timeam: sequetur imperium. si promiseris illi pro vnius horæ fastidio multorum bonorum pensationem. Operi modò oculos, & finge te non humana viscera, sed centies sestertiûm comesse. Hac occasione *Eumolpus* satis salse se inuenturum esse blandimenta promittit, quibus hæredipetæ saporem contrarium emendarent. Carnem enim nullam per se placere asserit, sed arte quadam nauseabundum ipsius dulcorem saporemque corrumpi, id est, emendari, ita vt etiam stomacho, licet auerso ac contrario, ea esca nihilo-minus conciliari, atque accepta reddi queat. Addit insuper exemplum vnum atque alterum earum gentium, quæ ab hostibus obsessæ, carnibus humanis vesci non dubitârunt, etsi quidem illis nulla ob id hæreditatis spes affulserit. Ita vt nulla tam immanis & nefaria crudelitas fingi excogitarique possit, quæ non amore

nummi

nummi ab hominibus auaris patrari debeat. Patet ergò ex his, quænã hîc blandiméta illius saporis vocentur, nimirum hæreditas ampla, quæ quidem digna facilè sit, vt aliquis vnius horæ fastidium eam propter patiatur. Illum autem quem dicimus, omnino textus sensum ac consensum esse, liquet ex ipsissimis verbis: *Neq; enim* (inquit) *vlla caro per se placet, sed arte quâdam corrumpitur, & stomacho conciliatur auerso. Quod si exemplũ vis quoq; probari consilium, Saguntini oppreßi ab Hannibale, humanas edêre carnes: nec hæreditatem exspectabant. Petauii idem fecerunt in vltima fame, nec quicquam aliud in hac epulatione captabant, nisi tantùm, ne esurirent*, &c.

E quibus omnibus manifestissimum fit, autorem propriè de veris ciborum alimentorumq; condimentis, qualibus coqui, & matres-familiàs vtuntur, non loqui, sed de humanarum carnium esu, quas amici ac propinqui epulabantur, quicunque ex defuncti hæreditatibus aliquid exspectabant.

Quanquam igitur locus præfatus neque ad *Medicinam*, neque ad *Coquinariam* (cùm propriè de saporibus, aut condimentis non loquatur) pertineat: nihilo-secius tamen, cùm obiter quædam de *Carnium*, & quidem *humanarum* esu inibi contineantur, pauca quædam de *Carnium qualitatibus ac differentiis* isthîc afferemus, cùm id ad *Diætandi* methodum pertineat. *Diæteticen* autem, ex quinque *Medicinæ* partibus, non postremam esse, etiam tyronibus notum est.

Caro autem omnis tantâ nutriendi alendiq; virtute prædita est, inprimis *quadrupedum*, vt in nullis aliis alimentis cibisq; felicius aut perfectius nutrimentum inueniri, desiderariq; queat.

Carnium harum, quæ nimirum in alimentum hominis vergunt, genera dantur potissimùm tria, *animalium* scil. *quadrupedum*, *volatilium*, & *piscium*; de quibus singulis paucula ordine ac breuiter prælibabimus.

Animalium carnes, quia succi plenæ, ex temperamento calido humidoq; constant, ideoque etiam ad nutrimentum corporis humani optimè conducunt. Hominis enim naturam in calido atque humido fundatam esse asserit *Galenus libr.* IV. *de simplic. medicament. facultat. cap.* XVI. Ideoque ait idem, *carnem suillam* naturæ humanæ eiusque temperamento similimam esse, quòd eadem calida sit & humida. *Galli* præ *Latinis* hîc propriè ad optimum carnium, quale suppeditant, nutrimentum spectare videntur, quandoquidem *carnes* κατ' ἐξοχὴν *de la viande* vocant, qu. dicas, quibus homines viuant.

Differunt verò *carnes* à se inuicem multis modis. Vel enim aliæ aliis meliores, peioresve sunt, ratione ætatis animalium, è quibus petuntur: vel ratione sexûs; vel ratione regionis, in qua degunt: vel ratione educationis: vel ratione anni tempestatum; vel ratione pascuorum, quibus pecudes vtuntur: vel denique ratione carnium ipsarum, vel pinguium, vel macilentarum: vel denique condiendi, apparandiq; modo.

Quoad *ætates* ipsorum *animalium*: notum est, Carnes animalium recens natorũ admodum humidas esse, quòd ab ortu proximè absint, eâq; ratione excrementitiæ humiditatis plenæ sint, vnde & ventriculum facilè penetrant, aluumq; laxant. Quæ verò ætatis paulò sunt maturioris, atq. mensem vnum atq; alterum (sicut in *vitulis* apparet, quorum carnes, antequàm mensem attigerint, parum probantur) vel iustam ætatem adepta sunt, ea tum demum salubrẽ succum, alendoq; corpori idoneũ, præstant. Mediocris itaq;, & iustæ ætatis carnes mediocre & cõmodissimũ humano corpori aliméntum

tum ferunt. Quæ verò ætatis sunt senilis, decrepitæque, eorum carnes tantùm abest, vt nutriendis corporibus inseruiant, vt magis difficilem coctionem, lentos, crassosque, atque insalubres succos caussentur. Quæ enim ad senectutem vsque venerunt animalia, prout non-nisi duras, exsuccas, neruosasque carnes suppeditant, ità etiam vix dentibus subigi, masticarique possunt, tantùm abest, vt facilè à *ventriculo* in chylum, & ab *Hepate* in sanguinem verti queant. Hinc exosa vulgò vsque eo est caro vetula: Alt Kühefleisch/&c.

Quoad *sexus Animalium*: prout femellarum in omni animalium genere temperamentum magis est ad humiditates excrementitias comparatum, masculi contra naturâ sunt agiliores, expeditioresque: ita consimiliter carnes animalium marium præferuntur femininis, tanquam quæ magis sint euentilatæ, ab excrementitiis humiditatibus exemptæ, tùm gustu etiam delicatiores, suauioresque. Sic *veruecina ouillâ, bubula vaccinâ* præstantior ac gratior. Nihilo-minus *castratorum* carnes non castratis longè præferuntur: verbi gratia; *Caro caponis* præstat *gallinacei* carnibus. Imò dantur è quibusdam animalibus masculi, quorum carnes, nisi castrentur, etiam à femellarum sui generis carnibus dignitate multum superantur: quales sunt, *hirci, arietes, tauri, apri*.

Regionis quoque bonitatem, ipsiusque inprimis *Aëris*, multum ad carnium bonitatem conferre, in propatulo est. In quibusdam enim regionibus alia animalia aliis præstantiora nasci solent. Sic in *Frisia*, *Anglia*, *Vngaria*, aliisque locis, proueniunt tauri grandiores, pinguioresque, quàm in *Germania*, aliisque tractibus. Quamuis hîc quoque concurrant *pascuorum* commoditas, imò syluestrium locorum, vel montanorum, aut amnium certæ conditiones, quæ omnia caussantur, vt hîc vel illîc animalia aliis alia fœcundiora ac delicatiora proueniant. Prout enim *Regionis* cuiusque, ita etiam pascuorum, montium, syluarum, amniumque bonitas animalia inuicem discrepantia, meliora, gratioraque gignit.

Hûc facit *quartò* vitæ cuiuscunque animalis genus, quam *educationem* vocamus. Alia enim animalia sunt domestica, alia syluestria. Ex quibus syluestrium caro (*ferina* aliàs dicta) maximè triumphum ducit, quòd in aëre libero spiritum ducat, vnde magis euentiletur, adeoque minus humoris excrementitii in se contineat. Contra verò domi fit. Ibi enim animalia libero aëre priuantur, caueis stabulisque includuntur, præsertim si saginationi, aut mactationi destinata sunt, vbi multoties bono tempore ne in auras quidem prodeunt. Ferinas iccircò & syluestrium animalium carnes diutius à putredine immunes seruari contendunt.

Quintò, *Anni tempora* non-nihil etiam ad carnium saporisque præstantiam conferunt. Iis enim temporibus, quibus animalia in Venerem ruunt, aut aues ouis incubãt, carnes insipidæ sunt, minusque salubres. Hinc quidam *Carnis-priuium*, &c, cur tempore, vt vocant, *Quadragesimæ*, à carnibus, ouis, & similibus, abstineatur, è Medicina caussam isthanc allegant, quòd verno tempore, animalib⁹ in Venerem pronis, carnes, quia insipidæ, atque insalubres, prohibeantur: vt autor est *Ios. Quercetanus Diæt. polyhistor. pag.* CCCCXLI. Deinde, quædam etiam animalia, non nisi saginata, gratum demum saporem exhibent: sicut sunt *capones, porcelli*, &c. Saginatio quoque ista non nisi certis quibusdam temporibus commodius fieri solet, præsertim hyberno tempore; prout in *porcellis*, atque *alaudis* auiculis, constat.

Sextò,

Sextò ipsæ carnes inter se differunt, quatenus aliæ aliis pinguiores, aut macilentiores sunt. Etsi enim nimia pinguedo ventriculi offensam oppido conciliet, appetitumque subuertat: nihilo-minus tamen carnes pinguiores macilentis sapore præualent, tum substantiæ quoque bonitate præstant. Sic *vervuces, boues, capones, perdices, alaudæ* &c. pinguiores macilentis præferuntur.

Septimò denique, varius apud varios est carnes condiendi, apparandiq́, modus. Et nunc hic coquus, nunc alius aliter obsonia conficit sua; quæ omnia nimis longum foret isthîc recensere.

Inter carnes igitur *quadrupedum*, quæ laudabilis sunt nutrimenti, tàmque sanis, quam ægris vtiles habentur, recensemus *veruecinas, vitulinas, hadinas, bubulas* quoque & *suillas*, quas posteriores tamen iis, qui magnis laboribus exercentur, commodiores putamus. Cum enim copiosum gignant nutrimentum, magis operariis, quàm sedentariis hominibus conueniunt.

E Syluestribus animalibus, idoneum nutrimentum præbent *carnes capreolinæ, aprugnæ, succulorum aprugnorum, leporinæ*, & id genus aliæ. Quidam hoc loco *Cuniculorum* carnes optimũ ob nutrimentum rũ saporem valdè extollunt, quod vtrumq; mihi quidem neutiquam probatur. Cum enim *Cuniculi* dicti sint à cuniculis in terra fodiendis, in quibus, ceu caueis suis, degunt, iisque subterraneis, non video, quomodo illorum caro laudabilem succum suppeditare queat, cum non euentilentur, aut libero in aëre, sed in cuniculis degant. Accedit, quod sapor eiusce carnis palato oppido repugnat. Tàm mollis enim, imbecillis, laxa, atque penè insipida est eorum caro vt imaginatione facilè non-nullis nauseam fastidiumq; pariat. Nisi fors in *Anglia, Galliaq,*, melioris gratiorisq; succi dentur *Cuniculi*, quàm in *Germania*.

E carnibus contrà, qui excrementitium vitiosumque succum suppeditant, sunt *caprinæ, hircinæ, agninæ*, atque è Syluestribus *ceruinæ*, ac similes. Eius generis insuper sunt *carnes salitæ, fumoq, induratæ*, quales magis robustis ac quadratis, quàm delicatis, atque otiosam vitam degentibus, conducunt.

Iam superius modò enarrata requisita, qualia de *quadrupedum carnibus* proposuimus eadem ferè de *volatilibus*, dici, astruiq; possunt. Hæ enim æque differunt tum ætatis, tum sexus, tum regionis, tum educationis, tum anni temporis, tum saginationis, tum carnium ipsarum, tum deniq; condimentorum respectu.

Ex *Auium* itaque prosapia carnes, laudabilem scilicet succum, gratumque saporem conferentes, commendantur maximè *carnes Galli Indici*, annum integrum nati, *Gallinarum iuuenum, pullorum gallinaceorum, Caponum, perdicum, turturum, turdorum, alaudarum, phasianorum*, & similium. Quibus affines sunt carnes *columbarum, anserum, anatum, ansercularum*, itemq; *Pauonum*; qui aliquando *Gallis Indicis* bonitate comparantur.

Martialis, cupediarum, si quisquam alius, callentissimus, varias è carnibus Epularum delicias attingit, inter cætera, *Epigram. libr.* XIII. De *Lucanicis* autem *Epigram.* XXXV. primo sic ibidem:

Filia Picenæ venio Lucanica porcæ,
Pultibus hinc niueis grata corona datur.

Alias *farcimina* vocant, quòd è carnibus concisis intestina farciantur. Huc quadrat *Adagium, Lucanicis pluit:* quod quidem hodie in ore vulgi perfrequens. Dicitur autem de prodigiosa rerum cornu-copia.

Idem de *porcello lactente*, *Epigr.* XLI.

Lacte mero pastum pigra mihi matris alumnum
Ponat, & Ætolo de sue diues edat.

Id est, canit sibi in deliciis esse *porcellum lactentem*, præ quo diuitibus aprugnam relinquat.

Similiter *de pullis gallinaceis*, *Epigr.* XLV.

Si Libycæ nobis volucres, & phasides essent,
Acciperes: at nunc accipe cortis aues.

Phasianos hoc loco intelligit, regias delicias, de quibus infrà, *Epigr.* LXXII. sic:

Argiua primum sum transportata carinâ
Antè mihi notum nil nisi Phasis erat.

Dicitur aliâs *Itys* auis. Sed *Phasianus* nominatur à *Phaside* flumine. Vide *Des. Erasmum Chil.* III. *Cent.* VI. XLIV.

Ibidem de *Ficedula aue*, *Epigr.* XLIX.

Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus vuis,
Cur potius nomen non dedit vua mihi?

Idem in *Anate Epigr.* LII. *pectus* ac *ceruicem* præfert, tanquam partes optimi saporis:

Tota quidem ponatur Anas, sed pectore tantum
Et ceruice sapit: cætera redde coco.

Idem *vuluam suis castratæ*, aut nondum editi porcelli commendat, *Epigr.* LVI.

Te fortasse magis capiet de virgine porca:
Me materna graui de sue vulua capit.

Idem ex *Ansere Iecur* præfert *Epigr.* LVIII.

Aspice, quàm tumeat magno iecur Ansere maius,
Miratus dices, hoc, rogo, creuit vbi?

De *Cuniculis Poëta* nobiscum facilè sentire videtur, dum parum illos commendat, aut nihil, *Epigr.* LX.

Gaudet in effossis habitare Cuniculus antris:
Monstrauit tacitas hostibus ille vias.

Idem *Attagenas*, auium optimas, asserit *Epigr.* LI.

Inter sapores fertur alitum primus
Ionicarum gustus Attagenarum.

Idem *Gallinæ altilis* esum prædicat *Epigr.* LXII.

Pascitur & dulci facilis gallina farinâ,
Pascitur & tenebris: ingeniosa gula est.

Gulones hîc rectè dicuntur ad epulas ingeniosi esse. Hinc appositè *Petronius* noster:

Ingeniosa gula est; Siculæ Scarus æquore mersus
Ad mensam viuus producitur ———

Idem inter delicias *Gallum castratum*, vel *Caponem*, enumerat *Epigr.* LXIII.

Ne nimis exhausto macresceret inguine Gallus,
Amisit testes: nunc mihi Gallus erit.

Non prætereundum tamen hîc est, antiquos à *Gallis candidis*, quà esum, abstinuisse quòd *Mensi* esset sacer, atq; horarum nuncius. Hinc *Adagium*: *Ἀλεκτρυόνος μὴ ἅπτεσθαι λευκοῦ. A Gallo candido abstineas.* Vel: *Gallo albo manum ne inicias.* De quo vide *Des. Erasmum Chil.* I. *Cent.* I.

De

De *Perdice* sequentia aspergit *Epigr.* LXV.

Ponitur Ausonijs auis hæc rarissima mensis:
Hanc in lautorum mandere sæpe soles.

Idem *columbas* mystis *Veneris* interdictas olim fuisse innuit *Epigr.* LXVI. *Palumbos* verò, vt vocat, *torquatos*, salacibus ac *Venerem* petentibus, minus conuenire.

Idem *Galbulam* auem, itemque *Pauonem*, quę oculis tamen, quàm cibis aptior, necnon *Phœnicopterum* recenset. Quam postremam *Gulonibus* gratam esse arguit *Epigr.* LXXII.

Dat mihi penna rubens nomen: sed lingua gulosis
Nostra sapit, quid si garrula lingua foret?

Plinius libr. X. *cap.* LI. autor est, *Æsopum Tragicum* ferculum fecisse ex linguis auium canorarum.

Idem vero *Martialis* in summa *Turdum* inter *Aues*, *Leporem* vero inter quadrupedes præstantissimum esse edulium pronunciat *Epigr.* XCII. *lib.* XIII.

Inter Aues Turdus, si quis me iudice certet,
Inter Quadrupedes gloria prima Lepus.

Turdorum tria genera constituit *Aristoteles libr.* IX. *de natur. animal.* quorum primum ἰξοβόρον, *Athenæus* vero ἰξοφάγον nominat, quod visco vescatur. Quia autem visco capiuntur aues, hinc ipsæ sibi malum cacant. *Viscum* enim, autore *Plinio*, *non prouenit, nisi maturatum in ventre, ac redditum per auium aluum, maximè palumbium, ac Turdorum.* Hinc *parœmia*: *Turdus ipse sibi malum cacat*: Super quo vide *Des. Erasmum Chil. Cent.* I. *Zenodotus*, *Turdo*, aui alioquin loquacissimæ, asscribit peculiarem surditatem. Hinc alia *parœmia*: κωφότερος κίχλης: *Tardo surdior*: quod quidem in eos torquetur, qui, dum sunt loquacissimi, non auscultant ipsimet, quid dicant; autore *Erasmo Chil.* II. *Cent.* IX. IX.

Quod ad *Leporem* attinet, eum in delicijs esse omnibus notissimum est. Quod vel sequens *Adagium* arguit: λαγὼς περὶ τῶν κρεῶν: id est: *Lepus de carnibus*; puta, periclitatur. *Leporem* enim inquit *Des. Erasmus*, *non insectamur, quod noceat, sed quod pulpamentum habeat. Est enim animal & esculentum, & timidum, atque inerme, vt natura hominum esui leporem genuisse videatur.* Fertur autem *parœmia* in eos, qui ob aliquam sui vtilitatem in discrimen veniunt. Eadem *parœmia* sic quoque effertur: ὁ λαγὼς περὶ τῶν κρεῶν τρέχει: id est: *Lepus pro carnibus currit.* Vide *Des. Erasm. Chil.* IV. *Cent.* VIII. XII. Olim in *leporinis carnibus* quoque viuere dicebantur, qui lautè, atque in delicijs vitam agebant. Hinc similis *parœmia*: ἐν λαγῴοις: id est: *In Leporinis.* Cui insuper isthæc *parœmia* pariter respondet. *Tute lepus es, & pulpamentum quæris.* Quid? quod *Lepusculi* antiquitus quoq; vel ob id in pretio & delicijs habebantur, quod veteres crederent, non absq; superstitione, esu *carnis leporinæ* formam atq; venustatem comparari. Huic *Plinius lib.* XXVII. *cap.* IX. astipulatur, *leporem* in cibis sumptum gratiam corporis in septem dies conseruare. Cui potissimum persuasioni fauet illud *M[illegible] libr. Epigr.* V. *in Gelliam*:

Si me non f[illegible], si verum, lux mea, dicis,
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

prouerbialiter igitur in illos dicitur, qui formæ dant operam, *Leporem comedisse.*

Tanti pretij cum sit *lepus noster terrestris*: contrariū omnino præstat *lepus marinus*: qui oppido comedentes interficit. Est vero *piscis lepus*, qui venenum habet immedicabile, si quis imprudens ederit. Is in *Indico mari* etiā contactu homines necat, teste *Plinio*, lentaq; tabe consumit. Malū hac nota deprehendi tradunt, quod, qui ederint, piscem oleant.

Hinc homo vicissim pestilens fit, cuius contactu protinus mors obrepit. Eo *lepore* cibis admisto multos è medio sustulisse, imò & *Titum* fratrem enecasse perhibetur *Domitianus, Imp.* attestante *Philostrato in vita Apollonii.* In eos igitur, qui ità contabescunt, vt nulla *Medicorum* operâ curari queant dici poterit: *Edit leporem marinum*: quo innuitur, malum prorsus immedicabile existere: de quo consulatur *Des. Erasm. Chil. 1. Cent. 1.*

Et hæc de *Quadrupedum* atque *Auium* carnibus, earundemque differentiis, obiter.

Iam de *Piscibus* quoq; paucis. Eorum autem multitudo tàm ingens est, vt, cum *Oceanus* maior *Terrâ* sit, longè plura etiam inueniantur *Piscium*, quam *Animalium* cæterorum, genera.

Quoad carnium itaq; bonitatem, *Pisces*, cum in elemento *Aquæ* degant, hominum respectu, ad quos præsertim dirigitur omnis medendi ratio, naturâ sunt frigidiores, minusq; alimentum, ob defectum calidi ac humidi, quam carnes *Quadrupedum & Volatilium*, subministrant. Multa autem videmus tàm in hominibus, quàm brutis, quæ eadem in *Piscibus* nobis admirando prorsus modo repræsentantur. Cuius-modi sunt; *Homines marini, Syrenes feminæ, porcus marinus* vel *Delphinus, vitulus marinus, canis marinus, Hippotamus*, siue *equus marinus* & c multa alia.

Differunt autem inter se *Pisces*, vel ratione *Aquarum*, in quibus gignuntur, vel ratione condimenti, aut apparatus eorundem. Quantum ad *Aquas*, vel locum natalem, facit, quem sortiuntur: alii in aquis salsis, v. gr. in mari; alii in aquis dulcibus degunt. Ex aquis autem dulcibus, prout aliæ sunt fluuiales, aliæ fontanæ, aliæ stagnosæ, aliæ cœnosæ ac palustres, ità vicissim *Piscium*, quà saporem, succiq; præstantiam, discrimen oboritur. Illi itaque *Pisces*, quicunque in genere in aquis limpidis, ac fluuiatilibus nascuntur, deguntque, laudabilioris longè sunt nutrimenti, quàm qui in stagnis, aquisque palustribus ac cœnosis lacubus viuunt. Ex quibus optimi sunt commatis, qui ad aquas fontanas ascendunt, quales sunt, inter alios, *Forellæ, Funduli, Salmones, Thymali*, & id genus. Contrà paulò deteriores sunt *Carpiones*, qui in stagnis & lacubus proueniunt: itemque *Aselli, Haleces*, qui partim sale, partim aere, vel fumo indurantur. Ex *Piscibus* itaque in genere, qui pro sua natura optimum nutrimentum conferentes tàm sanis, quam ægris interdum (suo tamen modulo) concedi possunt, sunt sequentes, iiq; ex aquis dulcibus desumpti; cuius generis sunt v. gr. *barbiones, Salmones parui, perticæ, lucii, thymali fundali, lupi, forellæ*, itemq; *cancri fluuiatiles*, quorum inprimis vsus in re medica multiplex. His affines sunt *Carpiones, passeres, gobii, cancri marini, ostrea, testudines, aselli*, itemque *haleces* sale indurati, quibus non nimis indulgendum, cum eorum, præsertim posteriorum vsus & quantitas nimia magis rusticolis, quam aulicis, vrbanisque, atque ociosis hominibus, conueniat. *Anguillæ* vero, siue marinæ sint, siue fluuiales, plus excrementitii, viscosique humoris, quàm vtilitatis conferunt. Cum quibus coincidunt [illegible]. Quamuis ferunt, *Sepias, Anguillas, Lampretasq;* fumo sale conditas atque induratas meliores tum saporis, tum nutrimenti esse. De *Testudinibus* atque *Limacibus* idem ferè, quod de *Anguillis* diximus, esto indicium. *Itali Ranis* fluuialibus, tempore Quadragesimali præsertim, familiariter vtuntur, posterioribus eandem cum butyro probè frixis. Earum vsus in non nullis in *Phthisi* atque *Asthmate* admodum commendatur.

Quantum ad modum condiendi, præparandique *Pisces* attinet, tàm curiosi ac delicatuli hoc in ciborum genere *Teutones* nostri sunt, vt raro matrem-familias, quantumuis

uis induſtriam, inuenire ſit, quæ ex omni partes piſces delicatulis ad palatum reſpondntes apparare ſatagat. Quo nihilo-minus artificio feminæ noſtrates etiam ipſos *Apicios, coquoſq;*, eorundemque magiſtros feliciter videntur ſuperare. Alii enim cum *aceto, vino, zingibere, ſale, oleo, macere, pipere*, frigantur, elixantur, coquuntur, condiunturque. Alii aſſantur, ſuccoq; *citri*, vel *arantiorum*, aſperguntur. Al i *omphacio* imbuuntur. Alii in craticula torrentur: atque alii deniq; aliis modis variè præparantur, condiunturque: vſq; adeò vt omnis facile familia diuerſum *Piſces* apparandi modum calleat. De quibus omnibus qui plura deſiderat, euoluat *Galenum libr. de aliment. facult. & de temperam.* itemque *Plinium*, nec-non *Rondoletium de piſcium hiſtoria*; *Aldrouandum de animalibus & piſcibus: Quercetanum diætet. polyhiſt.* & alios complures.

Martialis lib. Epigr. XIII. *Mulli, Rhombi, Murænæ, oſtreorum*, commeminit, inprimis verò *Scarum* commendat *Epigr.* LXXXIV.

Hic Scarus, æquoreis qui venit obeſus ab vndis,
Viſceribus bonus eſt. cætera vile ſapit.

Idem *Echinum piſcem* prædicat *Epigr.* LXXXVI.

Iſta licet digitos teſtudine pungat acutâ,
Cortice depoſito mollis Echinus erit.

Similiter habet de *Gobio Epigr.* LXXXIIX.

In Venetis ſint lauta licet conuiuia terris,
Principium cœnæ Gobius eſſe ſolet.

Sic autem *Lupi piſcis* meminit *Epigr.* LXXXX.

Laneus Euganei Lupus excipit ora Timaui,
Æquoreo dulces cum ſale paſtus aquas.

Dicunt *Lupos* iſtos laudatiſſimos eſſe, qui ad oſtia fluuiorum degunt, dulci pariter atque ſalſa aqua paſtum ineuntes: ſicut refert *Thom. Fernabius ad Martialem.*

De *Aurata* verò piſce, ſic denique cum diſcrimine pronunciat *Poëta Epigr.* XC.

Non omnis laudem pretiumq; Aurata meretur:
Sed cui ſolus erit concha Lucrina cibus.

Quod reliquum eſt, pro coronide huius capitis, quædam breuiter de *carnibus humanis*, earumque eſu barbaris non inſolito, iſthîc ingeremus: ſiquidem de *Anthropophagis Arbitrum* noſtrum in verbis ſuprà propoſitis maximè locutum eſſe planum ſit. E *Galeno* autem *lib. x. de ſimpl. med. facult. cap. de ſanguin ſuillo* diſcimus, *ſuillam carnem ſanguinemque* ſimilis eſſe temperamenti cum carne ac ſanguine humano: adeò vt ſæpenumerò humanæ carnes pro ſuillis horrendo facinore propoſitæ, comeſtæq; legantur. Non ſolùm autem ſumma rerum inopia & male-ſuada fames ad execrandas has humanæ carnis epulas famelicos concitauit: prout è *Ioſepho de fame Hieroſolymitana*, itemq; *Liuio, de fame Saguntina*, atque aliis id genus hiſtoricis pluribus fames eius-modi memorabiles deſcribentibus notum eſt; verum enim verum auaritia, imò auri, autore *Virgilio*, horrenda ac ſacra fames, homines, imo hominum potius monſtra, eo furoris atq; inſaniæ non nunquam adigit, vt homines, lucri cauſâ, occidant clanculum, atq; præparatis interfectorum carnibus epulas inſtituant, hominesq; ad hederam atq; vinum eo dulcore alliciant. Id quod extremi facinoris haud ſemel ab hoſpitibus ac cauponibus tentatum fuiſſe, à ſcriptoribus fide digniſſimis accepimus. *Galenus* inprimis *loc. citat. de comparatione carnis ſuillæ & humanæ* autor eſt, compertum eſſe, plures ſuo tempore ho-

 ſpites

ſpites, ac coquos, carnes humanas pro ſuillis vendidiſſe; neque tamen vllam illius ſaporis differentiam eos, qui comediſſent, percipere potuiſſe. Idem *Galenus* teſtatur, narrantes ſe audiuiſſe, homines fide dignos, qui in diuerſorio publico ius ederant delicatum cum carnibus ſuauiſſimis. Illi, cum iam penè forent ſaturi, digiti partem anteriorem, quæ ſub ad vnguem eſt, inuenientes, perculſi, ac metuentes protinus illinc exierunt, ac vomitu redditis, quæ comederant, iter denuò ingreſſi ſunt. Imò etiam in ipſo facinore, dum homines mactarentur, deprehenſos homicidas fuiſſe, ibidem arguit. Quibus *Galeni* indiciis ſimilem, pariterque abominandam hiſtoriam recenſet doctiſſ. Medicus, *Ioan. Bapt. Syluaticus, libr. enarrat. Galen. medicinal. histor.* VII. quam in vrbe *Mediolanenſium*, alioquin humaniſſima, contigiſſe aſſerit. *Anno* (inquit) *Dominicæ incarnationis* M. D. XIX. *Mediolani artificem mulierem quandam nomine Eliſabeth, rota atq; ignis tormento peremptam fuiſſe legimus, ità iuſtitiæ iudicibus damnatam, quod blanditiis pueros alliciens, inq; domum introducens, enecaret & ſale condiret, indieſq; comederet, cuius ferina inhumanitas ita detecta fuit. Cum enim parentes puellam amiſſam, nomine Catharinam Seronam diligenter perquirerent; fortè felis puellæ manum ſubreptam in vicinorum domum aſportauis. Quo ſpectaculo commoti, catum venari cœpere, qui ad domum Eliſabeth confugiens, qui illum inſequebantur, eò traxit: hiq; introgreſſi integrum adhuc Catharinæ corpus interfectum inuenêre: quod iuxtà S. Mariæ Serretæ ianuam humatum, epitaphioq; mortis hiſtoriam exprimente celebratum eſt.* Hæc *Syluaticus*. Sic *Melanoſcleni*, autore *Herodoto*, *Scythæ*, humanis carnibus de conſuetudine veſcebantur. Sic *Indiarum* quidam populi ſuperiori ſeculo inuenti, carnium humanarum, inprimis hoſtium dilaniatione atq; epulatione gaudent. Sic de *Anthropophagis* & *Canibalis* atrocia multa *Plinius*. Sic de *Progne, Pandionis, Athenarum Regis*, filia canit *Ouidius*, eam *Ityn* filium marito ſuo *Tereo, Thracum Regi*, comedendum appoſuiſſe, quod is ſororem ipſius, *Philomelam* nomine, per vim compreſſiſſet. Quæ, & multa alia exempla atrociſſima, partim barbariem & vindictam, partim vero lucrum ſapiunt; ſicut ex hiſtoria illa *Galeni* maximè fit euidens.

Quò apprimè ſpectat illud *Petronii* noſtri, penes quem quoq; *Eumolpus* poſt obitum carnes ſuas iis manducandas per teſtamentum legat, quicunq; hereditatis ipſius participes eſſe cuperent. Lucrum itaq;, ait, tanti apud pleroſq; momenti eſſe, vt vnius horulæ faſtidium, ex carnium defuncti comeſtione, boni inſequentis compenſatione, abundè facilè ſupplere poſſit.

Rationem autē, cur *humanæ carnes* tàm ſint dulces, & guſtui ſuauiſſimæ, nimir. quod naturæ humanæ, quà temperamentum optimum, ſimillimæ ſint, adeoq; in humido & calido conſiſtant, vndè dulcedo, & ſaporis illa iucunditas, eleganter videtur edisſerere præfatus *Syluaticus*, qui loc. citat. histor. VII. ità habet. *Similitudo vero temperiei carnis & ſanguinis humani, cum carne & ſanguine ſuillo, facilè poteſt demonſtrari. Etenim, intrà temperati temperamenti terminos humanam conſiſtere naturam, vna eſt Medicorum omnium antiquorum opinio: & hanc caliditatis & humiditatis, ſed æquabilis prorſus, participē eſſe conſtituerunt. Ob hanc verò Galenus cauſſam, in lib. de conſtit. art. cap. x. ſicciorem & calidiorem eſſe leonis carnem, ouis humidiorem & frigidiorem: inter vtramq; mediam conſtituit humanam. Calidum igitur atq; humidum alimentum ei conuenit. At huius modi eſſe ſuillam carnem, à Medicis ſcriptoribus omnibus affirmatum eſſe inuenio. Eum item cibum eſſe homini quàm ſimillimum, qui omnium optimus eſt & valentiſſimus: fateatur quiſq; conuenit.* Idem poſteà: *Nulla propterea eſſe poteſt admiratio, improbiſſimos illos coquos & hoſpites, de re huius-modi admonitos, pro ſuillis humanas carnes aliis ad comedendum tradidiſſe, comedenses verò ſimilitudine decepti, nullam in guſtu, vel odoratu, differe-*

ntiam

tiam perceperunt. Et sicuti à calore & humiditate saporem dulcem prouenire, Aristoteles & Galenus constituerunt: ità quoq; quæcunq; hominum nutriendorum simillima sunt, ea etiam dulcedinem summam præseferunt, Galeno eodem magistro in lib. IV. de simpl. medic. facult. cap. XVI. Quare, cum caro suilla sit calida & humida, humanaq; propterea simillima: vtraq; pariter dulcis est, & gustui suauissima. Qui eapropter carnes suillas comedere assueti erant, dum humanas comederet, nullum omnino, vt Galenus dixit, discrimen cognoscere potuerunt. Hæc ibidem *Syluaticus.*

Caput XIX.

LVna vndè dicta? Eadem *Delia, Diana, Lucina, Proserpina.* Varia eius cognomina, & potestates. Historia templi *Dianæ* famosissimi ab *Herostrato* incensi. *Endi* · *yon Lunæ* amasius. *Luna* variis mutationibus obnoxia, ita vt veteres dixerint, aptam ei tunicam fabricari non posse. Cur dicatur *Hecate?* Cur *Triuia*, & *Triformis?* E quibus *Petronius* illustratur.

CAP. 68. in fragmentis ad *Petronium Satyricon* occurrit:

Triplici vides vt ortu
Triuiæ rotetur ignis &c.

Quæ verba omninò de *Luna* accipienda veniunt, sicut insequentia de *Sole* loquuntur:

Volucriq; Phœbus axe
Rapidum pererrat orbem.

Quæstio autem ista mouetur nobis: *Quomodo Luna triplici ortu rotetur, vndè Triuia dicta?*

At, antequàm ad interrogationem formaliter respondeamus, principio generalia non-nulla præmittendo, pauca de *Triuia*, siue *Luna*, eiusdemq; variis appellationibus, præfabimur. *Luna* igitur, quod nomen vsitatissimum, à lucendo dicitur, quod noctu sola luceat. *Græcis* σελήνη. Alias communiter *Luna*, tanquam, *lux aliena* vocatur, quod ea non lumine proprio, sed à *Sole* accepto, luceat. Hinc *M. Tullius in Somn. Scipionis: Ex quibus ea* (inquit) *erat minima, quæ vltima cælo, citima terris, luce lucebat alienâ.* Quâ de caussâ *Solis* filia dicitur apud *Euripidem in Phœnissis.* Quibus *Solis* soror indigetatur, & sicut *Phœbus Sol*, ità *Luna Phœbe* nominatur. Vndè *Virgilianum illud libr. x. Æneid.*

Iamq; dies cælo concesserat, almaq; curru
Noctiuago Phœbe medium pulsabat Olympum.

Curru itaque *Lunam* quoque vehi prodiderunt *Poëtæ*, sed bigis duntaxat incedere, *Solem* vero quadrigis. Hinc *Marcus Manilius lib. V. rer. astronomicar.*

Quadriiugis & Phœbus equis, & Delia bigis.

Ouidius Lunæ etiam tribuit *equos albos*, quanquam alii eam à *mulo*, vel *iuuencis*, vel *equis discoloribus* trahi edixerint. Sic autem ille *lib. I. de remed. Amor.*

Vt solet, in niueis Luna vehetur equis.

Eadem *Delia* vocatur, quod in *Delo Insula* nata sit. Sic *Ouidius in Phædra ad Hippolytum:*

Iam mihi prima Dea est, arcu præsignis adunco
Delia, iudicium subsequar ipse tuum.

Eadem *Latonia* appellatur *Virgilio libr.ix.Æneid:*

> *Suspiciens alta Lunam sic voce precatur:*
> *Tu Dea, tu præsens nostro succurre labori*
> *Astrorum decus, & nemorum Latonia custos.*

Eadem *Diana* dicitur, quæ cum *Apolline* fratre in *Delo* genita sit, teste *Cicerone libr.ii. de natur. Deor. & Corn. Tacito libr.iii. Annal. Homerus*, in *hymno Apollinis, Dianam* cum *Apolline*, à *Ioue* & *Latona* genitos esse canit. Alii eam *Cereris* filiam, vt *Æschylus*, alii *Coei Titanis*, & *Phœbes* dixerunt. Eadem autem *Diana*, vel *Venatrix* dicitur, quod, cum mares omnes, cane peius & angue, odisset, idque, quia viderat, quæ *Latona* mater passa fuisset, cui *Apolline* genito obstetricata ferrur, à *Ioue* patre perpetuam virginitatem exorauit, teste *Callimacho*. Fertur autem obstetricis munere apud matrem *Latonam* functa esse, nascente *Apolline*, quod antè *Apollinem*, eodem licet partu, nata esset, autore *Cicerone libr.ii. de nat. Deor. Iupiter* itaque ipsi *venationibus, viisque* ac *portubus* præesse, *arcus* præterea, *sagittas*, ac *puellas* comites dedit, referente eodem *Callimacho*. Hinc *Venatrix* dicta, quod in syluis perpetuo cum *Nymphis* sociis degens, marium consortium fugeret. Eleganter *Horatius libr.iii.Carmin.*

> *Montium custos, nemorumq; virgo,*
> *Quæ laborantes vtero puellas*
> *Ter vocata audis, adimisq; letho*
> *Diua triformis.*

Callimachus Dianæ currum à *ceruabus candidis* trahi autor est. *Panagea* etiam olim dicebatur *Diana* is, qui peregrinationem immensius amabat, atque errabundus erat. *Diana* enim *Poëtis* vagari dicitur, ac per nemora & montes oberrare. Eadem domicilium subindè murare dicitur, modo apud Superos, modo apud Inferos agens. Ne specie quidem semper eadem, sed nunc pleno orbe, nunc mutila, nunc nulla. Vide *Des. Erasm. Chil.ii.Cent.ix.*

Eadem *Dictynna* vocata est quoque ἀπὸ τῶ δικτύω, id est, à rete, quod retibus venatoriis gauderet: Sic *Ouidius libr.ii.Metam.*

> *Ecce suo comitata choro Dictynna per altum*
> *Mænalon ingrediens, & cæde superba ferarum*
> *Aspicit hanc———*

Eadem Græco nomine ἰοχέαιρα dicta, quod sagittas amaret, ferasque sectaretur, vt est penes *Hesiodum in Theogon.*

Eadem *Lucina* appellatur, quod parturientibus præesse crederetur, à *luce* nimir. qua recens natos donat. Qua occasione intelligebat, quantam malorum segetem effugisset, virginitatem expetendo. Græci εἰλείθυια vocant, *Latini Lucinam*, quod nascentia omnia in lucem produceret. Hinc *Callimachus:*

> *Vrbes accedam solum ac sub tecta virorum*
> *Pressa dolore graui nisi cum me femina partus*
> *Auxilio arcesset.*

Ei grauidæ puellæ, quibus vterus intumuisset, vt *zonâ* consueta vti amplius nequirent, *zonam* de more, in templo *Dianæ*, soluebant apud *Athenienses*, vnde *Diana* λ[illegible] dicta. *Zonam* itaq; soluere nihil aliud erat, quàm grauidam esse, teste *Apollonio* l[illegible] [illegible]dem *zonæ* dicabantur grauidarum, prout *Veneri* corona in *Nuptiis*, teste *Agathia*. [illegible] *Piscatoribus* præ[illegible] celebratur apud *Apollonidam*.

F[illegible]-

Fabulantur *Poëtæ* pro sacrificiis huic Deæ *boues* fuisse immolatas. *Horatius Verrem* ipsi mactat. *Ouidius* verò *candidam* ei *ceruam* assignat.

Cognomina porrò, vel epitheta *Dianæ* multiplicia sunt, à locis & templis, in quibus colebatur: scil. *Tauropola*, vel *Taurica*, *Persica*, *Minthia*, *Pergæa*, *Ephesia*, *Epione*, *Forensis*, *Orthosia*, *Istria*, *Hegemache*, *Isora*, *Limnaa*, *Lycea*, *Lucifera*, *Patroa*, *Pheræa*, *Propylæa*, *Leucophryne*, *Orthia*, *Suadela*, *Sospita*, *Saronia*, *Salaminia*, *Hegemona*, *Hemeretia*, *Callista*, *Cnacalysia*, *Agrotera*, *Elaphiæa*, *Condyleatis*, *Alphea*, *Hymnia*, *Agrestis*, *Pyronia*, *Laphria*, *Euclea*, *Stymphalia*, *Triclaria*, *Sciaditis*, *Philomirax*, *Chryselacate*, *Sacrificula*, *Cordace*, *Lycoatis*, *Lymnea*, *Iaculatrix*, *Venatrix*, &c.

Variæ itidem nationes variis ipsam coluerunt nominibus. *Cretenses Dictynnam*, *Thraces Vpim*, *Arcades Orthosiam*, parturientes verò *Lucinam* tantum nominabant, referente *Natal. Comite Mythol. libr.* III. *cap.* XIIX.

Eiusdem autem *Dianæ Templum* famosissimum, quod incendente *Philostrato*, conflagrauit, ità describit *Natalis*: *Habuit* (Diana) *celeberrimum omnium Templorum & augustissimum Ephesinum, quod totius Asiæ studio ducentis & viginti annis architecto Chersiphrone fuerat ædificatum, cuius erat longitudo pedum quadringentorum & quinq; ac viginti, latitudo ducentorum & viginti, in quo fuerant centum & viginti septem columnæ à totidem Regibus erectæ, admirabilis longitudinis ac pulchritudinis: nam ad sexaginta pedum mensuram accedebant, quarum triginta sex fuerunt incredibili artificio, & magnificè cælatæ, cum aptis tanto artificio columnarum epistyliis. Aderant & picturæ mirificæ, & pulcerrimæ statuæ magnificentiæ eius templi conuenientes. Quæ omnia ab Herostrato, viro Ephesio, incensa fuerunt, vt hac ratione, cum ingenii præstantiâ non posset, sibi perpetuitatem nominis compararet. Illud autem incendium accidit circiter Idûs Sextilis, quo die natus est Alexander Macedo, cognomento Magnus, vt ait Plutarchus in eius Vita. Ne potiretur autem Herostratus re per tantum scelus optatâ, sanxerunt Ephesii, propositis grauissimis suppliciis, ne quis in posterum Herostratum nominaret.*

Pausanias, alatam fuisse *Dianæ* imaginem apud *Elaos*, quæ dextrâ *Pardum*, sinistrâ *Leonem* porrigeret, scripto annotauit.

Cæterùm, ad *Lunam* reuertentes, *Alcman Poëta Lunam* vxorem *Aëris* esse tradidit, è quo *Rorem* filium genuerit. Hinc illud:

Aëris & Lunæ soboles Ros gramina nutrit.

Eadem ferè significatione prisci *Lunæ* filiam natam esse prodiderunt, *Ersam* nomine, à *Ioue* conceptam, qui *Græcis Ros* dicitur, teste eodem *Alcmane*.

Eadem *Luna Cynthia* dicitur *Horatio libr.* III. *Carmin.*

Tu curuâ recines lyrâ
Latonam, & celeris spicula Cynthiæ
Summo carmine ——

Eadem *Mas* & *Femina* dicta fuit; vnde ipsi à maribus sacrificabatur veste muliebri; à mulieribus contra virili habitu indutis: autore *Philochoro*.

Eadem, *Luna* inquam, veneficiorum præses inuocata fuit à sagis, vnà cum *Hecate*; teste *Senecâ*, *in Hippolyto*: de quo aliâs diximus.

Inter cæteras verò fabulas, quas *Poëtæ* prisci de *Luna* reliquerunt, *Luna Endimyonem* dormientem in *Latmo*, *Cariæ* monte, adamâsse, atque cum eodem congressa esse scribitur, teste *Catullo*:

Vt Triuiam furtim sub Latmia saxa relegans
Dulcis amor gyro deuocet aërio.

 Quam

Quam fabulam aspergit quoque *Ouidius* in *Epistola Leandri ad Heronem*, &, inter recentiores, *P. Lotichius Secundus*, meus, *libr. I. Eleg.* v. vbi ita ad *Lunam*:

Fallor? in occulto te pastor Latmius antro
Continet, oblitam scandere rursus equos?
Deliciasq; facis molles, & sedula curas,
Dum roseas illi stat sopor ante genas.

Hinc, *Pausaniâ* autore, *Luna* ex *Endimyone* filias, præter mares, quinquagintâ suscepisse fertur.

Admiratione autem non vacat, quòd *Zenophanes* olim in *Luna* locum esse multarũ vrbium prodidit. Ad cuius imitationem fallor? an *Kepplerus*, Mathematicus huius seculi celebris, statuit, nouum in orbe *Lunæ* orbem, seu mundum esse, maria item ac lacus nauigabiles haberi, vnde aliquando etiam *homo Lunaris* fortè decidisse notatus sit, nescio quis, & vbi?

Quo pacto autem enarratæ de *Luna* fabulæ sano intellectu accipi debeant, explicat *Natal. Comes libr.* III. *Mythol. cap.* XVII. & XIX. ad finem.

Intereà, quantum denique ad PETRONIANVM illud facit:

Triplici vides vt ortu
Triuia rotetur ignis:

facilè colligere est, ea verba varias *Lunæ* mutationes, ortus, incrementa, atque interitus significare. Iam enim *Luna falcata*, quæ falcem, iam *cornuta*, quæ cornua referat, iam crescens, iam decrescens, iam plena, iam dimidiata vocari consueuit. Eius autem incrementum decrementumque ad *Solem* refertur, cuius lumine, non proprio suo, vt suprà dictum, radiat. Quod eleganter innuit *M. Tullius in Somn. Scipion. apud Macrobium.*: *Ex quibus* (inquit) *ea erat minima, quæ vltima cælo, citima terris, luce lucebat alienâ. Hæc Solis discipula, obsequitur cursibus supernis, &, prout accedit ad Solem, vel recedit a Sole, cresc ẽs aut senescens, dispensat lumen, ideoq; semper est instabilis.* Quæ paulò luculentius exponit *Macrobius*: *Luna* (inquit) *dispensationibus septenariis luminis sui vices sempiternâ lege variando disponit. Primis septem diebus dimidiata semi-orbem ostendit, Græcoq; sermone διχόμηνος, & διχότομος vocatur, quasi dimidia. Secundus totum orbem complet, fitq; plenilunium, quod Græci πανσέληνον vocant. Tertius rursus διχότομος efficitur. Hinc plenilunium, quod est, quum Luna quinta decima, & rotunda est, Soliq; ex diametro opponitur.* Cum quibus coincidunt, quæ *Plinius* habet *libr.* XIIX. *Quum verò* (inquit) *occidente Sole orietur* (scilicet Luna ex aduerso) *ità, vt pariter aspiciantur, tunc erit plenilunium. Interlunium, quum apparêre desierit, & noua fit, & coëunte, vel silente Lunâ. Vnde Lunæ coniunctio dicitur dies silentis Lunæ. Luna vigesima, pro vigesimo die post nouam Lunam.* Idem *libr.* II. *cap.* XCVII. *Æstus idem triduo in mense consistit, septimâ, octauâ, nonaq; Lunâ.*

Huc quadrat fabula illa, quâ veteres commentati sunt, *Lunæ* aptam tunicam confici, aut indui non posse, cùm tantæ sit variationis, vt in diem, imò etiam in horas mutetur. Hinc *Natal. Comes lib.* III. *Mythol. cap.* XVII. *Ad exprimendam* (tradit) *Lunæ naturam, siue ingenium multorum mortalium, qui mutantur in horas, fabulati sunt antiqui, Lunã orauisse matrem, vt sibi aptam tuni[illegible] texeret, quæ respondit, nullâ ratione istud fieri posse, cum nunc plena sit, nunc [illegible] ...ng; q[illegible] ...are modò crescenti tunica disrumperetur, modò de[illegible] n[illegible] quoque *Luna* fertur variorum colorum [illegible] ...erunt, varias atque multiplices eni[illegible] [illegible] d[illegible] ...ragicorum acutissimus, in *Hippolyto*:

Regina

Regina nemorum, sola quæ montes colis,
Et vna solis montibus coleris Dea,
Conuerte tristes omnium in melius minas,
O magna, syluas inter & lucos, Dea,
Clarumq; cœli sydus, & noctis decus,
Cuius relucet mundus æternâ face,
Hecate triformis: en! ades cœptis fauens?
Animum rigentem tristis Hippolyti doma, &c.

Cur autem *Triuia*, vel *Triformis*, dicatur, explicat rectè *Farnabius in notis ad Senecam: Est enim* (inquit) *in cœlo Luna, in terris Diana, apud inferos Proserpina. Vel* τρίμορφος *&* τρικέφαλος, *à trina facie, cùm surgit, aut desinit in cornua, cum dimidua est, cum plena. Vel Triuia, à triplici cursu sub Zodiaco secundùm longitudinem, latitudinem, & altitudinem. Triuiis etiam præesse fertur. Referunt alii ad tres decades mensis* ἱσταμένου, μεσοῦντος, φθίνοντος. Hæc *Farnabius*.

Olim in triuiis *Hecaten* venerabantur, quòd eadem tribus nominibus vocetur, scil. *Luna, Artemis,* & *Hecate*. Sub Nouilunium autem diuites mittebant cœnam vespere, veluti cœnam *Hecatæ* in triuiis. Pauperes autem esurientes diripiebant, deuorabantque, quæ erant apposita, dicentes, quòd *Hecate* comedisset. De quibus videndus *Aristophanes in Pluto*, eiusque interpretes. Cæterùm, veteres cœnam perparcam, atque impendio frugalem, „*Hecatis cœnam* appellitabãt, quòd vmbræ apud inferos tenuissimo victu, minimoq; cibo, eoq; contemptissimo, victitarent, iuxta *Poëtarũ Theologiam*. Vmbræ enim plebeiæ *maluâ & porro* victitant. Hinc *Hecati Mænides* ac *Triglydes* pisces, alioquin contemptissimi, in deliciis habentur. *Athenis* quoque locus fuit *Trigla* dictus, vbi *simulacrũ Hecates Triglatinæ*. Alii *Triglam Hecati* sacram dicunt, ob nominis rationẽ à ternione dicti, cum triformis sit *Hecate*: de quibus consule *Desid. Erasm. Chil. I V. Cent. V. XI.* & *Scaligerum in Catal. comment. ad Priap.* Quid? quòd apud *Inferos Terniones* adeo honorati erãt, vt *Hecati* sacri essent, cui idcircò etiam *Trigla piscis* sacrificabatur. Eiusdem idolum in triuiis igitur ponebatur. Hinc illud *Poëtæ*:

Tergeminamq; Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Ouidius verò *libr. XV. Metamorph.* de inconstantia & varietate *Lunæ*, quam *Dianam nocturnam* vocat, sequentibus succinit.

Nec par, aut eadem nocturnæ forma Dianæ
Esse potest vsquam, semperq; hodierna sequente,
Si crescit, minor est, maior, si contrahit orbem.

Quod denique ad *Hecaten* spectat, ea filia *Persæ, Solis* filii, proditur, autore *Dionysio Milesio*, quæ triformis dicitur, atque eadẽ est cum *Luna*. Dicitur autem ἑκάτη, aliis qu. ἑκάστη, quòd singulorum curam ac prouidentiam gerat. Aliis ab ἑκατὸν est, quòd cẽtena, id est, multiplici atq; infinitâ potestate valeat. Aliis etiã ἑκατὸν est, quòd centum annos vagari patiatur eorũ vmbras, quorũ corpora non sint sepulta. De eiusce autẽ *Hecates* cum *Luna* conuenientia, quòd eadem sit *Hecate*, quæ *Luna*, sic eleganter edisserit *Raphaël Regius Comment. in libr. VII. Ouidii Metam. Pleriq;* (inquit) *eandem* (scil. *Hecaten*) *cum Proserpina ac Luna faciunt, eoq;* ἑκάτην, *quasi quæ* ἑκάς, *hoc est, longè à nobis distet, vocatam volunt. A Poëtis autem etiam Triformem inde & Tricipitem dici putant, quoniam Luna modò plena luceat, modò obscura tegatur, aliquando partim luceat, partim obscura sit, & rursum nunc in cœlo appareat, nunc apud inferos prematur, interdum circà syluas ac montes vagetur, vnde etiam nomina illi subinde*

subinde alia atq; alia esse, ità vt nunc Luna, nunc Proserpina, nunc Diana dicatur. Sed mihi (addit) Triformis Hecate inde potissimum dici videtur, quod illi compita, ac triuia antiquitus dicata fuêre, in quibus & sacrificia menstrua illis fiebant, quas Hecates cœnas vocabant, vt ex Pluto Aristophanis apparet: & statuæ triformes, siue tricipites eidem consecrabantur. Hinc Ouidius alibi dicit:

Ora vides Hecates in tres vergentia partes,
Seruet vt in ternas compita secta vias.

Quanquam Orpheus, aut quisquis is fuit, in Argonauticis, etiam ipsam Deam tria capita habere dicit, Hominis videlicet, Equi, & Canis. Hæc *Rhegius*; quæ ARBITRO nostro haud paruam lucem largiuntur, cum triceps *Triuia* triplici etiam ortu rotetur. Vide de prosapia, & parentibus *Hecates*, imò eiusdem cognominibus, atque aliis id genus pertinentibus, præfatum *Rhegium* ad *Ouid. libr. VII. Metamorph.* vbi *Poëta de Hecate* hunc in modum:

Ibat ad antiquas Hecates Perseidos aras,
Quas nemus vmbrosum, secretaq; sylua tegebat:

Quo loci aræ pro templo veniunt, vt interpretatur *Iac. Micyllus in notis ad Ouidium.*

Caput XX.

M*Yrrhæ* genera, & qualitates excutiuntur. Eius admiranda mutatio in *Opocalpasum*, quod est venenum. Similitudo cum *Bdellio*. *Myrrha* cum *Cinyra* patre concubitus ex *Ouidio*. *Adonis* e *Myrrha* natus. Eius fabulæ interpretatio. *Myrrha* amaritudo singularis. Ad condienda cadauera perutilis. *Olei myrrhini* vsus tum ad sacra, tum profana. *Myrrha* partus & menstrua ciet. Hinc *Trochisci de Myrrha* in officinis. E *Myrrha* iccircò potius *abortionis poculum*, quam ad libidinem paratur. Legendum itaque, pro *Myrrhino*, poculum *Murrhinum*. Id enim vasis genus tum *Neroni* in deliciis fuit. Eiusdem natura, & pretiositas, & vsus *Tyranno* familiaris è *Plinio* liquet. *Murrhina* qualia? & qualia *Myrrhina*? *Myrrhites*, *Myrrhis*, *Myrapia*, quid sint, & qualia? Hodie *Murrhina vasa*, *Porcelanas* vocant, adhuc in vsu.

PAg.69. in fragmentis PETRONIANIS occurrit merum isthoc fragmentum: *Ad libidinis incitamentum Myrrhinum se poculum bibisse.*

Quæ verba, vtrum ità, prout sonant, accipienda sint, nec ne, & si ità sint maximè, vtrum *Myrrha* aliquid ad Veneris incitamentum, atque illecebras, conferre possit, disquirendum erit.

De *Myrrha* autem, eiusdemque qualitatibus primùm; dein de suspicione textus.

Dioscorid. libr. I. cap. LXXVII. Myrrha (ait) lacryma est arboris nascentis in Arabia, Ægyptiæ spinæ similis: quâ quidem incisâ lacryma in substratas tegetes destillat, pars verò circa caudicem ipsum concrescit. Eiusce aliquot genera ibidem autor constituit, scil. *pediasmion*, quasi campestrem & pinguem, quâ expressâ *stacte* excipitur: *Gabiream*, *Troglodyticam*, quæ primas tenet, *Caucalim*, exoletam & nigram, *Ergasimam* item, omnium pessimam, & *Aminæam*, quæ pariter improbatur.

Adulteratur *Myrrha* permisto gummi si in aqua maduerit. Notæ autem optimæ *Myrrhæ* iuxtà *Dioscoridem* sunt hæc: *Eligito* (inquit) *recentem, friabilem, leuem, vndiquaque concolorem, quæq; confracta inter currentes lineas intrinsecus habeat candidas, vnguium speciem præseferentes, ac laeues: quæq; insuper minutis sit glebis, amara, odorata & acris. Ponderosa autem & quæ picei coloris est, inutilis censetur.*

De *Myrrhæ* temperamento & qualitatibus hunc in modum porrò idem edisserit:

Vini

Vim habet calfaciendi, fluxiones sistendi, soporem inducendi, glutinandi, siccandi, & astringendi. Emollit etiam præclusam vuluam, & aperit. Menses & partûs celeriter extrahit, cum absynthii vel lupinorum diluto, aut rutæ succo admota.

De Bœotica verò *Myrrha*, quæ ex arbore quadam in *Bœotia* nascente, incisa radice, stillat, ità habet *lib. cit. cap.* LXXIIX. *Calfaciendi, molliendi, diffundendiq́; vi pollet. Vtiliter quoque suffimentis inseritur*, &c.

Plinius libr. XII. *cap.* XV. *Myrrham satiuam* quoque recenset, eamque cæteris præstare autor est. *Arbusculam* verò ita describit: *Satiua quoque prouenit, multum syluestri prælata. Gaudet rastru atq́; ablaqueationibus, melior radice refrigeratâ. Arbori altitudo ad quinq́; cubita, nec sine spina caudice duro & intorto, crassiore, quàm thuris, & ab radice etiam quàm reliquâ sui parte. Corticem læuem, similemq́; vnedoni: scabrum alii spineumq́; dixêre. Folium oliuæ, verùm crispius & aculeatum. Iuba olusatri. Aliqui similem iunipero, scabriorem tantùm spinisq́; horridam, folio rotundiore, sed sapore iuniperi. Nec non fuerunt, qui è thuris arbore vtrumq́; nasci mentirentur. Myrrhæ* autem genera complura eius-modi commemorat ibidem *cap.* XVI. nimir. *Troglodyticam, Minæam, Dianitim, Collatitiam*, vel à conferendo, contribuendoque, vel à colando dictam, vt volunt interpretes, itemque *Sembracenam, Dusaritin*, &c.

Ioan. Iac. W*eckerus libr.* I. *Antidotar. special. de gummat. & resin. cal.* valdè dubitat, an vera *Myrrha* ad nos afferatur: impugnatque eos, qui *styracem liquidam*, quâ officinæ vtuntur, stillatitium *Myrrhæ* liquorem esse perhibent, qui *Stacte* veteribus dicebatur. *Storacem* enim *liquidam* factitium potius quiddam videri, ait. Idem asserit ex *Galeno libr.* I. *de Antidot. cap.* II. *Myrrham* transmutari in *Opocalpasum*, tam figurâ, quâm venenatâ qualitate, quia id inter venena refertur; quemadmodum *Galbanum* mutatur in *Sagapenum*, & *Cassia* in *Cinnamomum*. Sic autem de mirabili ista mutatione *Myrrhæ*, antidoti contrà venena admodum efficacis, in *Opocalpasum*, efficacissimum scil. venenum, ibidem: *Hanc itaq́;* (ait) *transmutationem Myrrhæ in Opocalpasum, anteà non à me visam, fateor, primum Imperatum mihi monstrâsse. Quanquam autem non vbiq́; verum Opocalpasum ad manus sit, cum quo Myrrha conferri posit, nihilo-minus, si in Myrrha animaduerterimus multas esse glebas diuersas admodum, quoad odorem & saporem, differentes à vera, non absq́; ratione iudicabimus, eam mutatam esse in Opocalpasum. Nam etsi tàm dolore, quàm substantia repræsentet speciem præstantissimæ Myrrhæ, cum venulis quoq́; interioribus albis, instar vnguium, tamen, qui diligentiùs eam examinauerit, non habebit amplius Myrrham: apparent tamen puncta quædam rubescentia & lucida. Et cum non sit Myrrha, quamuis primo intuitu esse videatur, statuatur esse succus iste per transmutationem ex Myrrha factus Opocalpasum. Vndè diligenter est aduertendum, ne, dum Myrrham probam existimemus nos accipere, similitudine hac decepti, eligamus hoc venenum, quod antiquis temporibus ad ocularia medicamenta vsurpabatur, propter facultatem consumendi saniem, & quia initiò suffusiones curabat, quanquàm intrà corpus veneuatum planè esset. At certè magna vis est naturæ, quòd rem quandam ita efficacem contrà venenum, transmutet in perniciosissimum venenum.*

Nihil verò aliàs magis cum *Myrrha* conuenit, quàm *Bdellium*. Id enim virtute simul internâ *Myrrham*, eiusque qualitates, exprimit, prout legere est, apud *Dioscoridem, libr.* I. *cap.* LXXX. De vtriusque autem similitudine ità porrò W*eckerus*: *Myrrha & Bdellium, quæ in vsu habentur, tàm similia inter se sunt calore, & sapore, & substantiâ, vt communiter omnes vtrumq́; idvnam speciem faciant.*

Poëtæ, Myrrham Cinyræ, Cypriorum Regis, filiam fuisse fabulantur. E quibus, ingeniosissimus *Ouidius libr.* x. *Metam.* eam obscœno ac nefando patris amore captam fuisse

Ttt recenset.

recenset. Quæ cum nutricis vetulæ malitiâ (quod genus hominum horrenda atq; diabolica quæque patrare, autor est *Æneas Syluius*, his in versiculis:

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Effrenis Monachus, plenaq; fraudis Anus:

astipulante quoque *nobili Poëta Georg. Sabino* comment. in præfatum *libr. x. Metam. Ouidii*) aliquot noctibus horrendo patris concubitu, re omni callidè dissimulatâ, indulsisset, lumine tandem in cubiculum allato agnita, intempestâ nocte, ne à patre illicò occideretur, elabi coacta fuit. Quæ cum in *Arabiam* profugisset, in arborem sibi cognominem transmutata, adeoque grauida partum sceleratum è medio arboris trunco inter dehiscendum enixa fuit, qui *Adonis* dictus, quem *Venus*, incestuosa mater, postmodum deperiit. Verba *Poëtæ*, quibus *Myrrha* apprimè describitur, non pigebit adscribere; sic autem de *Myrrha* transmutatione *libr. x. Metam.* legitur:

—— vltima certè
Vota suos habuêre Deos: nam crura loquentis
Terra superuenit, ruptosq; obliqua per vngues
Porrigitur radix, longi firmamina trunci,
Ossaq; robur agunt, mediâq; manente medullâ,
Sanguis it in succos, in magnos brachia ramos,
In paruos digiti, duratur cortice pellis.
Iamq; grauem crescens vterum præcinxerat arbor,
Pectoraq; obruerat, collumq; operire parabat.
Non tulit illa moram, venientiq; obuia ligno
Subsedit, mersitq; suos in cortice vultus.
Quæ quanquam amisit veteres cum corpore sensus,
Flet tamen, & tepidæ manant ex arbore guttæ:
Est honor & lacrymis, stillataq; cortice Myrrha
Nomen herile tenet, nulloq; tacebitur æuo.

Quidam *Adonidem Priapi* patrem, hunc verò è *Myrrha* & *Thiante* natum esse perhibent, vt *Lycophron*.

Natal. Comes libr. V. *Mythol. cap.* XVI. fabulam *Myrrhæ*, secundùm *Ouidium*, ità explicat: *Hominum* (inquit) *fabulas magis ad mores, Deorum ad physicas rationes, spectare diximus. Hoc autem, quæ sit flagitiorum & libidinum conscientia declarat, quantoperè vel metu, vel pudore antè actorum scelerum scelerati, conscientiaq; exagitentur: & qualia sint mortalium vota, cùm quid parum honestum à Diis impetrare contendimus. Nam qui votorum compotes facti fuerunt aliquando, tum demum intelligunt, quàm absurda, vel turpia, vel damnosa, vel iniqua, & impia cupierint: quæ, antequam consequerentur, se infelices & miseros exclamabant.* Et sub finem ibidem addit: *Ità enim sub his fabularum figmentis vniuersas propè res antiqui declarârunt, non minus sapienter, quàm Platonici, aut Peripatetici.*

Hæc de *Myrrha* obiter, atque in genere.

Iam, quod propriè ad facultates *Myrrhæ* attinet, ea inter amarissima quæq; enumeratur, adeò vt in potionibus aut decoctis ob id assumi vix possit. Commodissimè quapropter in pilulas redigitur, sicut *Aloë*.

Sunt enim *Aloë*, *Myrrha*, & *Gentiana*, medicamentorum amarissima. Hinc, inter alia, *Myrrhæ* præcipua virtus est, vt cadauera mortuorum incorrupta seruet; sicut in conditis cada-

dis cadaueribus præcipuo loco venit. *Iosephus Arimathianus* vnà cum *Nicodemo* afferebat *Myrrhas*, ad sepultutam D.N. IESV CHRISTI, prout est apud *Euangel. Ioan. cap.* XIX. *v.* XXXIX. *Oleum Myrrhinum* olim, tanquàm sanctissimum, adhibebatur ad cultus diuinos apud *Hebræos*, zum heiligen Salböl: vt est *Exod. cap.* XXX. *v.* XXIII. Eodem irrigabantur vestes quoque Regiæ, *Psalm.* XLV. *v.* IX. Contrà, eodem meretriculæ insuper abutebantur, vt coràm amatoribus bene olerent, *Prouerb.* VII. *v.* XVII. Sic iuuenculæ, quibus operam dabat rex *Abasuerus* (aliàs *Xerxes*) sex menses *Oleo myrrhino* perfundebantur, antequam ad concubitus Regis venirent, *Esther.* II. *v.* XII.

Propertius caput ac crines *Oleo myrrhino* quoq;, odoris gratiâ, perfundit, *lib.* I. *Eleg.* II.

Quid iuuat ornato procedere, vita, capillo
Et tenues Coâ veste mouere sinus?
Aut quid Orontheâ crines perfundere Myrrhâ! &c.

Amaritudinis verò ratione (siquidem amara calida) *Myrrha* menstrua ac partus ciet. Hinc, autore *Rhasi*, *Trochisci de Myrrha* originem ducunt, qui menstrua prouocant, passionesque sedant, quales ex retentione mensium oriuntur. Eorum autem descriptionem hanc suppeditat *Val. Cordus*:

℞. Myrrhæ. ℥ iij.
Lupinor. ℥ v.
folior. rut.
mentastr.
puleg. ceruin.
rub. tinctor.
ass. fœtid.
sagapen.
opopan. an. ℥ ij.
succ. artemis. f. s. a. *Trochisci*.

Quandoquidem ergo, teste Medicorum scholâ, *Myrrha* menses & partum cieat, tantùm abest, vt libidinis stimulum excitare propriè queat, vt potiùs abortum oppido, &, propter amaritudinem ei peculiarem, fastidium, nauseamque oppidò causset. Non liquet ergo, quomodo huius PETRONIANI fragmenti fides seruari possit sarta tecta. Nisi quis *Myrrham* hoc facere statuat, quia calfaciendi, aperiendiq; vi prædita est, sicut etiam *Piper* est, quod similiter ad Veneris incitamentũ valet. Sed nimis amara est *Myrrha*. Idem *Aloë* facit, menses partusq; euocat, venasq; aperit. Quis verò ex *Aloë* pocula fecit, aut illud ad Veneris lasciuiã prodesse edixit? At, forsan lasciuiæ consulatur, sicubi meretrix poculo abortionis assumpto, priorem fœturam euocet, quo deinceps eo liberius Veneri suæ sacrificare possit? Sed neque semper abortus fiunt violentâ proritatione absque periculo, fœtu præsertim existente iam viuo atque grandiori. Vel sic, vt femina assumpto eius-modi prius abortiuo, tum demum lasciuius mari se subiiciat, secura, ne denique *Lucinâ* opus habeat, si modo hoc loci poculum pro ipso pharmaco intelligẽdum sit, prout apud *Quintilianum, Declamation.* XIII. & XIV. dissèritur super poculo odii, quod veneficio conflatur. Eodem pacto *philtra*, vel *Amoris pocula*, itemque *pocula abortionis* accipiuntur pro ipsis medicamentis, eius-modi effectum caussantibus. *Hadrian. Iun. Medicus* Hornanus *libr.* V. *Animaduers. cap.* XIX. mendam in textu subesse suspicatus, pro *myrrhino poculo* intelligit *myrinum*, id est, *murinum*, à *myro*, non à *myrrha*, cuius admistione amaresceret: cùm fuerit potio delicata, & ganeæ propria.

 Verius

Veriùs & rectiùs, nostrâ quidem sententiâ, *Plinius Natur. histor. lib.* XXXVII. *cap.* II. PETRONII nostri & *Trullæ murrhinæ* commeminit, quam ipse confregerat moriturus, inuidiâ ergà *Neronem*. *Titus Petronius Consularis* (inquit) *moriturus inuidiâ Neronis Principis, vt mensam eius exhæredaret, trullam murrhinam* CCC. HS *emptam fregit.* Quæ propius propriusque videntur facere ad sensum fragmenti PETRONIANI. Præter enim, quod idem *Plinius lib.* IX. *cap.* XXIV. *Murices*, siue *Echeneides* pisces, amatoriis veneficiis infames esse scribit, *libr.* XXXVII. *cap.* II. clariùs insuper de gemmis & triumpho *Pompeii Romam* translatis, de natura *Crystalli*, & medicinis luxuriâque circà ea differens, quando & quo tempore primùm inuenta sint *Murrhina*, & luxuria circa ea, & quæ natura sit *Murrhinorum*, conceptis verbis ità enunciat: *Eadem* (habet) *victoria primùm in vrbem Murrhina induxit; primusq; Pompeius sex pocula ex eo triumpho Capitolino Ioui dicauit: quæ protinus ad hominum vsum transiêre, abacis etiam escariisq; vasis indè expetitis. Excrescitq; indies eius rei luxus, Murrhino octoginta sestertiis empto, capaci planè ad sextarios tres calice. Potauit ex eo antè hos annos Consularis obroso eius margine, vt tamen iniuria illa pretium augeret: neq; est hodie Murrhini alterius præstantior indicatura. Idem in reliquis generis eius quantum vorauerit, licet existimare ex multitudine, quæ tanta fuit, vt auferente liberis eius Nerone Domitio, theatrum peculiare trans Tyberim hortis exposita occuparent: quod à populo impleri canente se, dum Pompeiano præludit, etiam Neroni satis erat: qui vidit tunc annumerari vnius scyphi fracta membra, quæ in dolorem credo seculi, inuidiamq; fortunæ, tanquam Alexandri Magni corpus in conditorio seruari, vt ostentarentur, placebat.* Et subiungit præcedentibus modo allegata: *T. Petronius Consularis moriturus inuidiâ Neronis Principis, vt mensam eius exhæredaret, trullam murrhinam trecentis sestertiis emptam fregit. Sed Nero, vt par erat Principem, vicit omnes, trecentis sestertiis lapideam vnam parando. Memoranda res, tanti Imperatorem, patremq; patriæ, bibisse. Oriens murrhina mittit. Inueniuntur enim ibi in pluribus locis, nec insignibus, maximè Parthici regni: præcipuè tamen in Carmania. Humorē putant sub terra calore densari. Amplitudine nusquàm paruos excedunt abacos: crassitudine rarò, quanta dictum est vasi potorio. Splendor his sine viribus, nitorq; verius, quàm splendor. Sed in pretio varietas colorum, subinde circumagentibus se maculis in purpuram candoremq;, & tertium ex vtroque ignescentem, velut per transitum coloris purpurâ rubescente, aut lacte candescente. Sunt, qui maximè in iis laudent extremitates, & quosdam colorum repercussus, quales in cœlesti aqua spectantur. His maculæ pingues placent: translucere quicquam, aut pallere vitium est. Item sales, verrucæq; non eminentes, sed vt in corpore etiam plerumq; sessiles. Aliqua & in odore commendatio est.* Hæc prolixè satis *Plinius* de *Murrhinis*, earum natura, præstantia, luxuria, atque vsu & tempore, è quibus *Neroni* atque *Imperatoribus* aliis pocula facta fuerint, quæ omnia videntur cum mente PETRONII coincidere.

Etsi igitur de *Myro*, eiusque delicata potione apud *Hadr. Iunium* (pace tanti viri) suspicio sit pro *Myrrha*: etsi quidam etiam in fabula *Myrrhæ* atq; *Adonidis* afferant: *Ideo Venerem amasse Adonim, quòd hoc genus pigmenti* (de *succo Myrrhæ* loquendo) *sit valde feruidum*: nam & *Furium*, *Comœdiarum* scriptorem, inducere asserunt, *Glyconem* meretriculam dicentem: *Myrrhinum mihi affers, quo virilibus armis occursem fortiuscula*: quod idem asserunt *Nicander*, *Planciades*, & *Posidonius*: Ego nihilo-secius tamen caussam non inuenio, quo pacto *Myrrha*, ob insignē sui amaritudinē, ad delicias, voluptatemq; Venereā adhibeatur: A femina enim pota, prout suprà dictū, magis abortum caussat, prolificationi obest, & dolores molestiasq; parit. Mares autem, inprimis luxuriosissimum *Neronem*, eius generis poculis, ob summam amaritudinem, atq; insuauitatem, abstinuisse, credibile fit, præsertim cùm *Plinius libr.* XXXVII. *cap.* VII. de *Murrhinis* poculis, *Neroni* eo

tempore

tempore familiaribus tàm clarè, prolixeque disputet satis; quæ omnia, meâ quidem opinione, non possunt non PETRONIVM emendare, vt facilè menda in synonymis irrepsisse possit.

Quando quidem itaque *Plinius*, rerum naturalium, si quis alius, scriptor diligentissimus, inprimis *Neroniani* istius seculi gnarissimus, ne verbo quidem, inter infinitas alias res physicas, mentionem peragat *Myrrhini* poculi: contrà verò *Murrhina* tàm prolixè accuratéque describat, è quibus ad luxuriam *Nero* pocula parata habebat: cùm è *Myrrha*, tanquam resina, aut lacryma, propter insignem amaritudinem, pocula ingratissima fieri arbitrandum omninò sit, restat, vt pro *Myrrhino* poculum *Murrhinum* legamus. Quid quod è *Myrrha*, tanquàm lacrymâ, vix fit vasculum, poculumque, qualia è *Crystallo*, aut *Electri*, *Succiniq;* generibus fieri amat, &c. si maximè fieri possit, ingratissimus certè eius poculi esset sapor, qui omnem gustus voluptatem retunderet. Imo etiam arbuscula, vndè *Myrrham* profluere, aut stillare, aiunt, rantæ molis vix est, vt ad vasa & pocula inseruiat, vt eo minus lacrymæ eiusdem magnitudinem eam esse putamus, ex qua scyphi & pocula concinnentur. Itaque frustrà est, vt de *Myrrhinis* poculis solliciti simus, cum *Murrhina* apud *Neronem Imp.* post victorias *Pompeianas* in vsu & deliciis fuisse, ex *Plinio* persuasissimum habeamus.

Interim tamen *Myrrhas*, Græcis μυῤῥινά, quæ ex *Myrrho* sunt, leguntur apud *Calepinum*; quo facit autoritas *Propertiana*:

Myrrheaq; in parcis pocula cæca focis:

sed non additur, ea ad libidinis æstrum adhiberi. Idem Myrrhina vocat, quæ *Myrrham* habent admistam, vel *Myrrhâ* condita sunt: v. gr. *Myrrhina vina*, quæ *Myrrhâ* condiuntur. Peramari autem saporis ista vina esse necesse est. Cuius-modi D. N. CHRISTO Seruatori, ad locum Crucis deducto, & iam suffigendo innocentissimè, milites-carnifices propinâsse, DOMINVM vero recusasse, autor est *D. Marcus Euang. cap.* XV. v. XXXIII.

Hûc referri possunt insuper *Myrrhapia*, vel, secundum *Plinium*, *Myrapia*, siue μυράπια, genus pyrorum, quod odorem reddit gratissimum. Eius modi ferè est *Myrrhis Myrrhidis*, siue μυῤῥίς, genus oleris, cicutæ simillimum, foliis aliquanto minoribus, & caule breuiori, saporis & odoris iucundi: quod vulgares herbam *Cicutariam* vocant. *Myrrhites* denique, μυῤῥίτης, gemma est, quæ *Myrrhæ* colore prædita vnguenti odorem habet, teste *Plinio libr. vlt. cap.* x.

Quicquid igitur de *Myrrha*, eiusdemque poculis statuatur, producaturque, vix verisimile euadet, *Trimalcionem*, id est, *Neronem*, *Imp.* lasciuissimum, de cuius vitiis potissimum agit *Petronius*, *Myrrhino* poculo, vel è *Myrrha* condito, vsum fuisse ad Venerem; cum non nisi exquisiti pretii, qualia *Murrhina* erant, vasculis, imo ad palatum & gulæ voluptatem excogitatissimis vsus sit *Tyrannus*, adeo luxui extremè deditus, vt *sceptra, & personas, & cubicula viatoria vnionibus construeret*, referente *Plinio lib. nat. hist.* XXXVII. *cap.* II.

Superpondii igitur, videatur super hoc loco *P. Bellonius, obseruation. memorabil. libr.* II. *cap.* LXXI. qui ingentem *Murrhinorum* vasorum copiam in *Cairo* à mercatoribus publicè venalem proponi, scribit. Ea, addit, à *Gallis* nouo nomine *Porcellanas* appellari, à conchylii genere. (*Latini Muricem* dicunt) quod *Galli Porcellanicam concham* vocant. *Muricem* autem arbitratur voci *Murrhina* satis respondere. Similiter *Garcias ab horto Aro-*

Ttt 3 *mat.*

Eadem *Latonia* appellatur *Virgilio libr. ix. Æneid:*

> *Suspiciens alta Lunam sic voce precatur:*
> *Tu Dea, tu præsens nostro succurre labori*
> *Astrorum decus, & nemorum Latonia custos.*

Eadem *Diana* dicitur, quæ cum *Apolline* fratre in *Delo* genita sit, teste *Cicerone libr. ii. de natur. Deor. & Corn. Tacito libr. iii. Annal. Homerus*, in *hymno Apollinis, Dianam* cum *Apolline*, à *Ioue* & *Latona* genitos esse canit. Alii eam *Cereris* filiam, vt *Æschylus*, alii *Coei Titanis*, & *Phœbes* dixerunt. Eadem autem *Diana*, vel *Venatrix* dicitur, quod, cum mares omnes, cane peius & angue, odisset, idque, quia viderat, quæ *Latona* mater passa fuisset, cui *Apolline* genito obstetricata fertur, à *Ioue* patre perpetuam virginitatem exorauit, teste *Callimacho*. Fertur autem obstetricis munere apud matrem *Latonam* functa esse, nascente *Apolline*, quod antè *Apollinem*, eodem licet partu, nata esset, autore *Cicerone libr. ii. de nat. Deor. Iupiter* itaque ipsi *venationibus, viisque* ac *portubus* præesse, *arcus* prætereà, *sagittas*, ac *puellas* comites dedit, referente eodem *Callimacho*. Hinc *Venatrix* dicta, quod in syluis perpetuo cum *Nymphis* sociis degens, marium consortium fugeret. Eleganter *Horatius libr. iii. Carmin.*

> *Montium custos, nemorumq́; virgo,*
> *Quæ laborantes vtero puellas*
> *Ter vocata audis, adimisq́; letho*
> *Diua triformis.*

Callimachus Dianæ currum à *ceruabus candidis* trahi autor est. *Panagæa* etiam olim dicebatur *Diana* is, qui peregrinationem immensius amabat, atque errabundus erat. *Diana* enim *Poëtis* vagari dicitur, ac per nemora & montes oberrare. Eadem domicilium subindè mutare dicitur, modo apud Superos, modo apud Inferos agens. Ne specie quidem semper eadem, sed nunc pleno orbe, nunc mutila, nunc nulla. Vide *Des. Erasm. Chil. ii. Cent. ix.*

Eadem *Dictynna* vocata est quoque ἀπὸ τοῦ δικτύου, id est, à rete, quod retibus venatoriis gauderet: Sic *Ouidius libr. ii. Metam.*

> *Ecce suo comitata choro Dictynna per altum*
> *Mænalon ingrediens, & cæde superba ferarum*
> *Aspicit hanc* ——

Eadem Græco nomine ἰοχέαιρα dicta, quod sagittas amaret, ferasque sectaretur, vt est penes *Hesiodum in Theogon.*

Eadem *Lucina* appellatur, quod parturientibus præesse crederetur, à *luce* nimir. qua recens natos donat. Qua occasione intelligebat, quantam malorum segetem effugisset, virginitatem experendo. Græci εἰλείθυιαν vocant, *Latini Lucinam*, quod nascentia omnia in lucem produceret. Hinc *Callimachus:*

> *Vrbes accedam solum ac sub tecta virorum*
> *Pressa dolore graui nisi cum me femina partus*
> *Auxilio arcesset.*

Ei grauidæ puellæ, quibus vterus intumuisset, vt *zonâ* consueta vti amplius nequirent, *zonam* de more, in templo *Dianæ*, soluebant apud *Athenienses*, vnde *Diana* [illegible] dicta. *Zonam* itaq; soluere nihil aliud erat, quàm grauidam esse, teste *Apollonio* [illegible] dem *zonæ* dicabantur grauidarum, prout *Veneri* corona in *Nuptiis*, teste *Agat*[illegible] *Piscatoribus* præcessò celebratur apud *Apollonidam.*

F[illegible]

Fabulantur *Poëtæ* pro sacrificiis huic Deæ *boues* fuisse immolatas. *Horatius Verrem* ipsi mactat. *Ouidius* verò *candidam* ei *ceruam* assignat.

Cognomina porrò, vel epitheta *Dianæ* multiplicia sunt, à locis & templis, in quibus colebatur: scil. *Tauropola*, vel *Taurica*, *Persica*, *Minthia*, *Pergæa*, *Ephesia*, *Epione*, *Forensis*, *Orthosia*, *Istria*, *Hegemache*, *Isora*, *Limnæa*, *Lycea*, *Lucifera*, *Patroa*, *Pheraa*, *Propylæa*, *Leucophryne*, *Orthia*, *Suadela*, *Sospita*, *Saronia*, *Salaminia*, *Hegemona*, *Hemeretia*, *Callista*, *Cnacalysia*, *Agrotera*, *Elaphiaa*, *Condyleatis*, *Aphæa*, *Hymnia*, *Agrestis*, *Pyronia*, *Laphria*, *Euclea*, *Stymphalia*, *Triclaria*, *Sciaditis*, *Philomirax*, *Chryselacate*, *Sacrificula*, *Cordace*, *Lycoatis*, *Lymnea*, *Iaculatrix*, *Venatrix*, &c.

Variæ itidem nationes variis ipsam coluerunt nominibus. *Cretenses Dictynnam*, *Thraces Vpim*, *Arcades Orthosiam*, parturientes verò *Lucinam* tantum nominabant, referente *Natal. Comite Mythol. libr. III. cap. XIIX.*

Eiusdem autem *Dianæ Templum* famosissimum, quod incendente *Philostrato*, conflagrauit, ità describit *Natalis*: *Habuit* (Diana) *celeberrimum omnium Templorum & augustissimum Ephesinum, quod totius Asiæ studio ducentis & viginti annis architecto Chersiphrone fuerat ædificatum, cuius erat longitudo pedum quadringentorum & quinq; ac viginti, latitudo ducentorum & viginti, in quo fuerant centum & viginti septem columnæ a totidem Regibus erectæ, admirabilis longitudinis ac pulchritudinis: nam ad sexaginta pedum mensuram accedebant, quarum triginta sex fuerunt incredibili artificio, & magnificè cælatæ, cum aptis tanto artificio columnarum epistyliis. Aderant & picturæ mirificæ, & pulcerrimæ statuæ magnificentia eius templi conuenientes. Quæ omnia ab Herostrato, viro Ephesio, incensa fuerunt, vt hac ratione, cùm ingenii præstantiâ non posset, sibi perpetuitatem nominis compararet. Illud autem incendium accidit circiter Idûs Sextilis, quo die natus est Alexander Macedo, cognomento Magnus, vt ait Plutarchus in eius Vita. Ne poriretur autem Herostratus re per tantum scelus optatâ, sanxerunt Ephesii, proposito grauissimis supplicus, ne quis in posterum Herostratum nominaret.*

Pausanias, alatam fuisse *Dianæ* imaginem apud *Elaos*, quæ dextrâ *Pardum*, sinistrâ *Leonem* porrigeret, scripto annotauit.

Cæterùm, ad *Lunam* reuertentes, *Alcman Poëta Lunam* vxorem *Aëris* esse tradidit, è quo *Rorem* filium genuerit. Hinc illud:

Aëris & Lunæ soboles Ros gramina nutrit.

Eadem ferè significatione prisci *Lunæ* filiam natam esse prodiderunt, *Ersam* nomine, à *Ioue* conceptam, qui *Græcis Ros* dicitur, teste eodem *Alcmane*.

Eadem *Luna Cynthia* dicitur *Horatio libr. III. Carmin.*

Tu curuâ recines lyrâ
Latonam, & celeris spicula Cynthiæ
Summo carmine ——

Eadem *Mas* & *Femina* dicta fuit; vnde ipsi à maribus sacrificabatur veste muliebri; à mulieribus contra virili habitu indutis: autore *Philochoro*.

Eadem, *Luna* inquam, veneficiorum præses inuocata fuit à sagis, vnà cum *Hecate*; teste *Senecâ, in Hippolyto*: de quo aliâs diximus.

Inter cæteras verò fabulas, quas *Poëtæ* prisci de *Luna* reliquerunt, *Luna Endimyonem* dormientem in *Latmo*, *Cariæ* monte, adamâsse, atque cum eodem congressa esse scribitur, teste *Catullo*:

Vt Triuiam furtim sub Latmia saxa relegans
Dulcis amor gyro deuocet aerio.

Sss 3 Quam

Quam fabulam aspergit quoque *Ouidius* in *Epistola Leandri ad Heronem*, &, inter recentiores, *P. Lotichius Secundus*, meus, *libr.* I. *Eleg.* V. vbi ita ad *Lunam:*

Fallor? in occulto te pastor Latmius antro
Continet, oblitam scandere rursus equos?
Deliciasq; facis molles, & sedula curas;
Dum roseas illi stat sopor ante genas.

Hinc, *Pausaniâ* autore, *Luna* ex *Endimyone* filias, præter mares, quinquagintâ suscepisse fertur.

Admiratione autem non vacat, quòd *Zenophanes* olim in *Luna* locum esse multarũ vrbium prodidit. Ad cuius imitationem fallor? an *Kepplerus*, Mathematicus huius seculi celebris, statuit; nouum in orbe *Lunæ* orbem, seu mundum esse, maria item ac lacus nauigabiles haberi, vnde aliquando etiam *homo Lunaris* fortè decidisse notatus sit, nescio quis, & vbi?

Quo pacto autem enarratæ de *Luna* fabulæ sano intellectu accipi debeant, explicat *Natal. Comes libr.* III. *Mythol. cap.* XVII. & XIIX. ad finem.

Intereà, quantum denique ad PETRONIANVM illud facit:

Triplici vides vt ortu
Triuia rotetur ignis:

facilè colligere est, ea verba varias *Lunæ* mutationes, ortus, incrementa, atque interitus significare. Iam enim *Luna falcata*, quæ falcem, iam *cornuta*, quæ cornua referat, iam crescens, iam decrescens, iam plena, iam dimidiata vocari consueuit. Eius autem incrementum decrementumque ad *Solem* refertur, cuius lumine, non proprio suo, vt suprà dictum, radiat. Quod eleganter innuit *M. Tullius in Somn. Scipion. apud Macrobium.: Ex quibus* (inquit) *ea erat minima, quæ vltima cœlo, citima terris, luce lucebat alienâ. Hæc Solis discipula, obsequitur cursibus supernis, &, prout accedit ad Solem, vel recedit à Sole, crescẽs aut senescens, dispensat lumen, ideoq; semper est instabilis.* Quæ paulò luculentius exponit *Macrobius: Luna* (inquit) *dispensationibus septenariis luminis sui vices sempiternâ lege variando disponit. Primis septem diebus dimidiata semi-orbem ostendit, Græcoq; sermone διχόμηνον, & διχότομος vocatur, quasi dimidia. Secundus totum orbem complet, fitq; plenilunium, quod Græci πανσέληνον vocant. Tertius rursus διχότομος efficitur. Hinc plenilunium, quod est, quum Luna quinta decima, & rotunda est, Soliq; ex diametro opponitur.* Cum quibus coincidunt, quæ *Plinius* habet *libr.* XIIX. *Quum verò* (inquit) *occidente Sole orietur* (scilicet Luna ex aduerso) *ità, vt pariter aspiciantur, tunc erit plenilunium. Interlunium, quum apparére desierit, & noua fit, & coëunte, vel silente Lunâ. Vnde Lunæ coniunctio dicitur dies silentis Lunæ Luna vigesima, pro vigesimo die post nouam Lunam.* Idem *libr.* II. *cap.* XCVII. *Æstus idem triduo in mense consistit, septimâ, octauâ, nonâq; Lunæ.*

Huc quadrat fabula illa, quâ veteres commentati sunt, *Lunæ* aptam tunicam confici, aut indui non posse, cùm tantæ sit variationis, vt in diem, imò etiam in horas mutetur. Hinc *Natal. Comes lib.* III. *Mythol. cap.* XVII. *Ad exprimendam* (tradit) *Lunæ naturam, siue ingenium multorum mortalium, qui mutantur in horas, fabulati sunt antiqui, Lunã orauisse matrem, vt sibi aptam tunicam contexeret, quæ respondit, nullâ ratione istud fieri posse, cum nunc plena sit, nunc in cornua curuata nunc vtrinq; gibba. Quare modò crescenti tunica disrumperetur, modò decideret è gracili corpore.* Eandem ob rem vestes quoque *Luna* fertur variorum colorum induere. Quo ipso prisci *Philosophi* indicare voluerunt, varias atque multiplices eiusdem mutationes. Quo alludit appositè *Seneca*, Tragicorum acutissimus, in *Hippolyto:*

Regina

Regina nemorum, sola quæ montes colis,
Et vna solis montibus coleris Dea,
Conuerte tristes omnium in melius minas,
O magna, syluas inter & lucos, Dea,
Clarumq; cœli sydus, & noctis decus,
Cuius relucet mundus æternâ face,
Hecate triformis: en! ades cœptis fauens?
Animum rigentem tristis Hippolyti doma, &c.

Cur autem *Triuia*, vel *Triformis*, dicatur, explicat rectè *Farnabius in notis ad Senecam: Est enim* (inquit) *in cœlo Luna, in terris Diana, apud inferos Proserpina. Vel* τρίμορφος *&* τρικέφαλος, *à trina facie, cùm surgit, aut desinit in cornua, cum diuidua est, cum plena. Vel Triuia, à triplici cursu sub Zodiaco, secundùm longitudinem, latitudinem, & altitudinem. Triuiis etiam præesse fertur. Referunt alii ad tres decades mensis* ἱσταμένου, μεσοῦντος, φθίνοντος. Hæc *Farnabius.*

Olim in triuiis *Hecaten* venerabantur, quòd eadem tribus nominibus vocetur, scil. *Luna, Artemis,* & *Hecate.* Sub Nouilunium autem diuites mittebant cœnam vespere, veluti cœnam *Hecatæ* in triuiis. Pauperes autem esurientes diripiebant, deuorabantque, quæ erant apposita, dicentes, quòd *Hecate* comedisset. De quibus videndus *Aristophanes in Pluto*, eiusque interpretes. Cæterùm, veteres cœnam perparcam, atque impendio frugalem, *Hecatis cœnam* appellitabãt, quòd vmbræ apud inferos tenuissimo victu, minimoq; cibo, eoq; contemptissimo, victitarent, iuxta *Poëtarũ Theologiam.* Vmbræ enim plebeiæ *maluâ & porro* victitant. Hinc *Hecati Mænides* ac *Triglydes* pisces, alioquin contemptissimi, in deliciis habentur. *Athenis* quoque locus fuit *Trigla* dictus, vbi *simulacrũ Hecates Triglatinæ.* Alii *Triglam Hecati* sacram dicunt, ob nominis rationẽ à ternione dicti, cùm triformis sit *Hecate*: de quibus consule *Desid. Erasm. Chil.* I V. *Cent.* V. XI. & *Scaligerum in Catal. comment. ad Priap.* Quid? quòd apud *Inferos Terniones* adeo honorati erãt, vt *Hecati* sacri essent, cui iccircò etiam *Trigla piscis* sacrificabatur. Eiusdem idolum in triuiis igitur ponebatur. Hinc illud *Poëtæ*:

Tergeminamq; Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Ouidius verò *libr.* XV. *Metamorph.* de inconstantia & varietate *Lunæ*, quam *Dianam nocturnam* vocat, sequentibus succinit.

Nec par, aut eadem nocturnæ forma Dianæ
Esse potest vsquam, semperq; hodierna sequente,
Si crescit, minor est, maior, si contrahit orbem.

Quod deníque ad *Hecaten* spectat, ea filia *Persæ, Solis* filii, proditur, autore *Dionysio Milesio*, quæ triformis dicitur, atque eadẽ est cum *Luna.* Dicitur autem ἑκάτη, aliis qu. ἑκάστη, quòd singulorum curam ac prouidentiam gerat. Aliis ab ἑκατὸν est, quòd cẽtena, id est, multiplici atq; infinitâ potestate valeat. Aliis etiã ἑκατὸν est, quòd centum annos vagari patiatur eorũ vmbras, quorũ corpora non sint sepulta. De eiusce autẽ *Hecates* cum *Luna* conuenientia, quòd eadem sit *Hecate*, quæ *Luna*, sic eleganter edisserit *Raphaël Regius Comment. in libr.* VII. *Ouidii Metam. Pleriq;* (inquit) *eandem* (scil. *Hecaten*) *cum Proserpina ac Luna faciunt, eoq;* ἑκάτην, *quasi quæ* ἑκὰς, *hoc est, longè à nobis distet, vocatam volunt. A Poetis autem etiam Triformem inde & Tricipitem dici putant, quoniam Luna modò plena luceat, modò obscura tegatur, aliquando partim luceat, partim obscura sit, & rursum nunc in cœlo appareat, nunc apud inferos prematur, interdum circà syluas ac montes vagetur, vnde etiam nomina illi*

subinde

subinde alia atq; alia esse, ità vt nunc Luna, nunc Proserpina, nunc Diana dicatur. Sed mihi addi: Triformis Hecate inde potissimum dici videtur, quod illi compita, ac triuia antiquitus dicata fuêre, in quibus & sacrificia menstrua illi fiebant, quas Hecates cœnas vocabant, vt ex Pluto Aristophanis apparet: & statuæ triformes, siue tricipites eidem consecrabantur. Hinc Ouidius alibi dicit:

Ora vides Hecates in tres vergentia partes,
Seruet vt in ternas compita secta vias.

Quanquam Orpheus, aut quisquis is fuit, in Argonauticis, etiam ipsam Deam tria capita habere dicit, Hominis videlicet, Equi, & Canis. Hæc *Rhegius*; quæ ARBITRO nostro haud paruam lucem largiuntur, cum triceps *Triuia* triplici etiam ortu rotetur. Vide de prosapia, & parentibus *Hecates*, imò eiusdem cognominibus, atque aliis id genus pertinentibus, præfatum *Rhegium* ad *Ouid. libr. VII. Metamorph.* vbi *Poëta* de *Hecate* hunc in modum.

Ibat ad antiquas Hecates Perseidos aras,
Quas nemus vmbrosum, secretaq; sylua regebat:

Quo loci aræ pro templo veniunt, vt interpretatur *Iac. Micyllus in notis ad Ouidium.*

Caput XX.

M*Yrrha* genera, & qualitates excutiuntur. Eius admiranda mutatio in *Opocalpasum*, quod est venenum. Similitudo cum *Bdellio*. *Myrrha* cum *Cinyra* patre concubitus ex *Ouidio*. *Adonis* e *Myrrha* natus. Eius fabulæ interpretatio. *Myrrhæ* amaritudo singularis. Ad condienda cadauera perutilis. *Olei myrrhini* vsus tum ad sacra, tum profana. *Myrrha* partus & menstrua ciet. Hinc *Trochisci de Myrrha* in officinis. E *Myrrha* ideircò potius *abortionis poculum*, quam ad libidinem paratur. Legendum itaque, pro *Myrrhino*, poculum *Murrhinum*. Id enim vasis genus tum *Neroni* in deliciis fuit. Eiusdem natura, & pretiositas, & vsus *Tyranno* familiaris è *Plinio* liquet. *Murrhina* qualia? & qualia *Myrrhina*? *Myrrhites, Myrrhis, Myrapia*, quid sint, & qualia? Hodie *Murrhina vasa, Porcellanas* vocant, adhuc in vsu.

PAg. 69. in fragmentis PETRONIANIS occurrit merum isthoc fragmentum: *Ad libidinis incitamentum Myrrhinum se poculum bibisse.*

Quæ verba, vtrum ità, prout sonant, accipienda sint, nec ne, & si ità sint maximè, vtrum *Myrrha* aliquid ad Veneris incitamentum, atque illecebras, conferre possit, disquirendum erit.

De *Myrrha* autem, eiusdemque qualitatibus primùm; dein de suspicione textus.

Dioscorides libr. I. cap. LXXVII. Myrrha (ait) lacryma est arboris nascentis in Arabia, Ægyptiacæ spinæ similis: quæ quidem incisâ lacrymas in substratas tegetes destillat, pars verò circa caudicem ipsum concrescit. Eiusce aliquot genera ibidem autor constituit, scil. *pediasimon*, quasi campestrem & pinguem, quâ expressâ *stacte* excipitur: *Gabiream, Troglodyticam*, quæ primas tenet, *Caucalim*, exoletam & nigram, *Ergasimam* item, omnium pessimam, & *Aminæam*, quæ pariter improbatur.

Adulteratur *Myrrha* permisto gummi si in aqua maduerit. Notæ autem optimæ *Myrrhæ* iuxtà *Dioscoridem* sunt hæc: *Eligito (inquit) recentem, friabilem, leuem, vndique concolorem, quæq; confracta inter currentes lineas intrinsecus habeat candidas, vnguium speciem præ se ferentes, ac læues: quæq; insuper minutis sit glebis, amara, odorata & acris. Ponderosa autem & quæ picei coloris est, inutilis censetur.*

De *Myrrhæ* temperamento & qualitatibus hunc in modum porrò idem edisserit.

Vim

Vim habet calfaciendi, fluxiones sistendi, soporem inducendi, glutinandi, siccandi, & astringendi. Emollit etiam præclusam vuluam, & aperit. Menses & partus celeriter extrahit, cum absynthii vel lupinorum diluto, aut rutæ succo admota.

De *Bœotica* verò *Myrrha*, quæ ex arbore quadam in *Bœotia* nascente, incisa radice, stillat, ità habet *lib. cit. cap. LXXIIX. Calfaciendi, molliendi, diffundendiq; vi pollet. Vtiliter quoque suffimentis inseritur*, &c.

Plinius libr. XII. cap. XV. Myrrham satiuam quoque recenset, eamque cæteris præstare autor est. *Arbusculam* verò ita describit: *Satiua quoque prouenit, multum syluestri prælata. Gaudet rastris atq; ablaqueationibus, melior radice refrigeratâ. Arbori altitudo ad quinq; cubita, nec sine spina caudice duro & intorto, crassiore, quàm thuris, & ab radice etiam quàm reliquâ sui parte. Corticem leuem, similemq; vnedoni: scabrum alii spineumq; dixère. Folium oliuæ, verùm crispius & aculeatum. Iuba olusatri. Aliqui similem iunipero, scabriorem tantùm spinisq; horridam, folio rotundiore, sed sapore iuniperi. Nec non fuerunt, qui è thuris arbore vtrumq; nasci mentirentur. Myrrhæ* autem genera complura eius-modi commemorat ibidem *cap. XVI.* nimir. *Troglodyticam, Minæam, Dianitim, Collatitiam*, vel à conferendo, contribuendoque, vel à colando dictam, vt volunt interpretes, itemque *Sembracenam, Dusaritin*, &c.

Ioan. Iac. Weckerus libr. I. Antidotar. special. de gummat. & resin. cal. valdè dubitat, an vera *Myrrha* ad nos afferatur: impugnatque eos, qui *styracem liquidam*, quâ officinæ vtuntur, stillatitium *Myrrhæ* liquorem esse perhibent, qui *Stacte* veteribus dicebatur. *Storacem* enim *liquidam* factitium potius quiddam videri, ait. Idem asserit ex *Galeno libr. I. de Antidot. cap. II. Myrrham* transmutari in *Opocalpasum*, tam figurâ, quâm venenatâ qualitate, quia id inter venena refertur; quemadmodum *Galbanum* mutatur in *Sagapenum*, & *Cassia* in *Cinnamomum*. Sic autem de mirabili ista mutatione *Myrrhæ*, antidoti contrà venena admodum efficacis, in *Opocalpasum*, efficacissimum scil. venenum, ibidem: *Hanc itaq;* (ait) *transmutationem Myrrhæ in Opocalpasum, anteà non à me visam, fateor, primum Imperatum mihi monstrâsse. Quanquam autem non vbiq; verum Opocalpasum ad manus sit, cum quo Myrrha conferri possit, nihilo-minus, si in Myrrha animaduerterimus multas esse glebas diuersas admodum, quoad odorem & saporem, differentes à vera, non absq; ratione iudicabimus, eam mutatam esse in Opocalpasum. Nam etsi tàm dolore, quàm substantia repræsentet speciem præstantissimæ Myrrhæ, cum venulis quoq; interioribus albis, instar vnguium, tamen, qui diligentiùs eam examinauerit, non habebit amplius Myrrham: apparent tamen puncta quadam rubescentia & lucida. Et cùm non sit Myrrha, quamuis primo intuitu esse videatur, statuatur esse succus iste per transmutationem ex Myrrha factus Opocalpasum. Vndè diligenter est aduertendum, ne, dum Myrrham probam existimemus nos accipere, similitudine hac decepti, eligamus hoc venenum, quod antiquis temporibus ad ocularia medicamenta vsurpabatur, propter facultatem consumendi[illegible]niem, & quia initiò suffusiones curabat, quanquàm intrà corpus venenatum planè esset. At certè magna vis est naturæ, quòd rem quandam ita efficacem contrà venenum, transmutet in perniciosissimum venenum.*

Nihil verò aliàs magis cum *Myrrha* conuenit, quàm *Bdellium*. Id enim virtute simul internâ *Myrrham*, eiusque qualitates, exprimit, prout legere est, apud *Dioscoridem, libr. I. cap. LXXX.* De vtriusque autem similitudine ità porrò *Weckerus: Myrrha & Bdellium, quæ in vsu habentur, tàm similia inter se sunt calore, & sapore, & substantiâ, vt communiter omnes vtrumq; id vnam speciem faciant.*

Poëtæ, Myrrham Cinyræ, Cypriorum Regis, filiam fuisse fabulantur. E quibus, ingeniosissimus *Ouidius libr. X. Metam.* eam obscœno ac nefando patris amore captam fuisse

recenset. Quæ cum nutricis vetulæ malitiâ (quod genus hominum horrenda atq; diabolica quæque patrare, autor est *Æneas Syluius*, his in versiculis:

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Effrenis Monachus, plenaq; fraudis Anus:

astipulante quoque *nobili Poëta Georg. Sabino* comment. in præfatum *libr. x. Metam. Ouidii*) aliquot noctibus horrendo patris concubitu, re omni callidè dissimulatâ, indulsisset, lumine tandem in cubiculum allato agnita, intempestâ nocte, ne à patre illicò occideretur, elabi coacta fuit. Quæ cum in *Arabiam* profugisset, in arborem sibi cognominem transmutata, adeoque grauida partum sceleratum è medio arboris trunco inter dehiscendum enixa fuit, qui *Adonis* dictus, quem *Venus*, incestuosa mater, postmodum deperiit. Verba *Poëtæ*, quibus *Myrrha* apprimè describitur, non pigebit asscribere; sic autem de *Myrrha* transmutatione *libr. x. Metam.* legitur:

——— vltima certè
Vota suos habuêre Deos: nam crura loquentis
Terra superuenit, ruptosq; obliqua per vngues
Porrigitur radix, longi firmamina trunci,
Ossaq; robur agunt, mediâq; manente medullâ,
Sanguis it in succos, in magnos brachia ramos,
In paruos digiti, duratur cortice pellis.
Iamq; grauem crescens vterum præcinxerat arbor,
Pectoraq; obruerat, collumq; operire parabat.
Non tulit illa moram, venientiq; obuia ligno
Subsedit, mersitq; suos in cortice vultus.
Quæ quanquam amisit veteres cum corpore sensus,
Flet tamen, & tepidæ manant ex arbore guttæ:
Est honor & lacrymis, stillataq; cortice Myrrha
Nomen herile tenet, nulloq; tacebitur æuo.

Quidam *Adonidem Priapi* patrem, hunc verò è *Myrrha* & *Thiante* natum esse perhibent, vt *Lycophron*.

Natal. Comes libr. v. Mythol. cap. xvi: fabulam *Myrrhæ*, secundùm *Ouidium*, ità explicat: *Hominum* (inquit) *fabulas magis ad mores, Deorum ad physicas rationes, spectare diximus. Hoc autem, quæ sit flagitiorum & libidinum conscientia declarat, quantoperè vel metu, vel pudore ante-actorum scelerum scelerati, conscientiaq; exagitentur: & qualia sint mortalium vota, cùm quid parum honestum à Diis impetrare contendimus. Nam qui votorum compotes facti fuerunt aliquando, tum demum intelligunt, quàm absurda, vel turpia, vel damnosa, vel iniqua, & impia cupierint: quæ, antequam consequerentur, se infelices & miseros exclamabant.* Et sub finem ibidem addit: *Ità enim sub his fabularum figmentis vniuersas propè res antiqui declarârunt, non minus sapienter, quàm Platonici, aut Peripatetici.*

Hæc de *Myrrha* obiter, atque in genere.

Iam, quod propriè ad facultates *Myrrhæ* attinet, ea inter amarissima quæq; enumeratur, adeò vt in potionibus aut decoctis ob id assumi vix possit. Commodissimè quapropter in pilulas redigitur, sicut *Aloë*.

Sunt enim *Aloë, Myrrha, & Gentiana*, medicamentorum amarissima. Hinc, inter alia, *Myrrha* præcipua virtus est, vt cadauera mortuorum incorrupta seruet; sicut in condiendis cada-

dis cadaueribus præcipuo loco venit. *Iosephus Arimathianus* vnà cum *Nicodemo* afferebat *Myrrhas*, ad sepulturam D.N. IESV CHRISTI, prout est apud *Euangel. Ioan. cap.* XIX. *v.* XXXIX. *Oleum Myrrhinum* olim, tanquàm sanctissimum, adhibebatur ad cultus diuinos apud *Hebræos*, zum heiligen Salböl: vt est *Exod. cap.* XXX. *v.* XXIII. Eodem irrigabantur vestes quoque Regiæ, *Psalm.* XLV. *v.* IX. Contrà, eodem meretriculæ insuper abutebantur, vt coràm amatoribus bene olerent, *Prouerb.* VII. *v.* XVII. Sic iuuenculæ, quibus operam dabat rex *Ahasuerus* (aliàs *Xerxes*) sex menses *Oleo myrrhino* perfundebantur, antequam ad concubitus Regis venirent, *Esther.* II. *v.* XII.

Propertius caput ac crines *Oleo myrrhino* quoq;, odoris gratiâ, perfundit, *lib.* I. *Eleg.* II.

Quid iuuat ornato procedere, vita, capillo
Et tenues Coâ veste mouere sinûs?
Aut quid Orontheâ crines perfundere Myrrhâ! &c.

Amaritudinis verò ratione (siquidem amara calida) *Myrrha* menstrua ac partus ciet. Hinc, autore *Rhasi*, *Trochisci de Myrrha* originem ducunt, qui menstrua prouocant, passionesque sedant, quales ex retentione mensium oriuntur. Eorum autem descriptionem hanc suppeditat *Val. Cordus*:

℞. Myrrhæ. ℥ iij.
Lupinor. ℥ v.
folior. rut.
mentastr.
puleg. ceruin.
rub. tinctor.
ass. fœtid.
sagapen.
opopan. an. ℥ ij.
succ. artemis. f. s. a. *Trochisci.*

Quandoquidem ergo, teste Medicorum scholâ, *Myrrha* menses & partum cieat, tantùm abest, vt libidinis stimulum excitare propriè queat, vt potiùs abortum oppido, &, propter amaritudinem ei peculiarem, fastidium, nauseamque oppidò causset. Non liquet ergo, quomodo huius PETRONIANI fragmenti fides seruari possit sarta tecta. Nisi quis *Myrrham* hoc facere statuat, quia calfaciendi, aperiendiq; vi prædita est, sicut etiam *Piper* est, quod similiter ad Veneris incitamentũ valet. Sed nimis amara est *Myrrha*. Idem *Aloë* facit, menses partusq; euocat, venasq; aperit. Quis verò ex *Aloë* pocula fecit, aut illud ad Veneris lasciuiã prodesse edixit? At, forsan lasciuiæ consulatur, sicubi meretrix poculo abortionis assumpto, priorem fœturam euocet, quo deinceps eo liberius Veneri suæ sacrificare possit? Sed neque semper abortus fiunt violentâ proritatione absque periculo, fœtu præsertim existente iam viuo atque grandiori. Vel sic, vt femina assumpto eius-modi prius abortiuo, tum demum lasciuius mari se subiiciat, secura, ne denique *Lucinâ* opus habeat, si modo hoc loci poculum pro ipso pharmaco intelligẽdum sit, prout apud *Quintilianum, Declamation.* XIII. *&* XIV. differitur super poculo odii, quod veneficio conflatur. Eodem pacto *philtra*, vel *Amoris pocula*, itemque *pocula abortionis* accipiuntur pro ipsis medicamentis, eius-modi effectum caussantibus. *Hadrian. Iun. Medicus* Hornanus *libr.* V. *Animaduers. cap.* XIX. mendam in textu subesse suspicatus, pro *myrrhino poculo* intelligit *myrinum*, id est, *murinum*, â *myro*, non â *myrrha*, cuius admistione amarescere t; cùm fuerit potio delicata, & ganeæ propria.

Veriùs & rectiùs, nostrâ quidem sententiâ, *Plinius Natur. histor. lib.* XXXVII. *cap.* II. PETRONII nostri & *Trullæ murrhinæ* commeminit, quam ipse confregerat moriturus, inuidiâ ergà *Neronem*. *Titus Petronius Consularis* (inquit) *moriturus inuidiâ Neronis Principis, vt mensam eius exhæredaret, trullã murrhinam* CCC. II. S *emptam fregit.* Quæ propius propriusque videntur facere ad sensum fragmenti PETRONIANI. Præter enim, quod idem *Plinius lib.* IX. *cap.* XXIV. *Murices, siue Echeneides* pisces, amatoriis veneficiis infames esse scribit, *libr.* XXXVII. *cap.* II. clariùs insuper de gemmis & triumpho *Pompeii Romam* translatis, de natura *Crystalli*, & medicinis luxuriâque circa ea differens, quando & quo tempore primùm inuenta sint *Murrhina*, & luxuria circa ea, & quæ natura sit *Murrhinorum*, conceptis verbis ità enunciat: *Eadem* (habet) *victoria primùm in vrbem Murrhina induxit; primusq; Pompeius sex pocula ex eo triumpho Capitolino Ioui dicauit: quæ protinus ad hominum vsum transiêre, abacis etiam escariisq; vasis indè expetitis. Excrescitq; indies eius rei luxus, Murrhino octogintà sestertiis empto, capaci planè ad sextarios tres calice. Potauit ex eo antè hos annos Consularis obroso eius margine, vt tamen iniuria illa pretium augeret: neq; est hodie Murrhini alterius præstantior indicatura. Idem in reliquis generis eius quantum vorauerit, licet existimare ex multitudine, quæ tanta fuit, vt auferente liberis eius Nerone Domitio, theatrum peculiare trans Tyberim hortis exposita occuparent: quod à populo impleri canente se, dum Pompeiano præludit, etiam Neroni satis erat: qui vidit tunc annumerari vnius scyphi fracta membra, quæ in dolorem credo seculi, inuidiamq; fortunæ, tanquam Alexandri Magni corpus in conditorio seruari, vt ostentarentur, placebat.* Et subiungit præcedentibus modo allegatâ: *T. Petronius Consularis moriturus inuidiâ Neronis Principis, vt mensam eius exhæredaret, trullam murrhinam trecentis sestertiis emptam fregit. Sed Nero, vt par erat Principem, vicit omnes, trecentis sestertiis lapidem vnam parando. Memoranda res, tanti Imperatorem, patremq; patriæ, bibisse. Oriens murrhina mittit. Inueniuntur enim ibi in pluribus locis, nec insignibus, maximè Parthici regni: præcipuè tamen in Carmania. Humorẽ putant sub terra calore densari. Amplitudine nusquam paruos excedunt abacos: crassitudine rarò, quanta dictum est vasi potorio. Splendor his sine viribus, nitorq; verius, quàm splendor. Sed in pretio varietas colorum, subinde circumagentibus se maculis in purpuram candoremq; & tertium ex vtroque ignescentem, velut per transitum coloris purpurâ rubescente, aut lacte candescente. Sunt, qui maximè in iis laudent extremitates, & quosdam colorum repercussus, quales in cœlesti aqua spectantur. His maculæ pingues placent: translucere quicquam, aut pallere vitium est. Item sales, verrucæq; non eminentes; sed vt in corpore etiam plerumq; sensiles. Aliqua & in odore commendatio est.* Hæc prolixè satis *Plinius* de *Murrhinis*, earum natura, præstantia, luxuria, atque vsu & tempore, è quibus *Neroni* atque *Imperatoribus* aliis pocula facta fuerint, quæ omnia videntur cum mente PETRONII coincidere.

Etsi igitur de *Myro*, eiusque delicata potione apud *Hadr. Iunium* (pace tanti viri) suspicio sit pro *Myrrha*: etsi quidam etiam in fabula *Myrrhæ* atq; *Adonidis* afferant: *ideo Venerem amasse Adonim; quòd hoc genus pigmenti* (de *succo Myrrhæ* loquendo) *fit valde fructudum*: nam & *Furium*, *Comœdiarum* scriptorem, inducere asserunt, *Glyconem* meretriculam dicentem: *Myrrhinum mihi affert, quo virilibus armis occursem fortinscula*: quod idem asserunt *Nicander*, *Planciades*, & *Posidonius*: Ego nihilo-secius tamen caussam non inuenio, quo pacto *Myrrha*, ob insignẽ sui amaritudinẽ, ad delicias, voluptatemq; Venereã adhibeatur. A femina enim pota, prout suprà dictũ, magis abortum caussat, prolificationi obest, & dolores molestiasq; patit. Mares autem, inprimis luxuriosissimum *Neronem*, eius generis poculis, ob summam amaritudinem, atq; insuauitatem, abstinuisse credibile fit, præsertim cùm *Plinius libr.* XXXVII. *cap.* VII. de *Murrhinis* poculis, *Neroni* eo tempore

tempore familiaribus tàm clarè, prolixeque diſputet ſatis; quæ omnia, meâ quidem opinione, non poſſunt non PETRONIVM emendare, vt facilè menda in ſynonymis irrepſiſſe poſſit.

Quando quidem itaque *Plinius*, rerum naturalium, ſi quis alius, ſcriptor diligentiſſimus, inprimis *Neroniani* iſtius ſeculi gnariſſimus, ne verbo quidem, inter infinitas alias res phyſicas, mentionem peragat *Myrrhini* poculi: contrà verò *Murrhina* tàm prolixè accurateque deſcribat, è quibus ad luxuriam *Nero* pocula parata habebat: tùm è *Myrrha*, tanquàm reſina, aut lacryma, propter inſignem amaritudinem, pocula ingratiſſima fieri arbitrandum omninò ſit, reſtat, vt pro *Myrrhino* poculum *Murrhinum* legamus. Quid quod è *Myrrha*, tanquàm lacrymâ, vix fit vaſculum, poculumque, qualia è *Cryſtallo*, aut *Electri, Succiniq;* generibus fieri amat, &c. ſi maximè fieri poſſit, ingratiſſimus certè eius poculi eſſet ſapor, qui omnem guſtus voluptatem retunderet. Imo etiam arbuſcula, vndè *Myrrham* profluere, aut ſtillare, aiunt, tantæ molis vix eſt, vt ad vaſa & pocula inſeruiat, vt eo minus lacrymæ eiuſdem magnitudinem eam eſſe putamus, ex qua ſcyphi & pocula concinnentur. Itaque fruſtrà eſt, vt de *Myrrhinis* poculis ſolliciti ſimus, cum *Murrhina* apud *Neronem Imp.* poſt victorias *Pompeianas* in vſu & delicijs fuiſſe, ex *Plinio* perſuaſiſſimum habeamus.

Interim tamen *Myrrhæa*, Græcis μύῤῥινα, quæ ex *Myrrho* ſunt, leguntur apud *Calepinum*; quo facit autoritas *Propertiana*:

Myrrheaq; in parcis pocula cæca focis:

ſed non additur, ea ad libidinis æſtrum adhiberi. Idem Myrrhina vocat, quæ *Myrrham* habent admiſtam, vel *Myrrhâ* condita ſunt: v. gr. *Myrrhina vina*, quæ *Myrrhâ* condiuntur. Peramari autem ſaporis iſta vina eſſe neceſſe eſt. Cuius-modi D. N. CHRISTO Seruatori, ad locum Crucis deducto, & iam ſuffigendo innocentiſſimè, milites-carnifices propinâſſe, DOMINVM vero recuſaſſe, autor eſt *D. Marcus Euang. cap.* XV. v. XXXIII.

Hùc referri poſſunt inſuper *Myrrhapia*, vel, ſecundum *Plinium*, *Myrapia*, ſiue μυράπια, genus pyrorum, quod odorem reddit grariſſimum. Eius modi ferè eſt *Myrrhis Myrrhidis*, ſiue μύῤῥις, genus oleris, cicutæ ſimilimum, foliis aliquanto minoribus, & caule breuiori, ſaporis & odoris iucundi: quod vulgares herbam *Cicutariam* vocant. *Myrrhites* denique, μυῤῥίτης, gemma eſt, quæ *Myrrha* colore prædita vnguenti odorem habet, teſte *Plinio libr. vlt. cap.* X.

Quicquid igitur de *Myrrha*, eiuſdemque poculis ſtatuatur, producaturque, vix veriſimile euadet, *Trimalcionem*, id eſt, *Neronem, Imp.* laſciuiſſimum, de cuius vitiis potiſſimum agit *Petronius*, *Myrrhino* poculo, vel è *Myrrha* condito, vſum fuiſſe ad Venerem; cum non niſi exquiſiti pretii, qualia *Murrhina* erant, vaſculis, imo ad palatum & gulæ voluptatem excogitatiſſimis vſus ſit *Tyrannus*, adeo luxui extremè deditus, vt *ſceptra, & perſonas, & cubicula viatoria vnionibus conſtrueret*, referente *Plinio lib. nat. hiſt.* XXXVII. *cap.* II.

Superpondii igitur, videatur ſuper hoc loco *P. Bellonius, obſeruation. memorabil. libr.* II. *cap.* LXXI. qui ingentem *Murrhinorum* vaſorum copiam in *Cairo* à mercatoribus publicè venalem proponi, ſcribit. Ea, addit, à *Gallis* nouo nomine *Porcellanas* appellari, à conchylii genere, (*Latini Muricem* dicunt) quod *Galli Porcellanicam concham* vocant. *Muricem* autem arbitratur voci *Murrhina* ſatis reſpondere. Similiter *Garcias ab horto: Aro-*

mat. histor. lib. 1. cap. xv. *de* Cinamomo, autor est, *vasa Murrhina Porcellanas* aliâs vocari, atque à mercatoribus è *Chinensium* regione aduehi. Vt ità hodie quoq; vasa murrhina id est, *Porcellana*, ceu vocant, nobis non incognita sint. Idem *Garzias lib. 1. arom. hist. c.* 2 11. autor est, certum quoddam inueniri *Iaspidis* genus, colore viride, è quo *Murrhina* vasa, admodum pretiosa, fiant *Smaragdi* instar, splendescentia. Verba autem autoris sunt ista: *Inuenitur* (inquit) *Iaspidis genus viride, ex quo vasa Murrhina conflantur (Porcellanas vocant) adeò virentia, vt ex Smaragdo conflata videantur. Ex eius fortè genere erit id, quod Genuæ ostenditur, quodq; ex Smaragdo esse contendunt, rarius id videndum proponentes, quo maiorem auctoritatem lapidi concilient. Huiusmodi vas Murrhinum aliquando mihi propositum fuit venale ducentis Pardaons siue aureis Hispanicis: cuius, si ex Smaragdo conflatum fuisset, millesimam partem eo precio vix nancisci potuissem.*

FINIS LIBRI SECVNDI.

JO.

JO. PETRI LOTICHII, D. MEDICI

QVÆSTIONVM PETRONIANARVM de Re Medica Resolutiones:

Siue

RESPONSORVM

de

Remediis Medicis ex PETRONI ARBITRI Satyrico *propositis*,

LIBER TERTIVS.

Caput I.

PEtronii fragmentum de *frugibus medicatis* illustratur. Per *fruges* autem *medicatas Condimenta*, atque *Aromata* intelliguntur. *Condimenta* primaria & secundaria. *Offis* olim *Romani* familiariter vescebantur, & lautè, vt in opiparè viuentes diceretur illud: ὀψοφαγίζειν. Condimenta primaria enumerantur. I. *Sal* condimentum condimentorum Eius allegoria, præstantia, religio, fœcunditas. Olim *Sal* amicitiæ symbolum. *Salaria* à *Sale* dicta. *Salis* genera, qualitates, differentiæ, vsus, & destillatio. II. *Mellis* vetustas, genera, differentiæ. Olim frequens eius vsus in cibis; sicut hodie etiam-num. *Spiritus* è *Melle* corrosiuus destillatione prolicitur. III. *Saccharum* antiquioribus incognitum. Eius generatio, genera, qualitates. Ex eo *Spiritus, instar Aquæ fortis* omnia dissoluens, elicitur. IV. *Vinum* terræ sanguis, secundum *Plinium*. Eius genera, qualitates, vis narcotica, Facundia & animositas è *Vino*, & *Laudano Opiato* notabilis. Ex ebrietate multi repentè extincti ob vini narcosin. *Vinum Anni* superioris *M. DC. XXIV.* valdè narcoticum. *Vina* medicata domestica, & anti-morbifica multiplicia. *Vini* vsus in cibis. V. *Aceti* qualitas: vis in cibis saporandis: composita ex *Aceto* in *Officinis*. VI. *Omphacii* vsus tàm in re Medica, quàm culinaria. VII. *Olei* dignitas, & præstantia in multis, præsertim in cibis. VIII. *Piper Aromatum* Princeps. Eius qualitates, composita, atque Antidoti, tum vtilitas quà rem Medicam, quà culinariam. *Olei*, & *Granorum Piperis* laudes in febribus. IX *Cinamomum* quid? vnde? Eius genera. *Cinamologus*. *Coronæ* olim fiebant è *Cinamomo*. *Cinamomi* radix ingens *Augustæ Imperatricis* Eiusdem differentiæ, facultates, & in cibis quid præstet? *Cinamomum Aromatum* reliquorum ductor. Varia edulia, vina, Antidoti, è *Cinamomo* fiunt. *Chymici* è *Cinamomo oleum* parant præstantissimum: itemque *Aquas destillatas*, & *syrupos*, *Quercetanus* stypticum remedium ex eodem facit. X. *Zingiber Piperi* affine. Eius facultates, composita, oleum. XI. *Croci* vsus in condimentis tritissimus. Eius differentiæ. Cautio quoad eius vsum. *Olei Crocini* vires. *Crocus* olim in pulpitis & theatris spargebatur. XII. *Garyophylli* affines *Piperi*. Eorum descriptio, facultates, *oleum* præstans; *Garyophyllor.* vsus in condimentis.

mentis. XIII. *Nucistæ* genera, facultas, *oleum* duplex, vsus in cibis; *Gummi Nucistæ*. XIV. *Macerts* signatura, definitio, *differentia* ab arbore cognomine. *Oleum* eiusdem. XV. *Sinapi* genera, vsus in condimentis. *Triste* cur vocetur? Eius vis tàm in Medicina, quàm culina. Ex eo *Vesicatoria, Sinapism.* itemque *Bellaria* & *Mustarda* fiunt. II. Condimenta succedanea recensentur. I. *Iuniperus* vndè dicatur? Eius in *Germania* nascentis laus: genera *Baccarum* vsus in re medica, & coquinatia *Oleum* duplex è *Iunipero Iunip rum* Aroma *Germania* optimum *Turdus* auis *Iuniperina* II. *Lardi* vsus in condimentis. *Pernarum Westphalicarum* fama III. *Citria* hodie in *Germania* proueniunt. Eorum vis alexicaca; facultas in febribus; composita: vsus in re culinaria. IV. *Limonia* atque *Aurantia* in morbis & eduliis quid conferant? *Oleum è cortice Aurantiorum*. *Cydonia, Pyra, Poma* nostratia, *Citriis* atque *Aurantiis* succedanea. V. *Oliuæ* frequenter in epulis Earum vis, & vsus, itemque *oleum*. VI. *Cappares* ad mensam quid faxint? Eorundem *oleum*. VII. Amygdalarum genera. Ex *Amygdalis* oleum, gelatina, vt lac, panesque Martii fiunt VIII. *Cassalarum* genera, vires. IX *Seminis Anisi* vires, composita, oleum, & aqua destill. X *Semin. Feniculi* vires, vsus, oleum, & aqua destill. XI. *Coriandri* herba non in vsu *Seminis* laus atque vsus in cibis. XII. *Alium* rusticorum Theriaca. Eius odor abominandus genera, vires: itemque antipathia inter *Allium* & *Magnetem*. *Adagia de Allio*. *Capa* mitior *Allio*. Eius vsus in cibis, vires, genera, qualitates, &c.

SVperiori libro, *cap.* XIIX. quædam de *Carnibus*, earumque differentiis ac qualitatibus diximus. Iam hoc agone non-nulla, & quidem opportunè, de *Condimentis* tàm *Carnium*, quàm reliquorum, quibus homines ad corporis nutritionē vtuntur, ciborum, tractanda suscipiemus. Occasionem pulcram suggerit *Petronius* noster, inter *Carminum* fragment. *pag.* 70.

Melle saporatam medicatis frugibus offam.

Quidam hîc pro *Saporatam*, *Soporatam* legunt, quasi *Mel*, quod absurdum est, soporet. Quos refutat, inprimis eleganter hunc locum emendans, *Adrian. Turnebus, aduersar. libr.* XXIIX. *cap.* XXV. Ità ille rectius legit, quod & mihi probatur:

Melle saporatam & medicatis frugibus offam.

Pro cuius emendationis veritate sequentia affert, quæ hîc asscribere expediat. *Melle enim* (inquit) *animaduerti veteres in omni dulciario opere solitos esse vti, vt nos saccharo, Saccharum enim prisci non nouerant. Itaq; eius condimento, saporis gratiam palato parabant, & quæ tristioris erant & amarioris saporis, melle, quo minus homines offenderentur, condiebant, & imbibebant. Sic medicamentorum virus emendabant.* Lucretius libr. XIII.

Sed veluti pueris absynthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flauoq; liquore.

Sic Maga apud Maronem papauer oblinit melle, vt auidius liguriatur à peruigili serpente Æneid. IV.

Spargens humida mella, soporiferumq; papauer.

Humidum hîc mel dixit, non soporiferum. Vt enim hîc mel ad condimentum papaueris adhibetur, sic illic ad gratiam saporis adiici medicatis frugibus, id est, papaueri & aliis id genus dubitandum non est. Et posteà: *Apud Valer. Flaccum etiam Medea melle venena temperat, & condit ad Draconis epulas, libr.* I. *Argonaut.*

Et dabit hiberno liuentia mella veneno.

Sed & quod nostram causam inprimis adiuuat, mellita placenta mortuis dari solebat, quæ Cerbero offerretur, vt placaretur: Septimius Florens hûc facit in *libro de spectaculis*: *Nemo venenum temperat felle & helleboro, sed conditis pulmentis, & benè saporatis, & plurimum dulcibus id mali inicit.* Quo respicit quoque *Ammianus lib.* XXXI. *In vita* (inquit) *visi sunt sua asperi, vt neq; igni,*

igni, neq; saporatis indigeant cibis, sed radicibus herbarum agrestium, & semitruda cuiusuis pecoru carne vescantur. Et ipse *Adr. Turnebus* mentem hîc suam versiculis quoque exponit:

Dulcia qui fingunt, mellitaq; crustula vendunt,
His in melle sapor, non sopor vllus inest.

Iacob. Dalechampius in lib. nat. hist. XXI. *Plinii, cap.* XIIX. similiter è *Virgilii lib.* VI. *Æneid.* legit, sed *soporatam* offam intelligit ità.

Melle soporatam & medicatis frugibus offam.

Per *medicatas* itaque *fruges papauero conditas* interpretatur.

Nihil autem dubitamus cum *Dn. Goldasto* nostro, quin hoc in loco *fruges meditatæ* pro *Aromatibus* veniant interpretandæ. Nouimus enim *offas*, iuscula scilicet, & edulia tàm elixa, quàm assa, saporem optimum à condimentis atque *aromatibus*, quibus coqui vtuntur, nanciſci: Aliâs (vt rectè alibi *Arbiter* noster) *nulla caro per se placet, nisi arte quadam corrumpatur, & stomacho concilietur auerso.* Condimenti verò nomen latius patet, quàm *Aromatum*. Sub eo enim non ipsa duntaxat *Aromata*, sed alia quoque complura, quibus cibi gratiores palato redduntur, tùm quoque à putredine conseruantur, apparanturq; ad mensam, comprehendi in confesso est. Ex *Condimentis* itaque sunt *Sal, Mel, Vinum, Acetum, Omphacium, Oleum, Saccharum,* & *Aromata* vsitatiora, è quibus *Piper, Zingiber, Cinamomum, Crocus, Calamus Aromaticus, Garyophylli, Nux moschata, Macis, Sinapi,* & similia; quibus insuper, tanquam succedanea adiicimus, nimir. *baccas Iuniperinas, mala Citria, Aurantia, Cydonia, Lardum, allium, cæpas, amygdalas, passulas, oliuas, cappares, semina anisi, coriandri, feniculi,* &c. quæ omnia ad condiendos, saporandosque cibos familiariter vtiliterque adhibentur.

Quædam autem ex enumeratis illis sunt factitia, & velut artificialia, sicut est, *Sal, Mel, Vinum, Acetum, Omphacium,* quæ, licet è terra quoque prodeuntia, hominum maximè industria & studio elaborantur. Contrà quædam purè sunt naturalia atque è solo nascentia, ad quæ artis opus non requiritur, cuius-modi sunt *Piper, Cinamomum, Zingiber, Nucista, Garyophylli, Macis* & reliqua *Aromata*. Hinc *fruges* isthæc *Aromata* dici possunt, quod, instar *frugum* naturaliter ex humo proueniant, tum quoque ad rem medicam multis modis conferant, vndè non absurdè à *Petronio* nostro *medicata fruges* indigetantur. Quo eodem fermè significato vtitur *Mater Poëta,* qui *libr. de simplic. virtut. capp.* LXVI LXIIX. LXX. LXXII. LXXI. I. LXXIV. *& sequentibus, Piper, Zingiber, Galangam, Garyophyllos, Cinnamomum, Thus, Aloen.* &c. herbas appellitat. Quod autem *saporatas offas*, aut escas quaslibet, *Aromata, Condimentaq;* enarrata faxint, cuilibet id, etiam idiotæ, notissimum est, cum gustu vnusquisq; ex *Sale, Saccharo, Melle, Vino, Aceto, Oleo,* imò *Pipere, Sinapi, Croco,* & similibus, diiudicare satagat, ea omnia, suo quæq; in genere sapidissima, id est. exquisitum saporem sortita esse. Vndè cum minima eorum etiam quantitas, linguâ percepta, eximium acrimoniæ, atque exquisiti saporis sensum post se relinquat, indicatio certa oboritur, sapidissimas illas, acerrimique gustus species, in maiori quantitate vtiliter vires suas exerere, tùm debito modo, ac seruata proportione commistas iucundas tùm denique ac palato arridentes epulas condonare.

Non defuerunt igitur apud antiquos olim eius-modi gulones, qui ob iucundissimam illam ciborum, à condimentis artificiosè temperatis, natam suauitatem, vel *gruis* etiam *collum* desiderarunt, quo eo diutius delicatissimarum epularum bonitate vti

fui possent. Inuenti etiam fuerunt, qui *lingua operculum*, aut *vaginulam*, optârunt, ne quâ ab epulis, inter comedendum, modò à foco exemptis, caliditate deliciarum sibi fauces adurerent, quibus aliud nihil, præterquam exquisitas mensarum lautitias sectabantur, aliudque aliis superingerere oppido delectabantur.

Quoad offas: Romanos priscos eisdem crebrius victitasse accepimus, referente *Val. Maximo*. Vndè apud *Gellium* extat; *Nolite ibi nimiam spem habere. Sæpè audiui inter os & offam multa interuenire posse.*

Familiari igitur è ciborum genere familiaris natus sermo *prouerbio* locum dedit, quo dicitur: *Inter os & offam*: ac si diceretur: *Inter calicem, supremaq; labra*: vel: *Inter manum & mentum*. Ad idem cibi genus spectat, quod *Athenæus* habet *lib.* VI. πεινῶντι γὰρ ἀνδρὶ μᾶζα τιμιωτέρα χρυσοῦ κἀλέφαντος: Id est: *Maza, siue offa, esurienti homini carior & auro & ebore. Maza* enim veteribus *offa* dicebatur. *Diogenianus* huic caussæ fauet: ὑπὲρ τὸ ὕδωρ πίνοντες, ἀμετρίᾳ δὲ μᾶζαν ἐδόντες: Id est: *Ad mensuram bibentes aquam, citrà mensuram offam edentes.* Qui versiculus, referente *Zenodoto*, ab *Oraculo* in *Sybaritas* pronuntiatus fuit, qui à *Crotoniatis*, ob luxum extremum, subuersi sunt. Tanto ergò in pretio *Maza*, vel *offa*, fuerunt apud priscos, vt etiam in oppide splendideq; viuentes, lautitiasque sectantes torqueretur illud ὑπερμαζᾶν: quod ob id etiam inter *prouerbia* relatum fuit; sicut videre est apud *Des. Erasmum Chil.* II. *Cent.* VI. & *Chil.* II. *Cent.* IV.

Sed ad *fruges* nostras *medicatas*, id est, *Condimenta*, siue *Aromata*, redeuntes, quibus *Maza*, siue *offa*, optimè saporantur, non *extrà oleas*, quod dicitur, longè videbimur euagari, si præcipua *Aromata*, atque *Condimenta*, quibus res coquinaria triumphum ducit, hoc in proscenium luculentius paulò euocemus, eorundemque facultates, licet alioqui non incognitas, contemplemur.

Etsi verò, inter cætera, *Auena*, *Milium*, *Fabæ*, *Ciceres*, *Lentes*, inprimis *Hordeum*, (de cuius præstantia ad innumeros grauissimosque affectus *Medici* fermè omnes tàm antiqui, quàm moderni, conceptissimis verbis commentati sunt) *fruges* quoque *medicatæ* non immeritò dici possint, vtpote quorum vsus in re medica multiplex est: nihilominus tamen cum ea potius alimenta sint medicamentosa, quàm condimenta, ideoque ad saporem & gustum duntaxat restringi non debent.

Sal. Principiò autem inter omnia *Condimenta Sal* meritò præcipuum locum meretur, quod, teste *Plutarcho*, non simplex condimentum, sed condimentum *condimentorum* appellari debet. *Plinius natur. hist. lib.* XXXI. *cap.* VII. tàm necessarium *Salis* vsum esse perhibet, vt sine eo vita humana consistere nequeat. Idem tàm necessarium elementum vocat, vt intellectus ad voluptates animi insuper transierit. *Ità* (inquit) *sales appellantur: omnisq; vitæ lepos, & summa hilaritas, laborumq; requies non alio magis vocabulo constat.* Quo significato *Catullus*:

Nulla in tàm magno corpore mica salis:

vbi pro *Sale* intelligitur gratia, Venus, suauitas. Apud *Ægyptios* tanta fuit maiestas ac diuinitas *Salis*, vt, venerationis igitur, prorsus à *Sale* abstinerent, ità vt ne quidem *panibus* vsi sint *Sale* conditis. *Plutarchus* id factum fuisse arbitratur, quod *Sal*, ob calorem, libidinem incitet. Ideoque eos, cum caste viuere vellent, ob id *Salis* vsum euitasse, refert. Alii caussam hanc afferunt, quod *Sal* sit condimentum condimentorum suauissimum, vt non immeritò obsonium obsoniorum dici possit. Rectius autem à *Sale Ægyptios*, tanquam populos superstitiosos, abstinuisse patet, religionis caussa. *Sal* enim

enim in mysticis ac sacrificiis frequenter & religiose fuit vsurpatus. Hinc *Homerus salem* diuinum appellat. Hinc *Plato* prodidit, *Salem* rebus diuinis esse amicissimum, familiarissimumque. *Illud* autem autore *Erasmo*, *maximè diuinum in se habere Sal videtur, quod à corporibus vitâ destitutis putredinem ac tabem arcet, neq; sinit prorsum interire, diu morti resistens velut, animæque, quoad licet, vice fungens. Atqui nihil est animâ diuinius. Huius vt est officium animantia tueri, continereque, neq; sinere compaginem dilabi; itidem Sal animæ exemplo cohibet corporum harmoniam ad tabem tendentium, & membrorum inter se se amicitiam conseruat. Hâc eâdem ratione, fulguris ignem sacrum ac diuinum arbitrantur, quod illorum corpora multo tempore perdurent, neq; putrescant.*

Salem gignendi inprimis facultate præditum esse, sequentibus idem *Des. Erasmus* testatum facit: *Habet* (inquit) *& illud quasi diuinum Sal, quod vim quandam gignendi genuinam habere credatur, vel hoc argumento, quod sicuti paulò superius dictum est, seminalem vigorem expergefacit, acuitque. Proindè, qui canibus alendis dant operam, salsis carnibus ac salsamentis eos pascunt, quo ad gignendum reddantur alacriores. Accedit huc, quod è nauibus marinis immensa murium vis soleat enasci. Neque desunt, qui dicant, Mulieres etiam citrà virilem operam fieri grauidas, si salem lingant. Præterea putant huc allusisse Poëtas, qui non sine caussa, finxerunt Venerem, genituræ Principem, è salo natam fuisse, quam etiam ἁλιγενῆ, id est, saligenam, cognominant. Quin iidem deos omnes marinos fœcundos, & plurimorum liberorum progenitores faciunt. Denique nullum est animal, neque terrestre, neque volatile, perindè fœcundum, vt sunt omnia marina.* De quibus pulcrè *Hesiodus in Theogonia*, qui *Oceanum* omnium deorum parentem indigetat.

Hodie quoque *Sal*, adhuc sacer est, siquidem in *Christianis mysteriis*, scilicet *baptismo*, quo renascimur, ac regeneramur ad salutem, *Sal* inprimis admiscetur, teste *Roterodamo*. Imò tanta semper dignitas huc-vsq; *Salis* eminuit, vt vix *sacrificia* fierent, sine *Sale*. Hostias enim *farre* tosto & addito *Sale* conspersas fuisse legimus. Hinc notum illud: *Molâ salsâ litare.*

Olim, qui de diuinis erant responsuri, *fabam ac salem* apponebant. Hinc parœmia: *Iuxtà salem & fabam*. Dicebatur autem in eos, qui simulabant se scite quod nesciebant. Cui aliud affine fertur: *Iuxtà salem ac cuminum*. Hoc autem, autore *Apollophane*, innuebat summam familiaritatem. *Siquidem* (vt *Roterodamus* explicat) *qui magnoperè inter se familiares sunt, hi vel salem, vel cuminum vnà cœnant, neq; requirunt apparatum vllum ciborum.* Hac significatione *Sal* pro victu frugali atque *mensa* parcâ sumitur apud *Horatium in Odis:*

> *Viuitur paruo benè, cui paternum*
> *Splendet in mensa tenui salinum.*

Idem eodem alludit in *Sermonibus:*

> *——— modò sit mihi mensa tripes, &*
> *Concha salis puri ———*

Eleganter de *Augusto Imp.* proditum est, eum ioco dixisse in quendam, à quo frugali & perparco conuiuio erat exceptus: *Nesciebam*, (inquit) *me tibi esse tàm familiarē.* Familiaritas itaq;, imò amicitię sacrum per *Salem* repręsentabatur. Quod magis verificat sequens parœmia: *Non oportet transgredi Salem, ac mensam.* Id est: amicitiæ ius, quod iis potissimum rebus olim conciliabatur, non est violandum, de quibus prolixè *Des. Erasm. in Adagiis.* Hodie secus factitant, præsertim verò *Teutones* nostri amicitiam *vino* sanciunt,

 stabi-

ſtabiliuntque. *Pythagoras panem* fertur frangi vetuiſſe, ſcil. ne vinculum id veluti diriperetur, quod amicos copularet.

Idem cenſuit *Salem* in menſa potiſſimum apponendum, quod æquitatis ac iuſtitiæ nos idem admoneat, vt quod & ſeruet, tueaturque, quicquid occuparit, imò quod ex liquidiſſimis rebus aqua ſcilicet marique fiat. Hinc *prouerbiale* illud: *τὸν ἅλα παραθετέον*: id eſt: *Salem apponito:* vbi per *Salem* iuſtitia atque æquitas, quæ omni negotio ſarta recta ſeruanda, intelligitur. Eandem in ſententiam de *Sale*, non violando, apud *Eſdram libr.* I. *cap.* IV. legitur: *Nos ergò memores ſalis, quod in palatio comedimus, quia læſiones regis videre nefas ducimus. Q. Curtius lib.* VIII. *d. rebus Alexandr.* autor eſt, *Macedonas* patria conſuetudine fœdus, quod ſanctiſſimum futurum eſſet, ſic iniſſe, vt *panem*, gladio diuiſum, vterque libaret.

Cæterùm, *Salaria* à *ſale* denominata fuiſſe, itemque *viam Salariam* à *ſale* dictam, qui in *Sabinos* portabatur, conſtat è *Plinio: Honoribus* (inquit) *etiam militiaq́, interponitur, ſalariis inde dictis, magna apud antiquos autoritate, ſicut apparet ex nomine Salaria via, quoniam illa Sal in Sabinos portari conſuêrat.*

Ad genera *Salis* quod attinet: *Sal* omne aut fit, aut gignitur, referente eodem *Plinio.* Vtrumque accidit modis plutibus. Aliud enim in aquis marinis ſponte naſcitur, cuius ſpuma in extremis littorib. ac ſcopulis relinquitur. Aliud in ſummitate fluminum denſatur in *Salem*, ſub quo, velut gelu, amnes fluunt. Aliud ex lacubus turbidis: aliud è fontibus calidis eruitur. Aliud pariter è montibus, natiuum ſalem proferentibus, inſtar lapicidinarum cæditur; Aliud deniq, è terra effoditur, de quibus omnibus videatur *Plinius lib. nat. hiſt.* XXXI. *cap.* VII. qui *Carrhis, Arabiæ* oppido, muros domoſq; è maſſis ſalis fieri autor eſt.

Dioſcorides d. mater. med. lib. V. *c.* CXXVI. *è ſalium* generib. foſſile, tanquam efficaciſſimum, præfert. Ibidem *Salis marini* ac *lacuſtris* meminit De qualitatibus vero *Salis* in genere ità habet: *Antedictorum ſalis generū natura in communi eſt ad multa perquam vtilis, aſtringens, abſtergens, repurgans, diſſoluens, diſſipanſue, ac inſuper reprimens, extenuans, & cruſtas inducens ſed inſeſioris remiſſioriſq́, facultatis ratione inter ſe differunt.* Omnes autem eius virtutes, quas ibidē recenſet *Dioſcorides*, aſſcribere nimis prolixum futurum eſſet: qui autot quāuis alioquin de *Salis* vſu inſpecie, quatenus ad ciborum condituram facit nihil: *Galenus* tamen *lib.* II. *de ſimpl. med. facult. de ſale*, hæc inter alia, aſpergit: *Quicquid* (ait) *in corporibus humidum ineſt, id quodam modo abſumit, & quod reliquum eſt ſubſtantiæ ſolidæ, aſtrictione contrahit, ac proindè etiā conditurā ſuā carnes ſeruat, & à putredine tuetur. Quæ Plinius* ità excipit: *Ad obſonium, & cibum vtilior, quiſquis facilè liqueſcit, item humidior, minorem enim amaritudinem habent, vt Atticus & Euboicus. Seruandis carnibus aptior acer & ſiccus, vt Megaricus. Conditur etiam odoribus additus, & pulmētarii vicem implet, excitans auiditatem, inuitanſq́, in omnibus cibis, ità vt ſit peculiaris ex eo intellectus inter innumera condimenta.*

Non tantum autem *homines ſalis* vſu ad appetentiam inuitari, ſed *pecudes* quoq; affirmat idem *Plinius*: Quin (ait) *& pecudes, armentaq́, & iumenta, ſale maximè ſollicitantur ad paſtum, multo largiore lacte, multoq́, gratiore etiam in caſeo dote.* Rectè igitur noſtrates agricolæ *ſale* iumentis linguas ac palatum fricant, vt eo auidius comedant.

Quantum ad differentias ac prærogatiuas *Salis* facit: *Dioſcorides foſſile*, *Plinius* vero id, quod pinguedinem, inſtar *olei*, reddit præfert. Ait enim in *Sale* pinguedinem eſſe, etſi miremur. *Germani* hodie ex fontibus, vel ſcaturiginibus ſalſis, quas in ſublime euocant, non abſque induſtria, appenſiſque ſtraminum faſciculis, macē te ſæpius

pius eas affundunt, euentilant, acuunt, tandemque beneficio ignis, in *salem* coagulant, vrunt, indurantque: prout in *Hassia*, *Wetterauia*, aliisque regionibus finitimis, vbi *salinæ* dantur, fieri amat. Nostri *salem* eum præferunt, qui candidus est, mediocris consistentiæ, granulatus, atque actis inque recessu efficax. Alius tamen est candidior alio, sed efficaciâ inferior. *Veneti*, atque *Itali* fermè omnes, nigro, aspectuque horrido sale vtuntur, qualis è lacubus marinis fit. Is minus est efficax.

Quoad vsum denique *salis*: is in vita humana pernecessarius est ad omnia ista alimentorum genera, quæ putredinem concipere possunt. Pauca autem alimenta corruptionis putredinisque expertia sunt, atque ea duntaxat, quæ humiditate nullâ scatent, vt *Mel*, *Saccharum*. Quàmuis *Mel* corrumpatur faciliùs, è, si mica *panis* fortè in id coniiciatur, vnde illicò muscarum agmen.

Chymici Sal primam rerum naturalium materiam, principium, atque elementum esse statuunt. Quòd omnia, quæ quouiscunque modo resoluuntur, in cineres & *Sal* abeunt. Iidem artificiosè è *Sale* spiritum euocant, quem *Salis spiritum* appellant, contra omnes *putredines*, *nephritin*, *febres*, *hydropes*, &c. præstantissimũ, prout est apud *Osw. Crollium*, *Ioan. Beguinum*, & alios.

Dioscorides & *Plinius Salis* etiam *spumam*, *muriam*, vel *salsuginem*, itemque *florem salis* ad multa commendant.

Præter *Sal* etiam *Mel* vetustissimæ originis condimentum est, imò vetustius ipso penè *Sale*. Compluta *Mellis* recensentur genera; Aliud cœleste est, &c. rotis instar, supernè decidit primâ aurorâ super folia arborum, teste *Plinio*, ac, si qui sub dio fuêre, vnctas liquore vestes, capillumque concretum sentiunt: *Siue ille est cæli sudor, siue syderum saliua, siue purgantis se aëris succus*, vt habet *Plinius*. Aliud ex floribus colligitur verno tempore, scil. thymo, saluiâ, aliisque herbis odoriferis, quod vocatur *Ambium*. Aliud porrò est, quod *Apes* in alueariis ex depopulatione optimorum quorumq; florum, condunt, extruuntq; ac. *Etsi autem Mel occurrat inter folia & flores quarundam plantarum, nec succus tamen, nec fructus earum est: at ne minima quidem earum portio: sed eiusdem generis cum rore Mel censendum est: vtpote cæli fructus, quem apes ex floribus seligere, aut exugere solent, nec-non ex herbis huius feracibus:* prout autor est *Quercetanus Diætet. polyhist. cap.* VIII. **Mel.**

Plinius præterea annorauit *libr. Natur. histor.* XXI. *cap.* XIV. montem in *Creta* situm esse, *Carinæ* nomine, in quo licet nullæ *apes* conspiciantur, magna tamen eum *Mellis* copia abundare.

Dioscorides libr. II. *cap.* CI. *Mel Atticum* potissimum prædicat, item *Sardoum*, ex Insula *Sardinia*, & *Ponticum* denique *cap.* CII. CIII. quorum virtutes describit ibidem. Ex iis *vernum* quoque præfert, secundo loco *æstiuum*, *hybernum* verò deterius esse innuit. Vide de *Mellis* generibus ac differentiis *Plinium libr.* XI. *cap.* XII. XIII. *& seqq.*

Veteres *Melle* ac *Papauere* cibos conditos comedebant. PETRONIVS enim noster *Glires Melle & Papauere sparsos* in vsu fuisse refert; prout suprà *libr.* I. *cap.* I. & *cap.* XIV. exposuimus. *Galenus Senibus* atque omnino temperamenti frigidi corporibus *Mel* perutile esse prodidit. Iuuenibus autem, atque iis, qui calido valentes temperamento ætate vigent, minus congruum esse ait, sed in bilem conuerti. Crudum verò *Mel*, & non plenè coctum, aluum atque intestina inflationibus replet, tussim irritat, autoribus *Galeno* ac *Dioscoride*. Despumatum verò, quod in coctione omnem spumam abiecit, flatus est expers, atque vrinam ciet. Magnus eius vsus fuit temporibus *Hippocratis* & *Galeni*.

Illa enim ætate *Saccharum* nondum erat cognitum. Conficiebantur autem variæ compositiones ex *Melle*, quarum vsus in *Medicina* præstātissimus, qualia erant *Hydromel, Oxymel*, eaque vel simplicia, vel composita. *Chymici* ex *Melle*, vel *Hydromelite* spiritum extrahunt, qui tantâ aciditate vitriolata præditus est, vt, instar ipsiusmet *spiritus vitrioli, margaritas, corallos*, aliosque *lapides pretiosos* dissoluat, autore *Quercetano*.

Nostra ætate matres-familias cibos complures *melle* condiunt, ad dulcorem comparandum. Imò etiam fructus multos, vt sunt, v.gr. *Ribes, Berberes, Cerasa, Inglandes* nuces, & similia: nec-non *Conseruas* ex herbis & floribus, v.gr. *Buglossæ, Borraginis, Rosmarini*, itemque *Radicibus cichorii*, cum *Melle* ad vsus communes præparant, quamuis ditiores hodie *Saccharum* præferant. Plebei *Mel* cum *pane*, loco butyri, manè atque interdiu, manducant. Ad eius formam ex *pyrorum, vuarumq̨* coctuis *Mel* qu. præparant, quod cum pane lingunt. In *Hassia Cerasorum* pulpa coquitur ad consistentiam *Mellis*, quo honestissimæ etiam familiæ communiter per annum integrum vtuntur, vel separatim comedendo, vel alios cibos condiendo, præcipuè verò penes *Marpurgenses* id vsitatum est, qui vulgò *Cerasaceam pulticulam* indigetant, Kirschenmuß vocantes.

Saccharum. *Saccharum* temporibus *Hippocratis* ac *Galeni*, vix ac ne vix quidem cognitum fuisse constat: siquidem neuter eorum *Sacchari* mentionem peregit. *Quercetanus*, tempore *Aeginetæ*, vsum eius primum innotuisse coniicit. De eo tamen *Dioscorides* pauca isthæc, *libr*. II. *cap*. CIV. *Est* (inquit) *& quoddam Mellis concreti genus, quod Saccharum nominatur, quodq̨ in India, & felici Arabia in arundinibus reperitur, consistentia sali simile, ac dentibus etiam salis modo fragile. Mellis* itaque quoddam genus esse censet, etsi in arundinibus natum. Ex *Dioscoride* fermè hausisse hîc sua de *Sacchara Plinius* nobis videtur. Eadem enim fermè verba de *Sacchara*, quæ *Dioscorides*, affert *libr*. XII. *cap*. VIII. *Saccaron* (inquit) *& Arabia fert, sed laudatius India. Est autem Mel in harundinibus collectum, gummium modo candidum, dentibus fragile, amplissimum nucis auellanæ magnitudine, ad medicinæ tantùm vsum*. Hinc *Statius Syluar. libr*. I.

> *India non magnâ nimis arbore crescit arundo,*
> *Illius è lentis premitur radicibus humor,*
> *Dulcia cui succo nequeant contendere mella.*

Et *Lucanus libr*. III. *Pharsal*.

> *Quiq̨ bibunt tenera dulces ab arundine succos.*

Saccharum autem in *Medicinam Arabes* introduxerunt. Ex eo enim varios *Syrupos, Iulepos*, aliasque innumeras *Confectiones*, & id genus alia præparare in communem hominum vsum educuerunt. Quæ omnia hodierno adhuc tempore in foro practico, itemque Pharmacopoliis, sunt vsu receptissima.

Complura *Sacchari* sunt genera, quæ variant vel ratione natiuæ bonitatis, vel ascititiæ compositionis. Aliud enim est *Saccharum album*, aliud *finissimum*, vt loquuntur barbari. Aliud *Saccharum* candidū dictum, etsi colore non sit tale. Aliud *Penidiatum*, à dulciatiis ita dictum. Aliud *rosatum tabulatum, Pharmacopæis* in vsu. Hodie tàm variæ *confectiones, panes martii, deliciæ, imagines, condita, pulueres, trageæ*, & similia è *saccharo* fiunt, vt ea res in artificium cesserit, iique *artifices Sacchararii* vocentur, neque immeritò, qui omnis generis confectiones è *Sacchara* elaborare possunt.

De *Sacchari* qualitatibus ita *Dioscorides* loco allegato: *Est illud aluo idoneum, & stomacho vtile, si aqua dilutum bibatur: vexata verò vesica renibusq̨ auxiliatur: quin & illitum ea dis-*

ea discutit, quæ pupillis tenebras offundunt. *Aegineta* de *Sacchari viribus* hunc in modum: *Saccharum* (inquit) *quod ex felici Arabia affertur, minus dulce est eo, quod apud nos est: sed æqualem vim habet ad hoc, quod neq; stomacho noxium est, neq; sitim inducit, velut hoc nostrum.* Ex quo loco *Aegineta* rectè colligit doctissimus *Quercetanus*, *Saccharum* esse qualitatis calidæ, facilè tamen in bilem verti, adeoque sitim excitare; verba eius sunt *Diæt. Polyhistor. cap.* VIII. *Vbi notandum* (ait) *tum temporis ab Aegineta obseruatum fuisse à Sacchari sitim excitari: calidæ enim est qualitatis, ac facilè in bilem vertitur: idcircò frequentiore eius vsu omnibus interdico.* Caussam autem, cur *Saccharum* haud frequenter assumendum sit, vnà cũ incommodis, quæ inde sequi solent, recenset idem: *Qui enim auidiores sunt ad Saccharũ, & Saccharatas confectiones immodicè deglutiunt, sanguinem sibi retorrent, perpetuam sitim incurrunt, ac fœdam dentium nigredinem contrahunt. At iuuenibus præsertim nocentissimum est, qui calido & bilioso temperamento esse solent.*

Calidissimum autẽ esse *Saccharum* liquet ex operationibus *Chymicis.* Etsi enim, quo ad gustum, *Saccharum* quidem dulcissimum existat, illud tamen in recessu adeò calidum & feruens inuenitur, ità vt *Chymiatri* ex eo aquam, vel liquorem omnia, etiam ipsum aurum, dissoluentem, qui *Aquæ forti*, vel *regiæ*, comparatur, eliciant, prout testes sunt *Crollius*, *Quercetanus*, *Beguinus*, atque alii. Quis verò credat, sub eximio illius candore insignem latere nigredinem? nisi id ipsum ex interna, ceu vocant, rerum anatomia, atque operationibus Chymicis innotuisset: de quibus euoluendus *Isaacus Hollandus*, eiusce artis peritissimus, qui quidem de *Sacchcaro*, vt aiunt, ex professo commentatus est. Sed inpræsentiarum vel vnius præfati Quercetani, Chymiatri nominatissimi, testimonium nobis sufficiat: *Etsi* (inquit) *candidum est Saccharum, sub candore tamen suo magnam celat nigredinem, vt & sub eius dulcedine ingens acrimonia delitescit aquæ forti par & similis. Ex quo etiam dissoluens, ac liquor tàm fortis educi potest, qui vel ipsum Solem in aquam soluat, & colliquet.*

Vinum etsi potissimùm ad exhilarandum cor hominis è terra natum sit, vt liquet ex *Ecclesiastico*, præsertim, si virium & valetudinis caussâ, modicè bibatur. Nihilo-secius tamen id ipsum ventriculo appetentiam ciborum conciliare, adeoque in multis cùm cibis, tum potulentis condimenti loco accedere, mox videbimus. *Plinius* ex historia *Alexandri Magni vinum* terræ sanguinem esse scribit. Ait autem, id obiectum fuisse *Alexandro*, ne excessus is in vini potatione faciens excederet quoque in trucidandis amicis recti æquique limites. Ità autem *Plinius libr. Nat. histor.* XXIV. *cap.* V. *Vini* (refert) *natura est, hausto accendendi calore viscera intus, foris infuso refrigerandi. Nec alienum fuerit commemorare hoc in loco, quod Androcydes, sapientiâ clarus, ad Alexandrum Magnum scripsit, intemperantiam eius cohibens:* VINVM POTATVRVS REX, MEMENTO TE BIBERE SANGVINEM TERRÆ. Adiicit autem de *vini* viribus; illud tàm noxium esse hominibus immodicè sumptum, quàm vtile est mediocriter potum: *Sicut* (inquit) *cicuta hominis venenum est, sic cicutæ vinum. Quibus præceptis si ille* (Alexander) *obtemperauisset, profectò amicos in temulentia non interemisset. Prorsus vt iure dici possit, neq; viribus corporis vtilius aliud, neque aliud voluptatibus perniciosius, si modus absit.* Idem autor eodem lib. *cap.* VI. *Vinorum* tria facit genera: *Austerum* scil. *Dulce*, *Tenue*: quibus vniuersa *vini* genera attigisse videri potest. Quosdam, tradit ibidem, *vina* sic distinguere, vt quædã in summis collibus, quædã in medijs, quædam in infimis nasci statuantur. De *vinorũ* porrò in genere facultatibus ità edisserit *Dioscorides lib.* V. *cap.* XI. *In vniuersum* (ait) *vinum* Vinum.

omne

omne meracum & sincerum, ac suâ naturâ austerum, excalfacit, facilè in membra distribuitur, stomacho conuenit, appetentiam ciborum inuitat, corpus alit, somnum conciliat, robur auget & colorem commendat. Vt nihil hoc loci afferamus, de innumeris ipsius virtutibus, quibus ad rem Medicam commodissimè adhibetur.

Ex modernis autoribus *vino vim Narcoticam* assignauit *Fel. Platerus*. Quòd enim homines liberaliter se se poculis inuitantes temulentos reddit, pedibus inniti haud patitur, ob neruorum ceu quandam resolutionem, sicut ebrii lingua quoque titubant, balbutiunt, tanquam ea in parte *paralysi* corripiantur; imò somnum caussatur, rerumque penè, imò doloris ac miseriæ humanæ obliuionem inducit, meritò id ipsum certæ narcosi, qua *vinum* præditum est, instar *Helenes* illius *Nepenthis*, quod *Telemacho Vlyssis* filio, ad obliuionem miseriarum, propinauit, itemque *Opii*, vel *Maslach Turcarum*, quo remedio se se contrà hostes, in aciem egressuri animosiores reddunt, adscribendum est. Eandem vim narcoticam *Flaccus* in vino optimè animaduertisse colligitur, dum ità canit:

Spes iubet esse ratas, in prælia trudit inermem.

Obseruaui quoque apud ægros, ex præscriptione *Laudani* illius *Opiati*, cuius vix duo vel tria saltem grana, pro vnicâ vice, etiam in adultioribus, in dolorum & vigiliarũ angustiis, propinata, ægros tantoperè animosos, lætabundos atque expeditos redditos fuisse, vt palàm enuntiare nequicquam dubitârint, se se eius diuini medicamenti vires tantas percipere, tantùm nõ in doloribus compescendis, vigiliisque retundendis, imo verò, quoad animositatem, facundiam, ratiocinationem, tantum eidem tribuere, vt non dubitent, *Oratoribus, Legatis, Causidicis*, & omnibus in foro aut panegyricis perorãtibus vsum eius *Laudani*, sed moderatum, optimè conducere posse.

Existimat itaque *Platerus*, *vinum*, ratione vaporum, quibus in *Cerebrum* quidem fertur, sed tàm citò mentem peruertere, ac hominem temulentum efficere non valet, ebrietatem caussare, sed, vi narcotica ac stupefaciente, quâ, instar *Opii*, vt diximus, præsertim si immoderatè sumatur, prorsus stupidos reddit. Sic vero *Platerus Obseruat. libr. 1. pag. XVI.* *Aliquos* (inquit) *ex nimia vini ingurgitatione non tantùm stupidos fieri, sed & mori obseruaui: non aliter atq; in stupore, à Narcoticorum, vti & vini spiritu accidere ostendi, simili stupore obrutos, fuisse extinctos. Quâ ratione & aliqui ebrii, etsi rursum ad se redeant, trunci instar, & attoniti adeò, vt nec impulsi, aut voce, aut gestu signum edant, in plateis iaceant, non minus, ac si Opium magnâ sumpsissent quantitate.* Idem *pag. XVII.* ibidem meminit: *Aliàs hoc quoq; sæpè euenisse intellexi, existimoq;, non à repletione vaporum, & exhalationum istarum, quæ tàm subitò hominem suffocare, aut mentem consternare minimè possent, sed potius narcoticâ illarum vi, quæ vti in vino, quod tam deferbuit, ebrios reddit, sic maximè, dum adhûc feruet, potenterq; exhalat, attractus vapor, sensus internos, externosq; subitò stupefaciens, respiratione tunc, vti in Apoplecticis, sublatâ homines enecat.* Huic rei fauet *Hippocrates libr. v. aphor. v.* *Si quis ebrius repentè obmutescat, conuulsus moritur; nisi febris incidens eum corripiat, aut, quo tempore crapulæ solui solent, vocem edat.* Quam repentinam mortem accidere à vi *vini* stupefactiuâ, instar *Apoplexiæ* alicuius, persuasissimum esse debet, cùm plures eo pacto non tantùm ex *Opio*, sed ipso *vino*, è viuis repentè sublati fuerint. Recenti exemplo sit generosum illud *vinum*, quod *Anno* superiori *M.DC.XXIV.* in finitimis *Mœni Rheniq;* tractibus natum est, è quo, præsertim post Vindemias adhûc nondum defecato, spumanteque, liberalius poto, plures repentè obiisse, meminimus.

Sed, ne

Sed ne diffusius hanc partem tractemus, recurrendum est ad istas conditiones, quibus *Vinum*, loco condimenti non contemnendi, in eduliis vsu-venit. Ex eo autem tantum non *Vina* omnis generis *Medicata* dicta, eaque tam *corroborantia*, quàm *purgantia*, tam *praeseruantia*, quàm *curantia*, in multiplices vsus hinc-inde praeparantur, ex herbis, floribus, seminibus, radicibus, & similibus *frugibus medicatis fructibusq̃*, vt sunt *ficus*, *passulae*, &c. Imò verò à coquis & matribus-familiâs *iuscula*, *offae*, *carnes*, *pisces*, *gelatinae*, atque omnis generis confectiones atque edulia variè componuntur, vt culinaria res *vino*, tanquam vtilissimo condimento, carere non possit. *Dioscorides libr.* V. *de mater. med.* à *cap.* XXVI. ad *cap.* LXXXIV. varia *vinorum Medicatorum* genera describit; è quibus sunt: *Vinum Scyllinum*, *vinum Cydonites*, *Melomelites*, *Hydromeli*, *Omphacomelites*, *Apites*, *Oenanthinum*, *Rhoites*, *Rhodites*, *Myrtites*, *Myrsinites*, *Lentiscinum*, *Terebinthinum*, *Palmeum*, *Catorchites*, *è Sycomoris*, *Resinatum*, *Cedrinum*, *Strobilites*, *Iuniperinum*, *Cedrites*, *Picatum*, *Absynthites*, *Hyssopites*, *Chamaedrites*, *Stoechadites*, *è Betonica*, *Tragoriganites*, *Bunites*, *Dictamnites*, *Prasites*, *Thymites*, *Thymbrites*, *Origanites*, *è Calamintha*, *Pulegio*, *& Malabathro*, *Conyzites*, *Aromatites*, *ex Myrrha item*, *Pipere & Iride*, *Nectarites*, *è Nardo Syriaco*, *Celtico*, *& Malabathro*, *item Asarites*, *è Nardo syluestri*, *Daucites*, *Saluiarum*, *Panacites*, *Acorites*, *Selinites*, *Marathrites*, *Anethinum*, *è Salis flore*, *Phthorium*, *seu Abortiuum*, *Thymelaites*, *Chamelaites*, *Chamaepithinum*, *Mandragorites*, *Helleborites*, *Scammonites*, & id genus alia, quorum omnium compositiones, vsusque in re medica, tum culinaria, praestantes diligenter assignat. Vt nihil insuper, vel parum, de iis porrò *vinis* aspergamus artificialibus, quae è *prunis syluestribus*, *cerasis*, *buglosso*, *boragine*, *rosmarino*, *cinnamomo* item atque *Aromatibus* confici solent, vt sunt in genere, *vina Hippocratica*, *Clareta*: quae stomacho quoque optimè & palato inseruiunt. Sic contrà quoscunque affectus paulò diuturniores ex appropriatis & specificis ingredientibus confiunt *Vina Antiapoplectica*, *Antiepileptica*, *Antiparalytica*, *Ophthalmica*, *Antinephritica*, *Antifebritica*, *Antidysenterica*, *Antihydropica*, *Chalybeata*, & id genus plurima alia, qualia apud *Quercetanum*, *Weckerum*, & alios autores, innumerę penè formulae occurrunt.

Coqui & matres-familiâs ex *vino* communi, *ouis*, *croco*, *cinnamomo*, *zingibere*, *lactis sero*, & eiusmodi, *offas*, iuscula, obsonia, atque esculenta iucunda parare solent quotidiano prorsus vsu. Sic *pultes* parantur, ad Venerem, ex *vino*, *ouis*, *sacchare*, *butyro*, quibus vulgo nouiter nuptos manè recreant, autore *Fel. Platero*. Itidem *Puls crocea*, Leberfülß appellata, fit ex *Hepate porcellorum*, addito *vino* dulci, *croco*, multisque aromatibus, & quidem ad eandem intentionem, eodem autore. *Pisces* quoque de more *vino* suffocantur, praesertim *Funduli*, & alii, eodemque coquuntur, adiecto *pipere*, *zingibere*, *butyro*, prout notissimum est.

Suprà *cap.* IX. *libr.* II. de *Aceto* integrum discursum instituimus, eiusdemque vim merè astringentem, adeoque aduersus vulnera efficacem, vidimus. Iam de eo saltem disquiremus, quomodo ad condimenta ciborum, appetentiamque excitandam conducat. Eius autem genera superiùs quoque explicauimus, atque in varias compositiones digitum intendimus. *Dioscorides* in genere primùm de *Aceti* qualitatibus differens, *Acetum* refrigerare & astringere, stomacho esse vtile, atque appetentiam cibi excitare, affirmat *libr.* V. *cap.* XXI. *Plinius lib.* XIV. *cap.* XX. *Aceto* magnam inesse vim, imò sine eo mitiorem vitam degi non posse, autor est. Ei enim tribuuntur vis incidendi, aperiendi, deobstruendi, ardores bilis moderandi, corruptiones & putrefactiones arcendi, *Acetum.*

 di,

di, concoctionem iuuandi, vel in stomachis calidioribus, nec-non in pestiferis morbis à contagio præseruandi, liberandique, autore *Quercetano*.

Inprimis verò *Acetum* in ciborum condimentis frequentissimè vsitatissimeque adhibetur, vsque eò, vt illius vsu culina, vitaque communis, vel *Plinio* suffragante, carere nequeat. Adeoque enim appetitum stomacho excitat, palatoque confert, vt eo in genere, ei vix quicquam, excepto *Omphacio*, comparari possit. Vix enim quicquam ad gulam stomachumq. parari potest, quod suaue, gratum, bonumque sit, nisi id *Aceto Omphacioq.* fiat.

Non tantum verò vsus *Aceti* in Medicina diætetica, sed potissimùm etiam in *Pharmaceutica*, locum meretur. Ex eo enim composita tot emergunt, vt officinæ nostræ istorum numerum ceu quendam habeant. Ex quibus sunt *Oxymel* simplex, *Oxymel* compositum, *Oxymel* diureticum, *Oxymel* scylliticum, *Syrupus* acetosus simplex & compositus, *Oxysacchara* simplex & composita, *Oxalme*, & *Thymoxalme Dioscoridis*, *Acetum Scylliticum*, *Acetum de Scordio*, *rosaceum*, *sambucinum*, *garyophyllorum*, & alia.

Nihilo-minus illis, qui picrocholi, macilento corporis habitu præditi, extenuatiq; sunt, inprimis, qui similem ætatem attigerunt, aut tussedine alioquin, aut partium neruosarum affectibus, affliguntur, iis omnibus, inquam, *Aceti* vsus non conducit, sed noxius est. Feminas etiam hystericis passionibus obnoxias *Aceti* vsus oppido offendit. Itaque videndum, quibus, quando, quomodo, & quantum *Acetum* dari expediat. Eius austeritas & rigor corrigitur *Oleo*, *Sacchar*o, & *Melle*.

Omphacium. *Omphacium* easdem ferè vires habet, ad excitandum appetitum, cibosque condiendos, quas *Acetum*. Est autem succus ex vuis nondum maturis expressus. Magnus itaque eius vsus ad cibos acuendos, appetentiamque prouocandam. Nec minor eius vtilitas in febribus & affectibus calidis. Prodest enim ad mitigandos ardores febrium acutarum, in quibus *bilis* ferox est, compescendam sitim, sanguinem efferuescentem, biliososque humores contemperandos. Quâ ratione biliosis maximè hominibus, & qui ad iracundiam valdè inclinant, peropportunum est. *Dioscorides* iubet, ante *Canicula* ortum, succum expressum in aheno ex ære rubro, quod linteis coopertum sit, insolare, vsque dum consistentiam acquirat, spissescatque. Eligit autem flauum, friabile, perquam astringens, linguamque mordens. Eiusdem autem vires in re medica ità subnectit: *Prodest* (inquit) *contrà tonsillas, vuam, oris vlcera, gingiuas humore flaccidas, purulentasq., aures, cum melle, aut passo: item ad fistulas, vetera vlcera, nomasq., ex aceto. Dysentericis & mulieribus fluxione vuluæ laborantibus clystere infunditur. Oculorum quoq. claritati confert, eorundemq. scabritiei angulisq. arrosis conuenit. Bibitur & ad recentem sanguinis excreationem, etiam ex rupta vasis obortam. Sed eo admodum diluto & prauo vtendum: siquidem potenter exurit*; vt refert *libr.* v. *cap.* VI.

Idem *cap.* XII. *Vini Omphacini* meminit, quod expressum ex vuis acerbis cadis insolatur. Huic adscribit vim astringendi, stomacho amicam, & malaciâ laborantibus, ileosis, ægrè concoquentibus, & stomachi dissolutione vexatis vtilem. Creditur & absorptum pestilentibus affectibus auxiliari. Ea autem vina non-nisi post annos complusculos potui apta esse, innuit ibidem. *Plinius Olei* quoq, *omphacini* meminit. *Græci Omphâca* dicunt vuam acerbam, & immaturam, παρὰ τῷ ὠμῶ φαγεῖν: id est, quòd crudi comedantur. Hinc penes *Desid. Erasm. Chil.* II. *Cent.* v. XIII. *adagio* vsurpatum legimus: Σικελὸς ὀμφακίζει. *Siculus omphacissat. Dioscorides libr.* I. *cap.* XXIX. propter vim astringentem, *Oleum omphacinum*, in vnguentis adhibitum, prædicat ad stomachi confortationem.

De

De *Olei* vsu, quantum id sanitati conseruandæ commodet, alibi diximus. De eo *Democritus* aliquando interrogatus, quo pacto homo, omnium optime possit perfectam valetudinem tueri, vitamque diu protrahere; Respondit: *Si intus Melle, extrà Oleo vtaris:* maximam, innuens, *Olei* vtilitatem esse pro hominis sanitate conseruanda. Hinc moris fuit apud veteres, vt in balneis, & post balnea corpora oleo inungerent, ad sanitatem fouendam. De qua consuetudine balneandi, vngendique corpora videatur infrà *libr. II. cap. XI. de Balneis.* *Oleum.*

Quantum verò ad ciborum condimenta facit, *Oleum* tantùm non venenis aduersari, sed à putredine ac corruptionibus conseruare, imò etiam cibis pro condimento esse, certum est. Illi enim, qui *vino* dant operam, si *vinum* aliquod lanugine, aut situ corrumpi animaduertant, *oleum amygdalar. dulcium*, aut *oliuarum* potius vino desuper in doliis affundunt, & contra corruptionem aut vini mucilaginem experimentum esse aiunt. Idem cum *succo limonum* pondere vnciæ vnius propinatum *vermes* infantium enecat, à quibus aliàs corruptio maior, & mortis periculum imminet. Eodem porrò in *Acetariis* quotidie coquos, & matres-familiâs vti, condimento vtilissimo, quis nescit? *Itali offas* suas, quas *minestre* vocant, præsertim tempore *Quadragesimæ*, cum *oleo* parant, sicut alia edulia pleraque: quamuis in eiusmodi iusculis illud *Germanis* nostris vix arrideat.

De *Oleo*, ei usdemque præstantia, multa in prouerbium abierunt. *Sic Medici oleum addunt Sali, ne plus satis erodat: & qui sapiunt, admonitionis acrimoniam verbis leniunt*, vt autor *Desider. Erasmus*. Hinc *Adagium: Oleum & salem oportet emere:* pro eo vsurpatur, quòd remediis sæpè contrariis opus sit, nunc acribus, prout quidem *Sal* est, nunc lenientibus, tanquam *Oleo*. Trita quoque hæc est *paræmia: Oleum camino addere:* ac si dicas, *Ignem* igni addere. Cui sequens quoque prouerbialis locutio celebritate non cedit: *Oleum ac operam, vel impensas, perdere.* De quibus videatur *Desider. Erasm. Chil. III. Cent. VI. XXV.* & *Chil. I. Cent. I. & IV.*

Hactenus de communibus ciborum condimentis, iisque partim domesticis, partim exoticis. Iam de *Aromatibus*, & *Speciebus*, quæ maximam partem, formâ pulueris, cibis tum commiscentur, tum asperguntur. Quorum præcipuum velut est, chorumque ductitat *Piper:* *Piper.*

——— quod notius ipsa coquina
Quàm Medicina facit:

prout cantat *Macer libr. de herb. virtut. cap. LXVI. de Pipere.* Quamuis idem in re Medica tanti sit momenti, vt vires eiusce vix satis deprædicari queant. Quam in sententiam ipse *Macer* circa finem *cap. allegati.*

Nemo potest omnes Piperis describere vires.

Quercetanus libr. diætet. polyhist. cap. VIII. Piper tàm temperie, quàm salubritate omnibus reliquis *Aromatibus* præfert, quod minus aliis aromatibus calfaciat, minusque incendat. Dicit autem *Piperi* inesse *Sal Aronicum*, vt vocant, subtile, penetrans, attenuans, incidens, dissoluens, à quo tartarea omnia & viscida ventriculo, aliisque partibus soluta, facilè deturbantur: vnde acumen, atque acrimoniam in *Pipere* gustu deprehendi ait.

Hinc eiusce vsum *Piperis* veteres in expugnatione crudelis istius belluæ, *Quartanæ*, inquam, feliciter vsurpâsse autor est, sicut & in morbis aliis; intellige, à lentis, cru-

guttulas *olei piperis destillati* cum ſ.q. *Miua Cydonior.* iteratò exhibent in *Tertiana*, antè paroxyſmum, & febricantes liberant.

Hæc obiter de *Piperis* facultatibus, quo ad rem medicam.

In re culinaria verò *Piper* tàm frequens, & celebre eſt, vt ipſe *Apitius* non ſatis videatur eius multiplicem vſum poſſe aſſignare. Hinc adagio celebratur: *Cui multum eſt Piperis, etiam oleribus immiſcet*: Id eſt: *Qui opulentus eſt, opiparè viuat, licebit*: vt explicat *Deſ. Eraſmus*. Contrà *Martialis Piper* pauperum condimentum eſſe, canit:

Vt ſapiant fatua fabrorum prandia beta,
O quàm ſæpè petet vina Piperq́, coquus!

Cinnamomum verum, teſte *Mathiolo*, hodie non habetur, ſed eius loco *caſsia lignea*, ſiue *odorata*. *Garzias ab horto, Aromat. hiſt. lib. 1. cap. xv.* contrà inquit: *Sed quod Cinamomum inueniri negent, in eo falluntur, cum Caſsia, Cinnamomum, & noſtra Canella vnum idemque ſint medicamentum.* Idem paulò antè Cinamomum vocari, ait, quod ſignificet lignum odoratum, quaſi Amomum ex China delatum. Eſt autem *Cinamomum* cortex arboris, cuius icon non depingi poteſt, cum ea in tota *Europa* non naſcatur, ſed in *Indiis* tantum. Illa tamen, eodem referente, magnitudine *Agno caſto*, aut *vitici*, æqualis eſt. Vide eius deſcriptionem vberiorem apud *Garziam de horto*, qui pluribus annis *India Proregis* Medicum egit. *Dioſcorides lib. 1. cap. xiii. Cinamomi* genera quinque aſſerit, quibus ſextum adhùc inſuper addit. Primum *Moſylum* vocat, quod aliquantulum retineat ſimilitudinem *Caſsia* eius, quæ *Moſylitis* dicitur. Secundum eſt *montanum*, craſſum, pumilum, colore admodum flaueſcens. Tertium iuxtà quod *Moſylum* dicitur, nigrum & valdè odoratum, ſed fruticoſum, nec ità multis interdiſtinctum geniculis. Quartum album eſt, fungoſum, aſpectu tuberoſum ac vile, fragile, grandiq́ue radice *Caſsiam* redolente. Quintum odore nares ferit, fulueſcit, corticemq́ue habet *Caſsia rufa* ſimilimum. Pro ſexto, eſt & aliud (inquit) quiddam ſimile, quod adulterinum *Cinamomum* dicitur, vile, odoris inualidi, viribusq́; defectum. Id vocatur *Xylocinamomum*, item *Zingiber*, quod aliquam cum *Cinamomo* cognationem habeat. *Plinius libr. xii. cap. xix. Cinamomum*, itemq́ue *Cinamum*, in *Æthiopia* naſci, ait. *Troglodytis* connubio permixta, non autem in *Arabia*. Quamuis idem *lib. x. cap. xxxiii. Cinamologi auis* mentionem peragat, qui in *Arabia Cinamomi* ſurculis nidificet. Id quod falſum eſſe redarguit *Iacob. Dalechampius in commentariis*, vel ipſius *Plinii* teſtimonio, qui in *Arabia Cinamomum* naſci negat. Idem ex *Cinamomo* perhibet, *Phœnicem*, iuxtà fabuloſam antiquitatem, nidificare. Duo autem genera *Cinamomi* ponit, *candidum* & *nigrum*: ex quibus *nigrum* præfertur. Illud autem, quod optimum, ſcabrum eſſe non debet, neq; inter ſe tritum, quod tardè frietur. Idem non ſit molle, aut albicante cortice. Ibidem *Plinius* annotauit, *Auſtros* illis in locis, vbi *Cinamomum* naſcitur, tàm ardentes flare, vt æſtatibus ſyluas accendant. Coronas item ex *Cinamomo* interraſili auro incluſas & templis ab *Imperatoribus* dicatas fuiſſe, meminit. Imò, addit, ſe radicem *Cinamomi* tàm magnam vidiſſe in palatii templo, quod *D. Auguſto Auguſta* coniux fecerat, aureæ pateræ impoſitam, ex qua guttæ editæ annis omnibus in grana duratæ fuerint, donec id delubrum incendio eſſet abſumptum. Vide *Plinium libr. hiſtor. nat. xii. cap. xix.* toto contextu de *Cinamomo*. De eiuſdem differentiis ſequentia *Dioſcorides libr. 1. cap. xiii. Ferè ſiquidem* (ait) *præſtantiſsimum ex odoris iucundi proprietate diiudicatur. Etenim in optimo & ſingulari reperitur odor Rutæ, aut Cardamomo proximus. Præfertur & guſtu acre ac mordacitatis particeps, necnon etiam cum calfactione quadantenus*

 ſalſum.

Cinamomū.

salsum, quodq; inter atterendum non citò friatur, ac inter frangendum etiam ex se puluisculum emittit, leuiaq; interim habet internodia. De eiusdem verò facultatibus idem sequentia affert: *Cinamomum omne* (inquit) *vim habet calfaciendi, vrinas ciendi, emolliendi atq; concoquendi. Menstrua quoq; ac fœtus pellit cum Myrrha, tum epotum, tum etiam appositum. Contra bestias, quæ virus eiaculantur, venenaq; conuenit. Quæ pupillis caliginem offundunt, discutit, calfacit simul, & attenuat. Illitum ex melle lentigines & maculas a Solis ardore contractas exterit. Facit & ad tusses, defluxiones, hydropem, renum vitia, vrinaq; difficultatem. Quin & vnguentis pretiosis admiscetur: ac in vniuersum ad multa est vtile. Quò diutius duret* (addit) *tritum vino excipitur, in vmbra siccatur, atq; ita reconditur.* Hæc *Dioscorides.*

Galli vulgò *Cinamomum* vocant *la Canella*. Etsi autem *Cinamomum* calfaciendi efficaciam habeat, iuxtà *Dioscoridem*, nihilo-minus tamen tenuium admodum partium est, & in calfaciendo longè mitius, quam *Piper*, atq; alia *Aromata*, quæ per se, & solum vsurpata, cibos sufficienter acuere & condire satagunt. *Cinamomũ* vero, facultatis in eò longè remissioris, vix vnicum cibis condiendis sufficit, cum perfectè ferculum aliquod inde aromatisari vix possit. Quanquam *Pharmacopæi apozemata* sua cinamomo aromatisant, potioneśq; addita *aqua cinamomi destillatá* gratiores palato reddunt. Aliis intereà *Aromatibus* debita proportione mistum, *compositiones, confectioneśq;* reddit palato acceptiores, salubrioresque, adeo vt reliquorum velut *Aromatum* dulcor ac moderatio dici fermè possit. Hinc nulla ferè fercula solo *Cinamomo* expediuntur: nisi quod *Cydonia, Pyra*, & eiusmodi, *Cinamomi* frustulis interfiguntur: qualia nostrates in secunda mensa cũ *Sacchuro* præparata ex tempore apparant apponuntque. Matres-familiâs *Cinamomum* quoque *farciminibus* addunt, itemq; *pultibus ex milio, vel oryza, cum* lacte coctis, itemq; misturis gelidis ex *vino* & *Sacchuro*, cor refrigerandi, roborandique igitur, compositis.

Prætereà *vina Hippocratica*, atq; *Clareta* alias dicta, ex solo qu. *Sacchuro* & *Cinamomo* conficiuntur, quæ ad domesticos vsus, ventriculi inprimis debilitatem, & saporis gratiam, non minori cum vtilitate, quam iucunditate propinantur. *Myrepsus lib. de antidot. sect. 1. c. xl. &* CCCCLXVII. quatuor *Antidotos ex Cinamomo* describit, qui ordine recensentur à *Quercetano I. diæt. polyhist. cap.* VIII. Prolixum autem nimis, atque extrà hoc institutum futurum sit, si omnes illas *Compositiones*, quas *Cinamomum* ingreditur, ordine isthîc recensere velimus.

Nostri hâc tempestate *Chymici* (cuius sanè artis beneficio in pharmaceuticis *Medicinam* nostram multimodè auctam hactenus esse confitendum est) imo etiam *Pharmacopolæ* ex *Cinamomo oleum* per destillationem eliciunt generosissimum, quod gustu tàm acre ac potens est, vt vnica fermè guttula integram *vini* mensuram tantum non odore, sed & sapore aromatico suo impraegnet. Multi hoc *oleum* tantum præferunt virtute reliquis *Aromatibus*, quantum *Sol* reliqua sydera anteit. Habet enim in genere vim balsamicam insignem, quæ nihil corrumpi patitur: valet ad *palpitationes cordis, deliquia, syncopem, cardialgias*, adeo vt ad restaurandos spiritus vitales, ipsumq; *Cor* roborandum vtilius præstantiusq; facilè nihil inueniri queat. Prodest porrò memoriæ, phantasiæ læsæ, melancholicis, epilepticis, iis, qui stomachum habent debilem, appetentiam inuitat, digestiuam excitat, nauseam vomitumq; retundit. Iuuat quoq; Thoracis vitia pituitosa, respirationem facilitat, anhelitum fœtentem, tussim chronicam corrigit, Hepar confortat, eiusce obstructiones tollit: vndè febribus Intermittentibus, Ictericis, Hydropicis, Colicis, nephriticisque medetur. Imo vero viros frigidos debilesque roborat,

mulie-

mulieribus menses prouocat, partum promouet, secundinam pellit, & innumeris aliis doribus pollet, inprimis cordiale est sine pari, vt in omnibus benè constitutis familiis, tanquàm Catholicum aliquod Cordiale, præsto, atque in promptu haberi meritò debeat. De cuius virtutibus vide *Quercetanum*, *Crollium*, *Beguinum*, *Gramanum*, *Poppium*, & alios, tàm dogmaticos, quàm empiricos Chymicos.

Eius vero *olei* parua quantitas admodum ex *Cinamomo* extrahi potest, prout notissimum. Tàm enim aëreum est, & subtilium partium, vt non nisi solerti ingenio ab aqua sua secerni atque separari possit. Hinc est, vt raro artifices extrahendo illi oleo immorentur, autore *Quercetano*, qui, eius in locum, varias aquas *Cinamomi* destillant, quæ æquè cordiales sunt, adeoque aduersus deliquia, syncopem, nauseam, stomachumq; debilem, imo affectus alios quam plurimos grauissimosque inseruiunt, prout quotidiana in praxi obseruamus experientia. Atque vt hoc obiter adiiciam, *potiones* vt plurimum *purgantes*, *syrupos* item & *Iulepos* præparantes magnam partem propinamus admista *aquâ cinamomi* destillati, ad gustum, ac gratiam, vt ea, velut condimento, superaccedente, æger minus medicinas fastidiat.

Quercetanus insuper, præter *aquas cinamomi destillatas*, docet etiam *syrupos* ex *cinamomo* præparare, ad varios corporis humani affectus, vtiles: vt videre est in *Pharmacopœâ dogmaticorum restitutâ*. Quid? quod idem autor modum indicat, quo ex *cinamomi* substantia crassiori *stypticum* medicamentum confieri queat, quibus fluxus omnes, etiam *dysenterias*, curare liceat, vt aspergit *diæt. polyhist. cap.* VIII.

Cum apud *Dioscoridem* idem sit *Xylocinamomum*, quod *Zingiber*, quale quidem sextam *Cinamomi* speciem constituere affirmat, meritò hîc post verum *Cinamomum*, succedanei, & *Xylocinamomi* mentionem instituimus.

Quamuis, eodem teste *Dioscoride*, *libr.* II. *cap.* CXC. *Zingiber* cum *Pipere* valdè conueniat, inter quæ tamen illud est discriminis: *Piper* cito & efficaciter calfacit, ac diutius colorem ac vim exserit. Quidam indè persuasum habent, *Zingiber* esse radicem arboris *Piperinæ*, quibus aduersatur *Matthiolus* ex *cap.* CLXXXIII. *Dioscoridis*, vel *Plinio* potius qui *libr.* XII. *cap.* VII. negat *Zingiber* radicem *Piperis* esse. *Piper* itaque tenuium est & subtiliorum partium, vndè promptius agit: *Zingiber* contrà partium est crassiorum, terrestriumque, vndè tardius calfacit, at vero diutius mordet. *Plinius* celeriter *Zingiber* cariem sentire, ait, etsi tantòperè amarum. Id ipsum ex *Aëtio tetr. serm.* I. & *Oribas. medicinal. collect. libr.* XV. patet. *Zingiber* enim radicem appellant validè calfacientem, sed non primo occursu, vt *Piper*: quam ob rem illud minus tenuium partium esse statuunt. *Dioscorides Zingiberis* plantam in copia in *Troglodytica* & *Arabia* prouenire affirmat. Eius autem qualitates ità describit: *Vim porrò* (ait) *habet Zingiber calfacientem, concoquentem, aluum leniter emollientem, ac stomacho etiam vtilem. Est & efficax aduersus ea, quæ pupillis caliginem offundunt.* *Quercetanus Zingiberi* vim salis *Armoniaci* inesse asserit, vndè vellicet linguam, vimque discutientem, attenuantem, atque aperientem sortitum sit. *Myrepsus lib. de antidot. sect.* I. *cap.* CCCCLXII. CCCCLXX. duplicem *Antidotum* ex *Zingibere* describit, quorum alteram contrà *Apoplexiam*, *Maniam* & *Quartanam* prædicat. Nostrates officinæ hodie *Confectione* ex *Zingibere* vtuntur, quod *Diazingiber* vocant, antidotum contrà nauseam, stomachum imbecillem, & humores crudos frigidosque inibi coaceruatos præsentissimum.

Chymi-

Chymici ex *Zingibere*, destillationis beneficio, *oleum* eliciunt, quod singulare est remedium ad *ventriculi frigiditatem, nauseam, inappetentiam*, humoresque phlegmaticos inibi contentos. Idem interiora viscera omnia calfacit, aluum emollit, per sudorem prolicit phlegmaticos humores, sanguinem purificat, menses mulierũ euocat, vrinam ciet, renum tartarum dissoluit, frigidos & steriles senes confortat. Insuper venenis aduersatur, oculorum aciem acuit, catharros exsiccat. Quidam *Quartanâ* laborãtibus, præmissa euacuatione, statim in primo, secundo, tertioque paroxysmo, vbi horripilatio & frigus desiit, calore adhûc durante, à tribus ad quatuor guttas *olei Zingiberis destillati* cum *syrupo cydoniorum*, vel *syr. de granatis*, propinant.

Crocus. Inter omnia *Aromata*, quibus, tanquam condimentis, in cibis vtimur, *Crocus* culinis exoptatissimus, notissimusq; est. Ex eo enim cum *vino, ouis, lacte*, iuscula atq; offæ benè saporatæ redduntur, imò etiam, præsertim in diebus festis, *croco, ouis & sero lactis* condiuntur, adeoq; coloratæ redduntur. *Gelatinas* quoq; omnis generis tàm ex *Piscibus*, quàm *carnibus*, cum *Croco*, communiter parant. *Dioscorides lib. 1. cap.* XXV. *Corycium crocum* commendat, itemq; *Lycium, Olympicum, Æolium, Cyreniacum. Mathiolus Bohemicum* atque *Austriacum Corycio* atq; *Olympio Dioscoridis* neutiquam bonitate cedere asserit: imò illum *Italicum, Siculum*, atq; eum, qui ex *Insulis maris Ægyptii* huc deuehitur, adeoq; omnem *Crocum* peregrinum præcedere affirmat. Adulteratur *Crocomagmate* tuso, aut *Sapa* sublitu. Stomacho commouet appetentiam, concoctioni prodest, colorem bonum caussat, viscera omnia confortat, Venerem incitat, vrinam ciet, Icterum & Hepatis obstructiones tollit, menstrua euocat, apoplecticos lethargicosq; excitat.

Internus nihilo-minus *Croci* vsus moderatus esto, aliàs noxius, imo lethalis est. *Dioscorides* autor est, *Crocum* pondere trium drachmarum cum *vino* sumptum occidere. *Mathiolus* addit, eius rei periculum in cane factum esse.

Idem in nimia quantitate cum vino potus hominem inebriat cito, atq; temulentum facit, imo ridentes occidit. Eius vsus contrà venena, & pestem tritissimus. Dolores etiam quoscunq; mitigat, præsertim â frigida qualitate oriundos, siue intrà, siue extrà applicetur. Duplex maximè est *Crocus*, satiuus, & Syluestris, de quibus videatur *Mathiolus, Lobelius, Tabernæmontanus.* Notissimum est *Emplastrum* apud *Chirurgos*, quod à *Croco* nomen habet atq; *Aceto*, quod *Oxycroceum* dicunt, adeoque in officinis etiam parant. *Chymici, oleum* parant quoq; ex *Croco*, quod prædicatur ad affectus capitis, inprimis *Cordis*, cardialgiam, syncopen, deliquia, & omnes *Cordis* affectus. Idem medetur suspiriosis, doloribus dentium, mensium suppressionibus, partui difficili, pleuritidi, lienosis. Conciliat appetitum, ventriculum roborat, veneno & pesti aduersatur. *Quercetanus* vim narcoticam *Croco* assignat, vndè eundem dicit somnum caussare inprimis liberalius assumptum facile mortem inferre. Olim theatra, atque pulpita *Crocis* fuere conspersa. Hinc *Spartianus in Imp. Hadriano: In honorem* (inquit) *Traiani balsama & Crocum per gradus theatri fluere iussit. Seneca lib. 11. quæ. natural. cap.* IX. id sparsionem vocat. Cui accinit *Poeta*:

Pulpita solennes non oluêre crocos.

Garyophylli. *Garyophylli*, ratione caloris, saporisque, *Piperi* simillimi ferè existunt. Eandem enim acerbitatem habent, sed odoratiora sunt: de quibus *Plinius lib.* XII. *cap.* VIII. *Est* (inquit) *etiam-nunc in India Piperis grani simile, sed vocatur garyophyllon, grandius fragiliusq;. Tradunt in Indico luco id gigni. Aduehitur odoris gratiâ. Fert & in spina Piperis similitudinem, præcipua amaritudi-*

titudine, foliis paruis densisq;, cypri modo, ramis trium cubitorum, cortice pallido, radice latâ, lignosaq;, buxei coloris. Hæc in aqua cum semine excepta, in æreo vase medicamentum fit, quod vocatur Lycion.

Quercetanus Garyophyllos pinguiores atque oleaginosiores aliis *Aromatibus* esse astruit, vndè & magis calfaciant. Pollent autem *Garyophylli* multiplici virtute, caput, cor, hepar, ventriculumque corroborant, concoctionem adiuuant, nauseam vomitumque retardant, valent aduersus oris fætorem, affectus omnes capitis & viscerum frigidos, dentium dolorem, epilepsiam, pestem, ventriculi flatus cruditateque, dysenteriam, vertiginem, lipothymiam, visusque hebetudinem.

Ex *Garyophyllis oleum* destillatur præstantissimum. Quod in omnibus capitis, cordis, ventriculique affectibus frigidis cum successu adhibetur. Medetur enim vertigini, epilepsiæ, cardialgiæ, palpitationibus cordis, deliquiis, appetentiæ deiectæ, ventriculo debili. Prodest suffocationi matricis, dysenteriæ, odontalgiæ, colicæ passioni, apoplexiæ, catarrhis, oculorum caligini, febribus intermittentibus, spasmo, & similibus. Vsus einsdem in *dolore dentium* optimè conducit. Miscetur autem cum *oleo Camphoræ* destillato. & dentibus cauis inditur, quo modo apprimè confert. *Quercetanus oleum Garyophyllorum* crassiorum partium esse pronunciat, vndè fit, quòd statim fundum aquæ petat, cum alia olea contra supernatare soleant. Eidem tantam ac diuturnam caliditatem tribuit, vt vim causticam possideat. Eiusdem vsum in *Dentium doloribus*, itemque stomachi infirmitatibus è frigidis humoribus oriundis predicat. *Auenzoar in præfat. lib. d. conseru. sanit.* scribit, *puluerem garyophyllorum* hyberno tempore capiti aspersum catarrhos frigidos absumere, id quod ipse non vnâ experientiâ confirmârit.

Matres-familiâs, itemque coqui, *Caryophyllis* ad cibos condiendos multiplices creberrimè vtuntur. Ex iis enim fercula mille condiunt. *Pisces* cum *garyophyllis* præcipuè ad commendatam bonitatem elixantur. Carnes, auicularum, gallinarum, gallorum, caponum, leporum, itemque vitulinæ, bouinæ, ferinæque, & similes *garyophyllis* condiuntur, optimeque interfiguntur. Pariter *pyra, cydonia*, similesque fructus *garyophyllis* transfodiuntur. *Bellaria* indè, *panes Martii, farcimina*, atque alia, iisdem acuuntur. *Mathiolus* pro cereuisia, vt optimum saporem acquirat, iubet accipere *garyophyllorum* puluerisatorum drachmas duas, *baccarum Lauri* tantundem, atque hæc inuicem nodulo excepta in dolio suspendere. E *garyophyllis* denique *Acetum* nominatissimum conficit, *acetum garyophyllorum* dictum, ad multa præstans.

Nuces Moschatæ, autore *Mathiolo*, apud *Insulam Bandan in Indiis* nascuntur. Arbor eius *Nucistæ*
similis est arbori mali persici, nisi quod foliis breuioribus, & trunco angustior est. Pollent tribus corticibus hæ *nuces*; Duorum autem sunt generum. Aliæ enim oblongiores; quas mares vocant: aliæ vero rotundiores sunt, quæ etiam valentiores.

Earum vis inter *Aromata* temperatissima habetur: inprimis stomacho vtilissima, autore *Quercetano*. Prosunt autem contrà affectus capitis frigidas, vertiginem, stomachi debilitatem, lienis inflationem, vrinæ retentionem, flatus doloresque in intestinis, vtero, stomachoque contentos. Eodem modo aduersantur dysenteriæ, præsertim si vstæ sint, itemque medentur vomitui, nauseæ.

Duplex ex his Nucibus fit *oleum*. Aliud per destillationem, quod validius, atque ad suprà enarratos affectus præstantius, componitur: aliud verò per expressionem fit quod ex nucibus contusis ad modum *Ceræ* exprimitur. Idem valet ad ventriculi in-

flationes, cruditates, dolores colicos, tàm externè [illegible], ventriculumque illitum, quàm intus cum iusculo sumptum.

Quantum verò *Coqui* ad condiendos cibos varios *Nuces Moschatæ* tribuant, quamque crebrò illis vtantur, pluribus demonstrare supervacaneum futurum sit, cum res sit clarissima. Vinitores hodie vnam atq; alteram *Nucem Moschatam* (aliâs *Nucistam* vocant) vino inspergunt, eoque remedio vina melius conservant, quam si ineptius sulphur admisissent.

Gummi prætereà in *Nucistæ* arbore nascitur, quod ex *Portugallia* in *Italiam* affertur, optimi fragrantissimique odoris, colore rubrum. Eius efficaciam, ad artus debiles roborandos, præsertim *in Ischiade* & *Podagra*, admodum commendat *Ioan. Bapt. Montanus consil. Med.* LXXXVI.

Macis. *Macis* est flos, siue inuolucrum illud, quod inter *Nucistas* & putamina earum interiacet: prout in *Nucistis* ipsis euidens est, quæ macere adhûc ex parte obteguntur. Refert *Cerebri meningas*, sicut *Nucista* ipsum *Cerebrum*. Ideoq; vis eius, præsertim *olei* indè destillati, ad affectus capitis præstans est. Vehementior quoq; vis est & tenuiorũ partium, in *Macere*, quàm in *Nucista*. *Plinius* & *Dioscorides* arboris cuiusdam meminerunt, quæ *Macer Dioscoridi*, *Macir Plinio* dicitur. Ideoq; non *Macer*, sed *Macis* dicendum. *Macer* enim referente *Dioscoride, cortex est è Barbaria aduehi solitus, subflauus, crassus, & gustu perquam astringens. Bibitur ad cruentas excreationes, dysenterias, & alui fluxiones.* E *Macere* de quo hîc sermo, *Chymici oleum* elegans eliciunt, quod *oleo Nucistæ* bonitate par est, sed validius penetrat, minusq; astringit. Memoriam acuit, stomachi concoctionem iuuat, flatus, torminaq; discutit, palpitationibus cordis medetur, stranguriam emendat. Præfertur in re medica *oleo Nucistæ* quia citius penetrat, viresque suas exerit.

Macere verò innumeros penè cibos ac fercula eleganter ac iucundè condiri quis nescit? Id vndique prædicat culina.

Sinapi. *Sinapi* trium est generum. Quorum duo satiua sunt, tertium syluestre. In eius floribus apiculę cum desiderio fauos colligunt. Ex condimentis culinariis non postremum est. Multum enim palato, stomacho, & gustui confert. *Plautus in Pseudolo sceleratum sinapi* vocat, quod lacrymas cieat:

> *Teritur sinapis scelerata, cum illis, qui terunt,*
> *Nam, priusquam triuerint, oculi vt exstillent, facit.*

Eiusdem vsum tristitiam, vel tristes facere, idem autor in *Trucul.*

> *Si eo astor hic homo sinapi victitet, non censeam*
> *Tam esse tristem posse.*

Hinc *Adagii* origo: *Sinapi victitare.* Tristes enim & suprà modum tetrici *sinapi* victitare dicuntur. Ciet enim lacrymas *Sinapi*. *Aristophanes in Equitibus: Tornum tuens, vt qui Sinapi victitant, frontem seueram contrahebat.* Et apud *Macrobium Ennius* inquit. *Nec triste quæritat Sinapi, neq; mæstum cæpa.*

Cæterum, *Sinapi* in cibis comestum cruditates superfluas in stomacho discutit, absumitque, vrinam ciet, itemque menstrua, pectus dilatat, atque asthmaticis auxilio est. Quidam contrà *febrem Quotidianam Sinapi* ℨ: propinant ex *vino* albo calidè hora vnâ antè paroxysmum, & sic medentur. Sed, nisi vniuersalia, & morbi coctio præcesserint, remedium illud vix tutum erit. Idem phlegma capitis purgat, catarrhos sistit, Cerebrum mundat, epilepticæ aduersatur. Cum *aceto* naribus obiectum suffocationem vteri retundit.

dit. Idem narib. inditum, vel plantis pedum cum *aceto* acerrimo affrictum, lethargicos excitat. Idem capillos gignit, auditui debili auxiliatur. *Dioscorides lib. II cap. CLXXXIII* ità virtutes eius asserit: *Sinapi* (inquit) *ad calfaciendum, attenuandum, attrahendumq; efficax est. Commanducatum autem valet ad pituitam capitis eliciendam. At succus ex aqua mulsa contrà Tonsillarum praeduros tumores, veteresq; & callosas arteriae scabritias gargarizatum prodest. Ipsum verò Sinapi tritum & naribus admotum sternutamenta ciet. Comitialibus quoq; auxiliatur. & vulua strangulatâ oppressas excitat. Quin & lethargicorum capiti deraso illinitur. Ficu autem admistum & impositum donec rubescat locus, ac in vniuersum ad quemuis diuturnum dolorem, cum ex alto in summam cutem quippiam extrahere est in animo, translato scil. in alteram partem affectu. Alopeciis etiam illitum medetur, faciem purgat, & oculorum sugillata tollit, cum melle, adipe, aut Cerato. Cum aceto vero lepra, & ferae impetigines eo perunguntur. Sed & contrà febriles circuitus aridum bibitur, polentae modo potui inspersum. Emplastris quoq; extrahendi vi praeditis, iisq; quae ad psoram faciunt, vtiliter admiscetur. Succurrit & auditus grauitati, interiisq; sonitibus cum fico tritum, auribusq; inditum. Ipsius vero succus cum melle ad oculorum hebetudines venarumq; scabritias conuenienter inungitur.* Haec Dioscorides.

Ex *Sinapi* apud *Medicos* fiunt *Emplastra*, quae *Sinapismi* vocantur, quibus in doloribus acutis ac pertinacibus humorem adue[ct]um ex alto ad cutim attrahimus. Pollet enim vi attrahendi ex alto *Sinapi*, autore *Dioscor.* Ad *Vesicatoria* similiter in *peste*, *oculorum affectibus*, & eius-modi, vtilitatè cum *cantharidibus* miscetur, ac *fermento acri*, vnà cum *aceto*, vel *aqua vitae*.

Bellaria denique ex *Sinapi* gratissima conficiuntur, quae cibis, carnibus videlicet, piscibus, oleribusque admiscentur, ad gratiam palato, ventriculo verò appetentiam conciliandam, sicut omnibus tàm notum quàm est notissimum. Vulgò Senff appellant. *Italis Mostarda* dicitur: quòd è musto fiat dubio procul. In *Autumno* enim cum musto vini noui *Mustardae* parari solent. *Mathiolus Mustardum* optimam ità describit: ℞. *Sinapis recent.* lib. j. tundatur affusa super aqua calente, & benè fricetur, teratur que in olla clausa ad biduum, vel triduum, deindè fricetur, vel teratur denuo. Posteà superaffunde *Musti* recent. el. lib. VI. *cydonior. in Musto* coctor. colatorumque lib. j. *garyophyll. cinam.* an. ℥j. misc. omnia & feruentur ad vsum.

Et sic habebis *Mustardam* optimam, quam si minus acrem cupias, *Musti* quantitatem augebis.

Caupones, qui ex *Italia* vina recentia in *Germaniam* aduehunt, *Sinapi* cum *Musto* vini illius commiscent, vndè vina dulcorem retinent, nec efferuescere, inter vehendum, aut despumare possunt, eodem autore.

Enumeratis itaque nunc atque propositis superius vsitatioribus, pretiosioribusque ciborum *Condimentis*, iisque magnam partem peregrinis, atque exoticis, quae *Aromata* nuncupamus: in praesentiarum quoque de iis quaedam dicere constituimus, quae licet propriè *Aromata* non sint, neque etiam *Condimenta* vulgo appellitentur, nihilo-minus tamen, prout *Condimentis* illis *primariis* substitui possunt, adeoque ad ciborum tàm conseruationem, quàm gratiam in saporando multùm conferunt, ità hoc etiam in agone neglectim minimè habere ea, aut ex *Condimentorum* elencho excludere fas esto. Ex illis autem sunt: *Baccae Iuniperi*; *Lardum*: *Mala citria, Limonia*; *Aurantia*; *amygdalae*; *passulae*; *oliuae*; *cappares*; *semina* itemque *anisi, coriandri, foeniculi*: quibus adduntur *allia, Cepae*, &c.

 Quod

Iuniperi baccæ.

Quod ad *Iuniperi baccas* ergò facit, eam arborem, eiusdemque fructus tantis, tàmque admirandis virtutibus Deus Opt. Max. præstantem, excellentemque reddidit, vt inter præcipuas *Germaniæ, Europæq;* medicinas, quales quidem è fruticibus ac plantis nascuntur, merito recenseri debeat. Dicitur autem *Iuniperus*, quod iuniores & nouellos fructus pariat. Duorum est potissimum generum: *Minor*, quæ in *Germania* prouenit: & *Maior*, qualis in *Hetruria* nasci proditur, sub qua *Elias Propheta* consedisse, adeoque ab *Angelo* pastum accepisse colligitur, iuxta III. *Regum, cap.* XIX. Idem affirmat *Dioscorides libr.* I. *cap.* CIII. *Iuniperus quædam* (ait) *maior est, minor altera. Vtraq; acris est, extenuat, vrinas ciet, excalfacit, accensaque serpentes fugat. Vnius fructus nucis Ponticæ magnitudine reperitur: alterius verò fabam æquat, at rotundus est, odoratus, dulcis in mandendo ac subamarus, arkeuthis, id est, Iuniperi bacca dictus. Moderatè calfacit, & astringit, stomacho vtilis. Potus ad pectoris vitia, tusses, inflationes, tormina, virulentarumq; bestiarum venena confert. Vrinas quoq; ciet: vnde & conuulsis, & ruptis, vuluæq; strangulatui subuenit.*

Conficitur *lixiuium* è cineribus ligni *Iuniperini* cum *vino albo*, quod potum hydropicos curat, autore *Mathiolo*. Prosunt itaq; *baccæ Iuniperinæ* ad stomachi frigidi confortationem, tussim sedant, pectus dilatant, flatus ventris discutiunt, suffocationes vteri, ac spasmum curant, vrinam ac calculos mouent, menses euocant, contraq; venena, ac pestem tum præseruationis, tum curationis loco prosunt. Ligni vsus in podagra, ac pedum imbecillitate præstans est, si in decocto eius pedes lauentur. Quod tamen tum fieri debet, cum vniuersalia præmissa fuerunt, adeoq; æger extrà Paroxysmum morbi atque exacerbationes versatur.

Dioscorides vinum è baccis Iuniperi describit *lib.* 5. *cap.* XLVI. quod commendat earundem esse virium cum *vino Cedrite*, id est, è *Cedri* fructu composito.

Mathiolus duplex *oleum Iuniperinum*, atque vtriusq; descriptionem, proponit. Aliud enim è *baccis Iuniperi*, aliud verò ex scobibus ligni parat. Illud autem quod è baccis destillatione prolicitur, præstantius est altero, cum etiam ipsi *Balsamo* penè comparãdum sit. *Chymici* illud *pro balsamo Teutonico* extollunt. Prodest singulari efficaciâ *ad dolores iuncturarum, articulorum, Paralysin, spasmum, catarrhos, destillationesq; capitis frigidas. Ventriculum* à phlegmate emendat, *nauseam, vomitumq;* retundit, concoctricem admodum iuuat; *hæmoptoisin, tussimq;* frigidam tollit, *colicæ, diarrhææ*, omniq; fluxui cruento, inprimis *hæmorrhoidib.* & *menstruis* mulierum *exorbitantib.* subuenit. Præterea à *lumbricos* enecat, *calculũ* è *renib.* & *vesica* expellit, *partus mortuos* eiicit, *venenis* & *pesti* aduersatur, *scabiem* atq; *herpetas* curat, *vlceribus antiquis*, v. gr. *Cancro, Lupo*, & similibus prodest, *dentium dolorẽ* à caussa frigida mitigat, *surdastris, epilepticis, arthriticis*, atque omnibus iis penè affectibus à caussa frigida oriundis auxilio est: vt nõ immeritò *Germaniæ* nostræ *Balsamus* indigetari debeat.

Eo ipso igitur, quo *Iuniperus*, eiusdemq; *baccæ*, corruptioni, putredini, venenis, ipsique pesti efficaciter resistunt, adeoq; verum *Balsamum* repræsentant, tum quod ventriculum, eiusdemque appetitricem, concoctricemq; magno commodo emendant, promouentq;, mehercle ad ciborum ferculorumq; condimenta, tanquam genuinum *Germaniæ* nostræ *Aroma* vsurpari solet, debetque. Quid enim foris petere expedit, quod habeas domi? Imò hæc nostris in locis pronata remedia nostris etiam temperamentis magis conducibilia esse persuasissimum est. Appositè huic instituto subscribit *Plinius nat. hist. lib.* XXII. *cap.* XIV. ad finem: *Nos nec Indicarum Arabicarumq; mercium, aut exteri orbis attingimus medicinas. Non placent remedia tàm longè nascentia: non nobis gignuntur: imò ne illis quidem: alioquin non venderent.*

Coqui

Coqui itaque, rustici, & matres-familiâs *baccis Iuniperinis* frequentissime vtuntur ad ciborum condimentum. Cum illis enim *Carnes* tàm frixæ, quàm assæ, optimum gratissimumque saporem dant. Vulgò *Brassicam* per hyemem cū *Iuniperinis* istis condiunt, quæ multis appetentiam excitat, concoctionemque iuuat, præsertim robustioribus, & qui eius-modi ciborum generi assueuerunt.

Quid? quod nobiles illæ aues, *Turdos* vocant, quales à baccis illis nomen acceperūt, duntaxat fructibus illis vescuntur, seseque impinguant, id quod tantum non ex odore saporeque carnium, sed & stomachis earundem, qui baccis eius modi referti inueniuntur, euidens fit. Vnde tam commendatissimi sunt saporis, vt non immeritò *Martialis*, inter auiculas, *Turdis* palmam adscripserit *Epigr.* XCII. *libr.* XIII.

Inter Aues Turdus, si quis me iudice certet,
Inter Quadrupedes gloria prima Lepus.

Lardum, siue *Laridum*, ad condimenta eduliorum optimè facit. Eo siquidem non solum omnis generis ferinæ, sed carnes assæ aliæ, inprimis volatilium, transfiguntur, vnde gratissimi saporis fiunt. Idem in multis loco *Butyri* cedit: imò in non-nullis, vbi maximè carnes quædam transfiguntur, *butyro* etiam præferri meretur. Sic *oua* cum *lardo* friguntur, & alia multa. Hodie *Lardum Westphalicum*, præcipuè *perna Westphalica*, primo loco sunt. *Martialis* quoque *pernas* & *petasones* inter delicias alimentarias refert *libr.* XIII. Sic autem de *Perna*, *Epigr.* LIV. *Lardum.*

Caretana mihi fiet, vel massa licebit
De Menapis: lauti de petasone vorent.

Idem de *Petasone Epigr.* LV.

Musteus est: propera, caros nec differ amicos:
Nam mihi cum vetulo sit petasone nihil.

Vide *suprà libr.* I. *cap.* XIIX. *de sfericula.* Est autē *Lardum* caro suilla, quouis modò salita. Eaque vel est recentior, quæ nudo tantùm sale imprægnata est: vel vetustior, quæ præter salem fumo quoque indurata est, quæque in annum & vlterius asseruatur. *Plautus in Captiuis*: *Quanta pernis pestis veniet? quanta labes larido?* Et *Ouidius libr.* VI. *Fastor.*

Pinguia cur illis gustantur larda Calendis?

E quibus consectarium apparet, *Lardum* quoque penes veteres in vsu atque pretio extitisse. Cuius rei testem hîc quoque appellare libet *G. Sabinum, Poëtam Germanum*, in *Ecloga, de Nuptiis Brandeburgicis*:

Non ibi cepa rubens, fumoso coctaq; lardo
Rapa, vel instructas onerabat brassica mensas:
Sed caro, nescio quæ, Panchæi, cinnami odorem
Latè diffundens: hîc lancibus ora ferarum,
Hic capita immani stabant & hiantia rictu.

Et non minus eleganter quàm argutè ad finem:

In patina non sunt metuendi dentibus apri,
Sicut in vmbrosis, fera dant vbi vulnera, syluis.

Citria, Latinis Mala Medica dicta, à *Palladio* primùm è terra *Media* in *Italiam* translata sunt. Eadem & *Poma Iudaica* appellantur. Familia enim vnaquæque penes *Iudæos* quotannis eius-modi *Citrium* in parato habere debet. Est autem fructus iam in *Germania* tàm notissimus, quàm præstantissimus, cuius in re Medica vsus multiplex. Eius enim *Citria.*

 succus,

ſuccus, ſemen, adeoque ipſe cortex multimodè remedium fit. Ex iis vel ſingulis, vel omnibus elegans cordiale, contra omnis generis debilitates, deliquia, & cardialgias paratur. Eadem ſtomachum roborant, appetitum cient, æſtus febriles retundunt, inprimis peſtilentiæ & venenis vi alexipharmacâ reſiſtunt. Cuius rei elegans & admiranda hiſtoria ex *Athenæo* apud *Matthiolum* extat, cuiuſdam ad furcam & *Aſpidum* morſus, more Ægyptio, damnati, qui ex eſu *mali Citrii*, fortè fortunâ in via communicati, ab *Aſpidibus* licet crudeliter commorſus, immunis tamen ab omni periculo euaſit. Eadem bonum anhelitum oris conciliant, melancholicis, æſtibusque febrilibus medentur tanto cum emolumento, vt in publicis officinis hodie complures compoſitiones de *Citriis* fiant. Cuius modi ſunt v. gr. *Syrupus de aceroſitate Citri*, *Syrupus de Citro ſimplex*, *& compoſitus*, *Conditum Citri*, *ſuccus & pulpa Citri*, quæ cum *Saccharo* parantur. Ex *Pharmacopolis* itaque, ob præſtantiam ſuam, ſtomachi confortationem, inprimis quod edulia palato accepta inde apparantur, *Citria* ad coquos quoque & matres familiàs tranſierunt. In *Italia* frequens *Citriorum Aurantiorumque* eſus atque vſus eſt, tum ob regionis calorem, tum ob maximum prouentum vbertimum. Raro enim menſa aut nunquam ſiruuntur abſque illis fructibus, quorum ſucco vel inter manus ſaltem expreſſo *Carnes* aſperſas palato gratiores reddunt, tum *piſces* inprimis optimè ſaporant. Matres noſtræ *carnes*, & eiuſ-modi mille qu. obſonia *Citriis* interfigunt, acuunt, condiuntque. Præparatur etiam è *Corticibus Citri* arte Chymicâ *Oleum* præſtantiſſimũ, quod ad prædictos omnes affectus efficaciter & iucundè valet.

Limonia & Aurantia. Eiuſdem bonitatis vtilitatisque ſunt *Limonia* atque *Aurantia*. Ad eoſdem enim affectus atque occaſiones eadem vſurpãtur. E quibus *Limonia* tamen ſuccum paulò acriorem afferunt, vnde & contra *lumbricos*, æſtus *febrium malignarum*, ipſamque *peſtilentiam*, conferunt. In *Officinis* noſtris præparatur *Syrupus de ſucco Limonum*, qui quidem in *Febribus acutis*, inprimis *Epidemiis* & *Peſtilentialibus* triumphum ducunt. Pariter è *ſucco* eorundem *aqua* deſtillatur, quæ ad eoſdem vſus cum ſucceſſu permiſcetur.

Ex *Aurantiis* quoque, præcipuè è floribus eorundem, elicitur aqua eximii valoris, quæ ad *ſudores*, *cardialgias*, *æſtusque*, confert. Eadem in paroxyſmis *febrium* propinatur. Nõ minorem laudem merentur *Cortices Aurantiorum*. Illi enim tantùm non *ſtomachum* iuuant, ſed & *affectus hyſtericos*, *colicam*, *ventrisque dolores frigidos* tollunt, ſedantque. Notiſſimum eſt *Oleum è corticibus Aurantiorum* deſtillatum, quod frigidis ventriculi affectibus, lipothymiis, debilitatibus, colicis paſſionibus, hyſtericis morbis, palpitationibus cordis, venenis, & peſtilitati cum emolumento inſeruit. Matres familiàs ad carnes ſaporandas tàm quadrupedum, quàm volatilium, nunc *Limonibus* fruſtulatim ſciſſis, nunc *Aurantii* corticibus frequenter atque quotidie vti didicerunt, vt pluribus hac in re imitari non ſit opportunum. Similiter *Cydonia*, *pyra*, ac *poma*, inprimis redolentia, multiplicem vſum in Medicina, tum arte coquinaria præſtant, multæ enim compoſitiones apud *Pharmacopœos* elaborantur in vſus quotidianos, præſertim ad *ſtomachi* debilitatem, *ciborum concoctionem*, *diarrhœam*, *dyſenteriam*, & ſimiles morbos. Hinc celebris eſt *Miua Cydoniorum*, *Syrupus de Cydoniis*, *Oleum de Cydoniis*, & alia; Vide *Dioſcoridem libr. I. cap.* CLX. *de Cydoniis*. Pariter ex *pyris* ac *pomis*, *Syrupi* tam ſimplices, tum compoſiti proſtant, iique ad roborationem cordis, æſtus febriles, venena, peſtemque celebrantur. Ex ſucco *Pomorum Pomadæ* fiunt, *Vnguenta* illa ad odorem & gratiam cuticulæ conciliandam lectiſſima. Prout itaque *Citriis*, *Limoniis*, atque *Aurantiis* cibi condiri ſo-

ri ſolent, itâ viciſſim *Cydoniis*, *Pomis*, *Pyriſq́* coqui noſtrates cum obſoniis vtuntur.

Oliuæ præterea, præſertim quæ ſale condiuntur, aſſeruanturq́ue, vſitatæ admodum *Oliuæ.* atque frequentes ſunt in epulis. Iis enim tantùm non inter bellaria ſecundæ menſæ, ſed & obſonia & cum carnibus primæ menſæ ad gratiam ſaporis veſci ſolemus. Sunt autem fructus *oleæ* arboris, de qua *Dioſcorides libr. I. cap.* CXXXVIII. *Corrimbades* tam Græco quàm Latino ſermone oliuæ nuncupantur, vt idem *Dioſcorides* & *Matthiolus* autores ſunt. Eæ tritæ, & ambuſtis illitæ, puſtulas gigni vetant, atque vlcera ſordida purgant. Earum ſuccus, inſtar gargariſmi vſurpatus, gingiuas laxas contrahit, denteſq́ue labiles ſtabilit. Eædem illitæ furfures capitis curant, atque vlcera depaſcentia remouent. *Oliuæ* ante paſtum comeſtæ cum muria ſua aluum ſubducunt, referente *Matthiolo*. Ex iiſdem *oleum commune* componitur, cuius inſignes virtutes in multis grauibus occaſionibus compertæ ſunt, de quo videri poteſt *Dioſcorides libr. I. cap.* L. & *Matthiolus libr. de herb. cap.* LVII.

Eodem in loco cum apud Medicos, tum medicaſtros & *coquos* ſunt *cappares*, quo *oliuæ*. *Cappares.* Eaſdem etiam regiones amant, *Italiam* ſcil. *Hiſpaniam*, *Galliamq́*, in quibus proueniunt. In *Germania* enim, ob cœlum frigidius, neque *Oliuæ*, neque *Cappares* plantantur. Condiuntur autem *Cappares* ſale, vt ad cibos ſimiliter præſtò ſint, & palato arrideant. Noſtrates, condimenti loco tam *carnes*, quàm *piſces Capparibus* aſpergunt. *Oleum* ex illis paratur, *de Capparibus* dictum, quod externè illinitur ad *Lienis* affectus, cui curãdo *Cappares* tam internè quàm externè in vſum ducti, accuratè atque ex proprietate ſuccurrunt.

Amygdalæ verò in *Germania* quoq; potiſſimùm ad *Rheni*, *Mœniq́* confinia, hodie proueniunt. *Amygdalæ.* Fructus eſt ob multas vtilitates, quas præſtat, commendatiſſimus. Iis grauidæ cum commodo veſçuntur, inprimis etiam *phthiſici*. Eæ ſunt inter ſe duplices: *Amaræ* & *Dulces*. Illæ cum cibis comeſtæ thoracem leniunt, tuſſiculoſis & aſthmaticis proſunt, ſtomacho imbecillo auxiliantur, ſomnum adiuuant, vrinam cient, colicæ medentur. Hæ verò, præſertim verò *Oleum amygdal. dulcium*, intrinſecos ſtomachi dolores demulcent, colicas hyſtericas, & nephriticas paſſiones curant, aluum laxant, pectus pulmoneſq; leniunt. Hinc varia ex *Amygdalis* parantur ad varios affectus: velut eſt *Lac amygdalinum*, cuius vſus etiam ruſticolis innotuit, in *febribus*, atque affectibus calidis, item Iuſcula cum *Amygdalis* & *ſaccharo* parata: inprimis *oleum ex amygdalis* expreſſum, quod ideo à *Medicis* plerumque recenter exprimendum in Officinas præſcribitur, quod id aliquantiſper aſſeruatum noxam illicò contrahat. Quid? quòd paſtæ illæ regiæ, quos *Panes Martios* vocant, ex *Amygdalis* conficiuntur, quarũ bonitas hederâ non indiget. Quotidiano igitur in vſu cum apud *Medicos*, tum *Coquos* non immeritò ſunt *Amygdalæ*. Illi enim illis in variis ægritudinibus opem ferunt. Hi eiſdem varia ciborum genera, varias *Gelatinas*, aliaſq́ue alimentares compoſitiones, in gratiam epulantium conficiunt, quę tam in prima, quàm ſecunda menſa apponuntur. Quidam, ad certum numerũ comeſtis *Amygdalis*, ebrietati conſulere contendunt, præſertim *amaris*. Eius ſententiæ quoque eſt *Dioſcorides* qui *libr. I. cap.* CLXXVI. his verbis. *Quinæ ſenæq́ (Amygdalæ, ait) ſi præſumantur, ebrietatem arcent.*

Eiuſdem commatis ferè cum *Amygdalis Paſſulæ* ſunt, aliàs vuæ paſſæ dictæ. Eæ enim *Paſſulæ.* tàm familiares ſunt *Hippocrati*, qui in *apitio*, id eſt, tàm rei Medicæ, quã culinariæ. *Matthiolus* autor eſt, eas ita ex vuis quibuslibet præſtãtiſſimis præparari: qui modus videri

poteſt

poteſt apud *Columellam lib.* XIII. *cap.* XVI. Duorum autem ad nos afferuntur generum. Sunt enim vel *Minores*, vel *Maiores*. Eaſdem vices cum *paſſulis* dicuntur habere *cubebæ*. *Dioſcorides libr.* V. *cap.* IV. *Paſſularum* carnes prodeſſe ſcribit arteriæ, tuſſi, renibus & veſicæ. Cum nucleis comeſtæ, dyſenteriæ auxilio ſunt. Cum *pipere* commanducatæ pituitam è capite eliciunt; teſtium phlegmonas cum fabarum & cumini farina ſedant. Eædem epinyctidas, carbunculos, fanos, vlcera articulorum putrida, gangrænas etiam ſine nucleis tritæ, & cum *ruta* illitæ, ſanant. Podagricis etiam proſunt & mobiles dentes illitæ oppido extrahunt, referente *Dioſcor.* Earum, inprimis maiuſcularum, frequens vſus tuſſi, pulmonum & thoracis affectibus ſuccurrit, aluum ventremque molliter laxat, vſque eo vt temperamentis hominibusque cholericis, qui alui conſtipationibus maximè obnoxii ſunt, ad aluum emolliendam facilior melliorque medicina præſcribi vix queat. Coqui noſtri *Paſſulis* vtriſque *Carnes, Gelatinas*, aliaque obſonia, vſitato more aſpergunt, atque cum iiſdem concoquunt, præſertim vbi dulcorem ac vim laxantem in cibis introducere animus eſt.

Præterea inter *fruges medicatas* connumerari ſimul poſſint, *roſmarinus. ſaluia, mentha, amaracus, thymbra*, & id genus ſimplicia complurima, qualia cibis ſæpenumerò gratiam conciliant.

Sem. Aniſi. Inprimis autem *ſemina Aniſi, Feniculi*, ac *Coriandri* tàm familiari in vſu ſunt cùm penes *Coquos*, tum apud *Medicos*, vt quotidie ferè præſcribantur. Inſeruit autem ſemen *Aniſi thoracis & pulmonum affectibus*, tuſſiculoſis, anheloſiſque, & contrà oris fœtorem. Ventriculo frigido medetur, flatus diſcutit, concoctionem emendat, ſtomachũ claudit, atque euaporationes in caput prohibet. *Pharmacopæi* prædicta ſemina ſaccharo cooperiunt, quibus vtimur ad oris anhelitum emendandum, ſtomachum acuendum, ſomnumque prouocandum. *Meſue*, *Medicus* antiquus, *Confectionem Dianiſi*, ad multa eiuſ-modi vtilem, deſcribit, quæ hodie etiam-nunc vſitata & celebris. *Medici Trageas, pulueres ſtomachales* poſt paſtum dictos, *Tabulas, Morſuloſq;* ex eodem ſeminio, inter alia præſcribunt, quibus à paſtu ventriculus clauditur, diſtributio ciborum promouetur, atque caput ab euaporationibus ſtomachi præmunitur.

Pythagoras ſemen Aniſi ſummi fecit, quòd mille virtutibus valeat. Intrò enim ſumptũ, medetur affectibus *Pulmonum, Hepatis*, atque *Vteri* phlegmaticis, flatulentiſque, præſertim *ſtomachi* imbecillitatibus. Anheloſis item, colicis, hydropicis, epilepticis, dyſentericis, menſtruis mulierum nimis fluentibus optimè ſuccurrit, imò calfacit, aperit, roboratque omnes partes interiores. Matres *Aniſi ſcrupulum* craſſiuſculè puluerifatum, infantibus exhibent in primo pultis cochleari, aduerſus *tormina ventris*, vnde tantum ipſis aluus ſubducitur, ac ſi ſenior aliquis *Rhabarbarum* ſumpſiſſet, autore *Heurnio*. Externè verò adhibitum *Aniſum*, ſuffitu prodeſt ad *Cephalalgiam*, & *inſomnia*. Ex ſemine remedia fiunt contra oculorum, auriumq; affectus, *Dioſcorides Creticum* laudat, & proximè *Ægyptium libr.* III. *cap.* LXIV. De eius autem qualitatibus ita diſſerit: *Aniſum in vniuerſum vim habet excalfaciendi, exſiccandi, oris halitum iucundiorem faciendi, dolores leuandi, digerendi, vrinas ciendi, ac deniq; diſcutiendi, diſſipandiq;*, &c.

Ex ſeminibus *Aniſi aqua & oleum* deſtillatione eliciuntur, quę verum thoracis ac pulmonum ſunt remedium. Eadem enim vel ſeorſim, vel iunctim vſurpata, caput roborant, catarrhos impediunt, thoracem à pituitoſis humoribus infarctũ leniunt, aſthmaticis phthiſiciſque proſunt: ità vt ad *Thoracem pulmoneſq;* *Aniſum* velut natum eſſe videatur.

Feniculum

Feniculum, etsi oculis clarificandis, acuendisque propriè dicatum sit, nihilominus tamen ad alia plurima corporis humani mala bene cedit. *Serpentes feniculi* vsum primitus aperuisse scribuntur. Cum eo enim quotannis visum acuunt, præsertim, quando exuuias suas deponunt. Quod cùm ab hominibus obseruatum fuisset, ad oculorum vitia vsurpari cœpit. *Dioscorides* succum è caulibus & foliis expressum, atque in Sole siccatum, oculorum remediis vtiliter addi refert, qualia ad aciem visus excitandam reficiendamque præparantur, *libr.* III. *cap.* LXXXI. Ex eiusdem seminio, itemque radicibus primâ germinatione similiter succum elici annotauit. Addit verò, *Feniculum* in *Iberia*, ad Occidentem spectante, liquorem reddere, instar *Gummi*. Caulem ideoque medium, dum floret herba, indigenas demetere asserit, ignique admouere, quo vi caloris facilius velut exudans *Gummi* emittat. Id succo ipso ad *oculorum* accidentia efficacius ab eodem prædicatur. Porrò, *Feniculi* vsus mammas lacte replet, renibus ac vesicæ vtilis est, contra serpentum morsus valet, menses ciet, canum morsibus auxiliatur, atque in febribus nauseam ardoremque stomachi compescit, asscribente *Dioscoride*. Ex eodem semine pariter *aqua* atque *oleum* destillatur. E quibus *oleum* oculis lacrymantibus, dolentibusque apprimè conuenit, phthisicis, hepaticis, ictericis, asthmaticis, spleneticisque medetur: Cor recreat, vterum roborat, colicam passionem, vmbilico illitū, sedat. Matres nostræ frequenter eo in cibis vtuntur, præsertim hyeme, contra tussim, atque anhelitus difficultates. Sic infantibus lactentibus contra tussim, & respirandi impedimentum, semen tusum cum lacte tepido propinant. Sic *carnes pomorum* butyro probè frixas feniculo condiunt, in adultioribus, ad eadem vitia. Sic *Cucumeres* in annum asseruantur *semine feniculi* conditi: Qui in mensa iuxta fercula apposita stomacho appetentiam, palatoque gratiam excitant. *Feniculi.*

Quod ad *Coriandrum* facit; etsi herba ista non tuta sit quoad vsum medicinalē, imò, ob odorem ingratum sine noxa capitis vsurpari nequeat, nihilo-secius tamen semen eius plantæ contemnendæ vtilitatis inuenitur. Quanquam tamen nimius etiam eiusdem vsus periculo minimè vacet, asserente *Dioscoride, libr.* III. *cap.* LXXI. *Ac si largius* (inquit) *semen sumptum fuerit, mentem non sine periculo è sua sede, & statu dimouet; quam ob rem ab ipsius copiosiore, frequentioreq; vsu cauendum.* *Matthiolus semen Coriandri* à *Medicis* præscribi vetat, antequam sit præparatum, id est, per noctem in *vino* bono vel *aceto* infusum, atq; postea exsiccatum. *Dioscorides Coriandro* vim refrigeratoriam asscribit. Eiusce *semen* exigua dosi cum passo bibitum, lumbricos pellere, atque genituras augere, ait. *Coriandrum* verò externè impositum, illitumque, erysipelata, vlcera serpentia, epinyctidas, testium inflammationes, carbunculos, itemque strumas, panosque curare, ac discutere, affirmat. *Matthiolus* verò experimento contra hæmorrhagias vulnerum nimias, *Coriandrum* in patina ferrea tostum, vulneribus inspergit. Coqui, & matres-familiâs *Coriandro Carnes* condiunt eleganter. *Acetaria* quoque cum eis parant. Moris enim apud nostrates est, vt radices *betæ rubræ* parum coctas, aut cineribus tostas, concisasque, cum *Pipere, Coriandro*, & *Aceto* ad vsus quotannitos præparent, quibus inter fercula plerique libenter vescuntur, vel in limine cœnæ. Idem condimenti genus apud suos olim vsitatum fuisse affirmat. Nostrates pariter *Semina Genistæ* condiunt, atque loco acetarii, apponunt cibis. *Coriandr.*

Ad *Allia* denique atque *Cæpas* quod attinet: etsi *Allium* tantarum sit vitium in præcipuis atque grauissimis corporis humani accidentibus, ita vt à Medicis non postremi *Allium.*

ſubſellii, imò ipſo magiſtro *Galeno*, *Allium Theriaca ruſticorum* perhibeatur: interim tamen, ob grauem ac tædioſum eius odorem, rariùs eo vtimur, libenter *Hebræis*, qui quotidie *Alliis*, panacæâ iſta ſuâ, ſe ſe infarciunt, ac cadauerosè olent, vſuram eiuſce relinquentes. Hinc *P. Lotichius Secundus* meus, *Carolo Cluſio* riuali velut ſuo, prout in *Iuuenilibus* ipſius extat, *Allium* precatur, puellasque *Hebræas*, *Allia* olentes:

Te capiant veteri Moyſis de gente puellæ,
Iuq; tuo ructent Allia fœda ſinu.

Quanquam igitur is cibus *Iudæis* in deliciis vſque eo & quotidianus ſit, imò etiam inter *Chriſtianos* reperiantur, qui *Allio* interdum, *Baccis lauri*, atque eius generis condimentis ruſticanis, olidisque delectentur, pauci tamen ſunt, qui palatum ſtomachumque ad ingratum iſtud cibi genus confirmare ſuſtinent. *Dioſcorides* duplex *Allium* deſcribit, ſatiuum aliud, aliud ſylueſtre, *libr.* II. *cap.* CLXXXII. Ex ſylueſtri autē aliud *allium anguinum*, quod *ophioſcorodon* vocat.. liud *ceruinum*, quod *elaphoſcorodon* nuncupat, commendat. *Vim* (inquit) *acrem obtinet allium, excalfacit, mordet, flatus pellit, aluum turbat, ſtomachum exſiccat, ſitim gignit, inflationemq; facit, ſummam corporis cutem exulcerat, & oculorum aciem eſu hebetat.* Eiuſdem prædicatur virtus contra tænias, morſus viperæ, canis rabidi, tuſſim veterem, pediculos, ac lendes, alopecias, vitiligines, vlcera capitis manantia, furfures, lepras, dentium dolores, menſes. partusq; inobedientes, hydropes, &c. apud eundem *Dioſcor. libr.* II. *cap.* CLXXXII. ad finem, itemque *Matthiolū in herbar. cap.* LXXVIII.

P. Bayrus in *dentium dolore Allium* tuſum carpo manus eius lateris applicat. & pulſibus, quo dentes dolent. Quidam *Cretæ* puluiſculum admiſcent. Nos eo *Bayri* experimento non ſemel vſi ſumus cum aliquo ſucceſſu, quamuis dolor, alioquin crudelis, non penitus inde remittat. Plus commodi inde facilè, quam emolumenti trahitur. Fœtor enim is ex *Allio* ingens eſt, vt non niſi pauperibus, ruſticanis aut *Iudæis* hoc remedii genus imperandum ſit. Delicati tantum odorem non ferunt, qui facilè totam viciniam replet. Dein locus quoque exulceratur, per quam humor licet à capite reuellatur, tamen ſi veſicatorium illud diutius loco adhæſerit, dolor æquè grauis concitatur, & qui aliquot dierum curâ opus habeat. *Galenus* atque autores alii celebres, magnam inter *Allium* & *Magnetem* antipathiam obſeruarunt. Cùm enim *Magnes* occulta ſua & nemini explicabili proprietate, *Ferrum* attrahat, contrarium omninò operatur, ſi *ſucco Allii* ſit illitus. Exinde enim tantùm abeſt, *ferrum* vt attrahat, vt à ſe propellat potius, vt aſſerit *Matthiolus*. Idem *Matthiol. Allium vrſinum, Scordopraſon*, itemq; *Moly* herbam vulgaribus *Alliis* annumerat. *Thraces* olim *Alliis* delectabantur præcipuè, vtpote calidis, cùm regionem inhabitarent frigidam. Quin & hodie nautarum deliciæ ſunt *Allia*, neque ingratum ruſticanorum edulium, quantumuis ab *Horatio* execratum. De *Alliis* non vnicum natum *Adagium: Allium in retibus*; dicebatur olim de commeatu ſordido. *Attici* enim priſci nauigationem aut expeditionem ſuſcipientes, commercabantur *Allia*, eaque retibus impoſita ſecum ferebant: referente *Deſider. Eraſmo Chil.* IV. *Cent.* VII. XIX. Quòd *Allia* & *Cepæ* inter ſe affinia ſunt, hinc *parœmia* oriunda: *Ego tibi de Alliis loquor, tu de Cepis reſpondes:* Dicitur autem tunc, cùm inepte ſciſcitanti ineptè reſpondetur: vt eſt apud eundem *Eraſm. Chil.* III. *Cent.* IV. XXXV.

Cepæ. De *Cepis* autem paulò mitior nobis eſt ſententia. Quamuis & hæ odore ingratæ ſint, comeſtæ ructus cauſſentur, oculorum aciem infringant: Illarum tamen in cibis & condimentis vſus præ *Alliis* tolerabilior eſt. *Heluetii* iuſculis quotidie veſcuntur cum *Cepis*

paratis,

patatis. Coqui carnes cum cæpis incisis condiunt, itemque olera eisdem conspergunt. Ex iisdem cum ouis, pulli, & volatilia, aliæque carnes, vitulinæ, atque eiusce-modi, implentur, suffarciunturque. *Dioscorides* frequentem *Caparum* esum cum quâ sanos, quâ valetudinarios damnat. *Porrò* (inquit) *Cæpa copiosius sumpta, capitis dolores ciet, coctaq; potentius vrinas pellit. Largius verò per aduersam valetudinem esitata, quãtumuis cocta, lethargum accersit, libr.* II. *cap.* CLXXXI.

Interim tamen vsus *Caparum* eò vsque inualuisse videtur, vt vix aut difficulter res culinaria illis carere possit. *Mathiolus* quatuor potissimùm *Caparum* genera ponit. Quædam enim sunt *Capitatæ*, quædam *sectiles*, quædam *scissiles*, quædam *Ascalonicæ*, à ciuitate *Iudæorum Ascalon* ita vocitatæ. Communium autem *Caparum* rursus quædam sunt *rotundæ*, quædam *longæ*, quædam *russæ*, quædam *candidæ*. De quarum differentiis ita *Dioscorides*: *Cæpa longa acrior est, quàm rotunda, itemq; russa, quàm candida, & sicca quàm viridis, seu recens, & cruda, quàm assata aut sale condita.* Qualitates autem earundem sic perstringit: *Sunt tamen omnes mordacitatis participes, inflationesq; faciunt, appetentiam inuitant, attenuant, sitim gignunt, nauseam pariunt, expurgant deniq;, quoq; sunt vtiles.* Ex illis *suppositoria* fiunt, corticibus nudatis, & oleo inunctis. Eædem hæmorrhoidas reserant, menses cient, vitiligines, lippitudinesque sanant, canis rabidi morsibus imponuntur, varos reprimunt, calceamentorum attritus tollunt, alui profluuium, auditus grauitatem, auriumque sonitus emendant. Aures quoque purulentas, & per affrictionem *Alopecias* sanant, celeriùs pilos, quàm *Alcyonium* euocantes, teste *Dioscoride*. Olim *Capas comedere* ioco prouerbiali dicebantur, qui lacrymari viderentur. Quia sicut odor *Caparum* acris est, ita lacrymas oculis excutere consueuit. Quæ *Columellam* illustrant:

Seq; lacessenti fletum factura sinapis:

Et mox:

Atq; oleris pulli radix, lacrymosaq; Cæpa.

Easdem comedere Capas: prouerbialiter dicitur in illos, qui paupertatem vnà mutuam ac grauem tulerunt. *Cæpa* enim cibus est pauperiorum: de quo *Desid. Erasm. Chil.* III. *Cent.* I. *Persius*, ad hoc institutum, *Satyr.* IV.

——hoc benè sit, tunicatum cum sale mordens

Cæpe, & farratam pueris plaudentibus ollam.

Ex *Zenodoto* atque *Suida Desid. Erasmus Chil.* III. *Cent.* V. hoc *Adagium* quoque producit: *Si tantùm Cæpe sumpseris, iam vixeris.* Natum autem, refert, hoc esse ab ægroto, qui *Medico Capam* porrigente reconualuerat, quantumuis ea herba alioquin plebeia, atq; corpori non admodum salubris.

Atque isthæc hactenus de *Condimentis* ciborum tam *primariis*, quæ *Aromata* vocamus magnam partem, quàm *secundariis*, quæ domestica & domi prouenientia ad manum sunt, succedaneaque ob id indigetantur, quòd in defectu *Aromatum* atque primariorum communia isthæc, ac nobiscum nascentia vicem pretiosorum illorum ex parte supplere satagant. Iam porrò de *Costo*, præcedentibus quoque speciebus, ac *frugibus medicatis* affine, sermonem ordiemur.

Caput II.

OLei atque vnctionis vsus ad res sacras. Olim apud Israëlitas, *Sacerdotes, Reges* & *Prophetæ Oleis* inaugurabantur. Hinc D. N. Saluator CHRISTVS, id est, Vnctus, dicitur. *Oleo* apud *Hebræos* quoque perfundebantur ægri, itemque defuncti. Eædem gentes ad corporis gratiam ac voluptatem *Oleo* vtebantur. *Sponsæ* enim, earundemque vestes, *Oleo* pretiosis aspergebantur. Per *Vnctionem* gula quoque indigetatur. *Gentiles* maximè vnctionibus vtebantur, luxuriæ caussa. *Vnguentorum* origo à *Persis*. Eorum inuectio apud *Romanos*, proscriptio, abominatioque. Olim præsertim *caput oleis* perfundebatur, quod adhuc fit hodie, & cur? *Costus* cur capiti affusus? Eius genera, qualitates. PETRONIVS hoc loco quomodo intelligendus?

DE *Aromatibus* hactenus, eorundemque succedaneis, paulò prolixius egimus. Iam de *Oleis* atque *Vnguinibus*, qualia ex *Aromatibus* componi consueuerunt, breuiter dispiciemus. Opportunè autem PETRONIVS noster, vel quisquis saltem ille ARBITER, in fragmentis, *pag.* 71. sequentibus accinit:

Nolo ego semper idem capiti suffundere costum:
Nec toto stomachum conciliare mero.

Antequam autem de *Costo*, aut *Oleo Costino* dicamus, prius de *Olei*, atque vnguinum ceremoniis, veteribus vsitatis, quædam afferemus. In veteri atque *Iudaica Ecclesia*, vbi ceremoniarum efficacia adhuc-dum florebat, multiplex vsus *Olei* atque *Vnctionis* extitit. Vt plurimum tamen consuetum ac solenne erat, res, itemque personas cultui diuino inseruituras *Oleis* atque *Vnctionibus* inaugurare. Sic *Iacobus Patriarcha lapidem oleo* aut *vnctione* notabat, cui per noctē incubuerat; prout videre est *Genes. cap.* XXIIX. *vers.* XIIX. Sic IEHOVA *Moysi* in mandatis dabat, vt *Aaronem*, eiusdemque filios, futuros Sacerdotes, ad ministerium diuinum sacerdotiumque obeundum, sacrificaret beneficio vnguinis, *Exod. cap.* XXIX. *vers.* XXIX. & *cap.* XXX. *vers.* XXX. Idem, mandato diuino, *Tabernaculum*, eiusque *vasa* pariter vnguine aspergebat, vt sacra essent, *Exod. cap.* XXX. *vers.* XXVI. Vide *Leuit. cap.* VIII. *vers.* X. Eodem modo *panes* quoque, qui ad sacrificium gratuitum adhiberi debebant, sacrificabantur, beneficio vnguinis. Inprimis verò receptæ consuetudinis erat, in populo DEI *Reges* Israëlitarum *Oleis* vnguinibusque inaugurare. Sic *Saules* in Regem vngitur *libr.* I. *Samuel. cap.* X. *vers.* I. Sic *Dauid* in Regem vngitur, *libr.* I. *Samuel. cap.* XVI. *vers.* I. & *libr.* II. *Samuel. cap.* II. *vers.* IV. & *cap.* V. *vers.* III. Sic *Salomon oleo* inauguratur Rex, *libr.* I. *Regum, cap.* I. *vers.* XXXIX. Sic *Iehu* Rex initiatus fuit, *libr.* II. *Reg. cap.* IX. *vers.* I. *Prophetæ* quoque, adeoque Prophetarum ac Regum optimus maximus, Dominus noster & Seruator IESVS, dicitur CHRISTVS, id est, *Vnctus*, eo quòd Prophetæ ad tam sanctissimam vocationem vnctionibus confirmabantur. Hinc *Vnctus Domini* vocatur *libr.* I. *Samuel. cap.* II. *vers.* XXXV. itemque *Psalm.* II. *vers.* II. & *Habac. cap.* III. *vers.* XIII. & *Apocalyps. cap.* XII. *vers.* XV. per quem intelligitur SALVATOR noster. Alioquin verò ipsi quoque *Reges* dicuntur *Vncti Domini*: vt videre est de *Saule libr.* I. *Samuel. cap.* XII. *vers.* III. & *cap.* XXIV. *vers.* VII. itemque de *Dauide libr.* II. *Samuel. cap.* XIX. *vers.* XXI. & *Psal.* LXXXIV. *vers.* X.

Præterea, *ægri* quoque *mortuiq́; oleis* inuncti deponebantur apud *Israëlitas*, sicut apparet in *Nouo Testamento* ex *Euangel. Marco, cap.* VI. *vers.* XIII. vbi perhibentur duodecim *Apostoli*

Apostoli, dum inter *Iudæos* Euangelium annunciarent, *ægros* permultos *oleis* vnxisse, eoque pacto sanasse. Idem moris penes *D. Iacobum Apostolum* reperitur, *cap.* v. *vers.* xiv. vbi *D. Iacobus Iudæos* credentes alloquitur, monendo, vt, si quis inter eos ægrotet, is seniores pro se congregatos orare, seque inungi *oleo* iubeat in nomine *Domini*.

Reges defuncti etiam vngebantur. Sic D. N. *Seruator*, antequàm in cruce pro peccatis nostris pateretur, paulò in-antè à femina inungebatur, quæ pixidem *oleo* generoso plenam super caput *Domini* effundebat, vt est apud *D. Matthæum cap.* xxvi. *vers.* vi. Hanc autem vnctionem per inspirationem *Spiritus S.* haud fortuitò accidisse, sed ad funus *Domini*, quod propè instabat, pertinuisse, testis est *D. Ioann. cap.* xii. *vers.* vii. Vide *D. Marcum* de hac regia vnctione differentem *cap.* xiv. *vers.* viii. Hæc omnia ideò è sacro codice afferimus, vt è sacris antiquitatibus pateat, quis vsus antiquitus apud populum Dei, cum in Veteri tum Nouo Testamento extiterit. Tempora autem D. N. Iesv Christi & *Apostolorum* cum temporibus *Neronis Tyranni*, ipsiusque *Petronii Arbitri* coincidunt.

Vt vero propius ad propositum è *Petronio* thema collimemus, dispiciendum est, vtrum *olea* ad curandam etiam cuticulam, ad lætitiam, imò & festiuitatem declarandam, in vnctionem venerint? Cum enim peruerso isto *Neronis*, quà gentilis, seculo, nihil nisi voluptates, atque omnis generis illecebræ, in gentes debaccharentur, verisimile fit, *olea* atque *vnctiones*, cuticulæ voluptatisque igitur, tum in vsum cessisse. Qui mos populo Dei quoque vsitatus fuisse non vno exemplo è sacris demonstrari potest. Vt haud immeritò statuendum sit, gentiles olim populos multa in ceremoniis ab *Israëlitis*, ac populo Dei mutuatos fuisse. Diabolus enim rex tenebrarum, ab initio mundi hùc-vsque, opera Dei Opt. Max. perfide æmulatur. Qualiter vel hisce pessimis etiam tempestatibus, è testimoniis veneficorum sagarumque, cum horrore percipimus, Ditem, præ virulentâ in Devm & Seruatorem, D. N. inuidiâ, suis eum asseclis baptismum diabolicum, & nescio quid non aliud diuinæ ac sacrosanctæ institutioni simile, atque æmulum, diabolico more in conuentibus sagarum celebrare. Hinc vulgi ore communiter vsurpatur, iuxtà ædem ac templum Dei Opt. Max. Diabolum antiquo more fanum quoque ac sacellum diabolicum machinari.

Ad ornatum porrò corporis, voluptatem, atque animi lætitiam significandam, *Israëlitæ* olim inungebantur. Sic *Dauid, regius* ille *Propheta*, super obitu filii sui, ad animum reassumendum, se se vnctione inuitabat; prout legere est *libr.* ii. *Samuel. cap.* xii. *vers.* xx. Illi enim qui lugebant apud *Iudæos*, non vngebantur; vt est *libr.* ii. *Samuel. cap.* xiv. *vers.* ii. Sic *Daniel* quoque, anno tertio regiminis *Coris, Regis Persarum*, per integras tres septimanas non vngebatur, quod ædificationem *templi Hierosolymitani* per *Cambysen* impediri cerneret. Ex quo vnctionis consuetudinem tum temporis admodum frequentem fuisse, manifestum fit. Maximè verò non tàm ad animi, quam corporis voluptatem ac gratiam, *olea*, fuisse inuncta, patet è *libro Ruth, cap.* iii. *vers.* iii. & iv. vbi *Nahemi Ruth* monet, se se vt vngat, cum ad *Boam* egressura, ipsiusque connubium petitura esset. Sic *Sponsi* vestes pretiosis vnguinibus ex *myrrha, aloe,* & *casia*, paratis aspergebantur: prout *Regius Propheta Psalmo* xlv. *vers.* ix. *de* D. N. Christo, ceu *sponso & rege*, canit. Ad illecebras itidem & lasciuiam *olea* vsu venisse, constat è *libr. Amos, cap.* vi. *vers.* vi. vbi *Iehoua* in istos væ pronunciat, quicunque se se *oleis* pretiosis vngerent. A gentilibus itaque maximè *olea* atque *vnctiones*, cuticulę libidinisq; causâ, adhibitas fuisse, cer-

tissimum est. Eleganter *Ioan. Rauisius theatr. Philosoph. libr. IV. cap. XLIII. Reperit* (inquit) *& portentosa hominum luxuries in oleo voluptatem, quo pleriq; nitorem cutis, alii ad confirmandas corporis vires se perunxerunt.* Eam autem vnguentorum luxuriam, qua vel ad valetudinem, vel ad Venerem vtebantur, præter *Græcos & Bathillos* populos, qui vnguentis affluebant, potissimum à *Persis* oriundam fuisse, idem existimat *Rauisius*, cui non immeritò astipulandum est. *Persæ* enim olim omnis velut luxus autores habebantur, prout videre est apud *Polianum libr. stratagem.* de apparatu & sumptu epularum *Persicarum* incredibili. Id inter *Romanos Horatium* minimè fugiebat, qui *Persicam* illam luxuriam detrectabat:

Persicos odi, puer, apparatus.

Alexander Magnus, expugnatis *Darii*, *Persarum* Regis, castris, scrinium vnguentis pretiosissimis plenum reperit. Quod certissimum indicium, *Persas* populos vnguentarii luxus autores esse. Idem affirmat *Plinius libr. nat. histor. XIII. cap. 1.* qui quanquam autorem eius rei minimè prodere possit, *Persis* tamen rem omnem adscribit, argumento à scrinio illo *Darii* deducto. Hinc successiuè luxum eum ad *Romanos*, imò ad defunctos deuolutum fuisse indicat, cuius verba sunt isthæc: *Quis primus* (ait) *vnguenta inuenerit, non traditur. Iliacis temporibus non erant; nec thure supplicabatur.* Et posteà: *Persarum esse debet gentis vnguentum. Illi madent eo, & accersita commendatione ingluuie natum virus extinguunt. Primo, quod equidem inueniam, castris Darii Regis expugnatis in reliquo eius apparatu Alexander cepit scrinium vnguentorum. Posteà voluptas eius à nostris quoq; inter laudatissima, atq; etiam honestissima vitæ bona admissa est. Honosq; is etiam ad defunctos pertinere cœpit.*

Ridet autem meritò *Plinius* eius-modi luxuriæ genus, quod momento velut perit, ad hæredes minimè transit, imò etiam quod ab eo, qui tinctus est, minimè, sed ab aliis magis odor percipitur. *Hæc est* (addit) *materia luxus, e cunctis maxime superuacui. Margaritæ enim gemmæq; ad hæredem tamen transeunt: vestes prorogant tempus: vnguenta illicò exspirant, ac suis moriuntur horis. Summa commendatio eorum, vt transeunte fœmina odor inuitet etiam aliud agentes. Tanti emitur voluptas aliena. Etenim odorem qui gerit, ipse non sentit.*

De eadem luxuria, quo tempore primum ad *Romanos* transiuerit, valdè dubius est idem *Plinius*, etsi *Romanos* etiam postmodum horariis illis deliciis obstinatè adhæsisse arguat, vt etiam vnguenta cum poculis sumpserint, sicut alii de *Græcis* prodiderunt. Sic autem *libr. XIII. cap. III.* ad finem: *Quando id primum ad Romanos penetrauerit, non facilè dixerim. Certum est, Antiocho Rege, Asiaq; deuictis, vrbis anno quingentesimo sexagesimo quinto, P. Licinium, Crassum, L. Iulium Cæsarem, Censores, edixisse, ne quis venderet vnguenta exotica: sic enim appellauere. At hercule iam quidam etiam in potus addunt: tantiq; amaritudo est, vt odore prodigo fruantur ex vtraq; parte corporis. L. Plotium, L. Planci bis Consulis Censorisq; fratrem, proscriptum à Triumuiris, in Salernitana latebra vnguenti odore proditum constat: quo dedecore tota absoluta proscriptio est. Quis enim non iudicet periisse tales? Cæterum terrarum omnium Ægyptus accommodatissima vnguentis. Ab ea Campania est.* Hæc *Plinius.*

Oleum in auricula ferre: adagio vsurpatur. Vrinatores autem consueuerunt, *oleum* ori atq; auribus indere, vt mitiget elementi asperitatem, lucemq; deportet. Eo enim liquore, scil. *oleo*, nihil lenius ac magis placidum est. Vndè & illi parœmiæ occasio data: *Oleo tranquillior*: quod in homines quadrat, minimè iracundos. In *oleo* siquidem nihil asperi. Vide *Des. Erasm. Chil. 1. Cent. V. & VII.*

Cæterum, *Petronius capiti Costum*, vel *oleum costinum*, affusum esse, succinit. Quæ con

sueru-

suetudo *Iudæis* quoque sacra fuit. Caput enim inter membra cætera præcipuè sanctum est, atque ob id inungi meruit. Sic *Psalmo* XXV. *vers.* V. Regius Psaltes canit: *Tu verò, Domine, caput meum oleo perfundis, & cratera meum vino imples.* Similiter *Ecclesiast. cap.* IX. *vers.* VIII. legitur: *Salomon, inquit: Ne patiaris capiti vnctionem deficere.* De eadem capitis inunctione videatur *Euang. D. Matth. cap.* VI. *vers.* XVII. Hodie veteri & sacro more *Archiepiscopus Moguntinus, S. R. Imp. Archicancellarius & Elector*, inunctione frontis hîc *Francofurti Regem Romanorum* inaugurat solennissimè. Qui mos in aliis orbis Christiani regnis adhuc-dum obseruatur, vt *Reges*, beneficio vnctionis confirmentur.

Olim *pedes* quoque *oleis* perfundebantur, ab iis videlicet qui submissa mente gratiam desiderabant. Sic, cum *D. N. Seruator* apud *Pharisæum* quendam discumberet, mulier superueniens pedes eius vnguine certo perungebat, prout est apud *D. Lucam, ca.* VII. *vers.* XXXVII. *&* XXXVIII. *Plinius libr.* XIII. *cap.* III. *pedes* iridem *oleo* tingi autor est: id quod *M. Othonem Neroni Principi monstrasse asserit.*

Caput autem maximè *oleis* perfunditur, eo quod præ reliquis membris, tanquam *Palladis arx*, diuinæ particulam auræ, id est, rationem, diuinitatis æmulam, possidet. Accedit, quod in sublimi loco, ceu specula aliqua, positum est: imo etiam, quod sine detrimento facilè nudatur, præsertim in maribus: vndè facilis eius vnctio. *Medici* nostri hodie more vsitatissimo caput, contrà multos grauissimos affectus *oleis* pretiosis inungunt, præmuniunt, confortantque. Sic frequens est *oleorum* vnctionisque administratio in *Memoriæ defectu, Apoplexia, Epilepsia, Paralysi, Vertigine, Conuulsionibus, Catarrhis, Cephalalgia, Hemicrania, Febribus*, & id genus affectibus atq; accidentibus plurimis, in quibus omnibus vel tantum *caput* anterius, posteriusque, vel regio Cerebelli, spinalisque medullæ, imo dorsum non-nunquam conuenienter illinitur.

Ad eos ipsos vero affectus commemoratos, præsertim *conuulsiones, epilepsiam, apoplexiam, febres, oleum*, quod è *Costo* preparatur, commodissimè inseruit, vt non de nihilo sit, quod eius præcipuè, ad capitis perfusionem, *Petronius* mentionem peregerit. *Macer libr. d. virtut. herbar. cap.* LXXIV. idem *oleum* antè febris paroxysmum inungere iubet, & horripilationem pelli affirmat:

Ex oleo costum quo coxeris, illine quemuis
Ante febris tepidum: reddas à frigore tutum.

Costi vero inunctio eo magis capiti conferre videtur, quia odoratus maximè *Costus* est, id est, eximio suauiq; odore præditus, vt habet *Dioscorides*. Eius-modi autem odor suauis non solum *cor* recreat, & spiritus vitales, sed *cerebrum* quoq; rationis sedem, confortat, spiritus animales roborat, ipsumque caput contrà quosuis affectus frigidos præseruat. Vt rectè dicatur eloquutus fuisse *Democritus*, hominem vitam optimè prorogare posse, si *Melle intus, oleo extrà* vtatur: *olei* nimir. perfusionem corporibus humanis perquam salutarem esse innuens. Sic gentiles veteres quotidie *Balneis* vacabant, atque corpora *oleis* tingebant, sanitatis gratiâ, prout superius de *Balneis* & corporum vnctionibus è *Petronio* vidimus.

Quod ad facultates medicinalès *Costi* attinet, *Dioscorides libr.* I. *cap.* XV. *d. mater. med.* scribit, *Costum* pollere vi excalfaciendi, vrinas & menstrua ducendi. Triplicem autem *Costum* ibidem asserit prædicatque, nimir. *Arabicum, Indicum, & Syriacum. Costum* porrò vteri vitiis mederi affirmat, itemque à vipera demorsis, pectoris affectibus, conuulsis,

Vene-

Veneris impotentiæ, à Sole ambustis, &c. Eundem *Paralysi* affectis vtilem esse, atque in febrium insultibus eius *oleo* perunctos curari tradit. Adulteratur, *Dioscor.* testimonio, admistis *Helenii Comageni* radicibus. *Matthiolus* & *Camerarius* hodie in officinis *verum Costum* minime haberi, sed eius loco *Zedoariam* atque *Angelicam* substitui posse, perhibent. Iidem autores *Pseudo-Costum* describunt, qui ex *Apulia* e *Gargano* monte afferatur ad nos. Duplex autem statuitur *Costus*, alius scilicet dulcior, alius acrior. Quidam *Costum* colore quoque duplicem asserunt, *nigrum*, videlicet & candidum. Vnde haud immerito *Petronius* excipit:

Nolo ego semper idem capiti suffundere Costum

nisi fallor, innuens, non vnius generis *Costum* esse, sed modò acrem, modò dulcem, modò candidum, modò nigrum vsurpandum esse: cum hominis natura vicissitudine gaudeat, ac nunc acribus, nunc lenibus, pro diuersitate temporis ac occasionis, indigeat. Ad voluptatem enim & luxuriam *Costum* capiti suffusum fuisse, temporibus *Petronii*, notissimum est. (Quæ enim morum aut vitæ castitas apud *Neronem*, eiusque complices, quos inter *Arbiter* hic non postremus erat) quæratur, cum impurissimus *Nero* non tantum se suosque, sed tempora quoque ipsa, quibus viuebat, sceleribus istis suis, imo totum penè orbem, inquinarit? Huic opinioni nostræ *de Costo* fauet *Plinius libr. nat. histor.* XXII. *cap.* XIV. qui postquam medicinas exoticas damnat, *Costum* inter vnguenta atque odorum delicias recenset, eodemque vnà cum *Thure* supplicari in vsu esse, asserit. *Odorum* (inquit) *causâ vnguentorumq́, & deliciarum, si placet, etiam superstitionis gratia emantur quoniam Thure supplicamus & Costo.* Pro Coronide, *Macer* de *Costo* sequentia commemorat, qui alioquin, teste etiam *Gueroaldo*, eius Scholiaste, ex *Plinii* scriptis carmina sua combinauit, prout pluribus ipse quoque in locis non diffitetur. Sic autem *libr. de herb. cap.* LXXIV. more suo succinit:

Costi sunt geminæ species: grauis vna rubensq́,
Est, & amara nimis, hæc Indica dicitur esse.
Altera vero leuis, nec amara colore subalba.
Hanc Arabes mittunt: prior vtilior medicinæ,
Vrinas purgant: & eis obstantia pellunt.
Splen curant & Epar: laterisq́, fugare dolorem
Dicunt, cum vino tepido si sumpserit æger.
Menstrua purgabunt, si se suffumiget illis
Femina: sic etiam vulnæ sedare dolorem
Dicunt: aut ex his sibi si pessaria subdat.
Lumbricos pellunt purgant lentigine vultum.
Si tritis cum melle linas: Veneremq́, mouere
Dicuntur: si sint cum mulsa sumpta tepenti.
Ex oleo, Costum quo coxeris, illine quemuis
Ante febris tepidum: reddas à frigore tutum.
Subuenit hoc sciasi, membrisq́, tumentibus vnguen;
Antiquum vulnus citò curat puluis eorum.

Garzias ab horto, aromat histor. lib. I. *cap.* XXXV. licet vnicum tantum *Costi* genus esse persuasissimum habeat, eum odoratissimum esse pronunciat, & quo *Indici Medici* vtantur multis in medicamentis. Arbitratur etiam, *Arabes* ideo duo genera *Costi* statuisse, amarum

tum ſcilicet & dulce : quod hoc medicamentum, cum tecens eſt atque incorruptum nullius amaritudinis ſit particeps, candidiuſque perſiſtat; vbi autem vetuſtate corrumpi incipit, amaritudinem contrahat, fiatque nigricans. Hæc *de Coſto*.

Caput III.

M*ida* fabula abouo, vt aiunt, recenſetur. Variæ autorum ſententiæ ſuper *auribus* eius *aſininis*. Eius rei allegorica interpretatio. Inprimis autem quo pacto *Midæ* famulus, vel tonſor, aut proditor, vocem in arundinem miſerit, quâ *Regis auriculas aſininas* detexit, diſquiritur. Illa artificioſa locutio, paucis hodie cognita, ſingulari induſtriâ non caruit. Auditûs & ſonitûs requiſita è *Phyſicis* demonſtrantur. Locutio verò illa *Midæ* famuli mere artificioſa fuit. Ideoque à *Mathematico* aut *Mechanico* potius, quàm *Phyſico* explicari digna. Argumento ſunt *ſtatuæ vocales, columbæ ac Aquila volatiles*, itemque *Automata* harmonica, atque *Organa* per ſe modulantia, ſimiliter *Hydraulica*, & *Auium* concentus in Cryptis & ſubterraneis *Magnatum*. Quæ omnia artificioſa. Vbi differentia *Naturæ* atque *Artis* ex *Ariſtot*. aſpergitur.

Elegans illa eſt fabula, quam apud *Poëtas* legere eſt de *auribus aſininis Midæ Regis*. Quam, inter cætera, attingit quoque *Petronius* noſter, *pag*. 72.

Sic commiſſa ferens auidus reſerare miniſter
Fodit humum, Regisq́ latentes prodidit aures.
Excepit nam terra ſonos, calamiq́ loquentes
Inuenêre Midam, qualem narrauerat index:

Sed nimis breuiter ac ſuccinctè. Pertinet ea verò ad locum *Phyſicorum de Auditu*, & eiuſce proprietatibus primario, ſecundario vero ad *Politicos, de delatoribus*, proditoribuſque; imò vero tangit *Principes* illiteratos, atque inhumaniores, qui, quia ipſi ineruditi ἄμουσοι, de Muſis, id eſt, artibus elegantioribus, iudicare nequeuntes, hinnitûs equorum, canumve, citharæ modulis ac carminibus præferunt. Secus vero ſentit Magnanimus literator, celſiſſimus Principum, *Mauritius*, Dei gratiâ, *Haſſiæ Landgrauius*, cui, vt ipſe diuinus Princeps-vates canit, Muſæ cariores quàm pocula, Minerua vera gratior quàm fera ceruа, aut in s[illegible]is venatio.

Noſtra ſed Aoniæ venatio ſobria Muſa eſt,
Proq́ ferâ ceruâ vera Minerua placet.
Nos iuuat inuentis attexere carmina Muſis,
Sat fuerit, Muſis ſi placuiſſe queam.
Muſa noſter amor, dulces antè omnia Muſæ,
Noſter amor docti turba nouena chori.
In cuius medio radianti vertice Phœbus
Increpat arguta fila canora lyræ.
Nunc blandos Elegos, faciles nunc autor Iambos,
Heroosue canens, non ſine laude, modos.

ô vocem maximè tanto *Principe* dignam! Sed, antequàm aliquid è *Phyſicis* fontibus *de Auditu ſonituq́* eliciamus, prius vt ipſam fabulam integram, prout cum *Mida* actum fuerit, recitemus, explicemusq́; operæ pretium erit. Itâ autem hanc fabulam prolixiuſcule recenſet *Natal. Comes*, collectam è veteribus *Poëtis*, *Ouidio* præſertim, *libr. mytholog.*

IX. *cap.* XV. *Fuit* autem (inquit) *Midas Phrygiæ Rex, Gordiæ filius, qui omnium Regum suæ tempestatis fuit ditissimus. Fabulantur ad hunc aliquando Silenum Bacchi comitem captiuum ob ebrietatem, cum iter facere cum Baccho non potuisset, adductum fuisse; quem ille perhumaniter tractauit. Tum Bacchus ad eum requirendum reuersus, cognitâ Midæ liberalitate & humanitate, ab incolis eius regionis, ipse etiam hospes ad Midam proficiscitur, à quo perbenignè acceptus illi proposuit, vt, quicquid optaret, expeteret, quod esset statim voti compos futurus. At Midas pro dementia, quæ solicitat animos mortalium, summam felicitatem ratus in multis possidendis, expetiuit, vt, quicquid contingeret, continuò aurum fieret.*

Ouidius libr. Metam. XI. paulò aliter canit, *Libero* patre in *Thraciam* profecto, & *Tmolum Lydiæ* montem, comitantibus *Bacchi* petente, *Silenum* aufugisse, quem captum *Phryges* ad *Midam* duxerant, qui quidē à *Rege* agnitus, & *Libero* aduentanti redditus fuerit. Quod ob beneficium Deus optandi dedit ei potestatem, vt, quicquid placeret, peteret. Poscit *Midas*, vt, quodcunque tangeret, oppidò aurum fieret: id quod inutile sibi euenit & noxium. Sic autem ipse *Poeta lib.* XI. *Metam.* multò luculentius:

Nec satis hoc Baccho est, ipsos quoq; deserit agros,
Cumq; choro meliore sui vineta Timoli
Pactolumq; petit, quamuis non aureus illo
Tempore, nec caris erat inuidiosus arenis.
Nunc assueta cohors Satyri, Bacchæq; frequentant.
At Silenus abest. titubantem annisq; meroq;
Ruricolæ cepere Phryges, vinctumq; coronis
Ad regem duxere Midam, cui Thracius Orpheus
Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo,
Qui simul agnouit socium, comitemq; sacrorum,
Hospitis aduentu festum genialiter egit
Per bis quinq; dies, & iunctas ordine noctes.
Et iam stellarum sublime coëgerat agmen
Lucifer vndecimus, Lydos cum lætus in agros
Rex venit, & iuueni Silenum reddit alumno.
Huic Deus optandi gratum, sed inutile fecit
Muneris arbitrium, gaudens altore recepto.
Ille male vsurus donis, ait: Effice, quicquid
Corpore contigero, fuluum vertatur in aurum.
Annuit optatis, nocituraq; munera soluit
Liber, & indoluit, quod non meliora petisset.

Pergit autem *Natalis: Cum posteà cibaria etiam, quibus vesceretur, contacta, repentè fierent aurea, pœnitentiâ captus est suæ petitionis; atq; nisi Deus fuisset illi benignus ea molestia subleuando, omnino inedia mori necesse fuisset. Orauit igitur eundem Deum, cum satis aptas pœnas suæ stultitiæ dedisset, vt hoc munus auferret; quem aiunt quidam ea de caussa inedia mortuum esse. At alii dicunt, quod Bacchus respondit, illud futurum, si se in Pactolo flumine lauisset. Quare lotus ibi illa molestia liberatus est, ac fluuius ex illo tempore aureis arenis fluere cœpit.* Quod sequentibus persequitur *Ouidius* ibidem:

Lætus abit, gaudetq; malo Berecinthius Heros,
Pollicitiq; fidem tangendo singula tentat.

Vixq;

Vixq́; sibi credens, non alta fronde virentem
Ilice detraxit virgam, virga aurea facta est.
Tollit humo saxum, saxum quoq; palluit auro.
Contigit & glebam, contactu gleba potenti
Massa fit: arentes Cereris decerpsit aristas,
Aurea messis erat: demptum tenet arbore pomum,
Hesperides donasse putes: si postibus altis
Admouit digitos, postes radiare videntur.
Ille etiam liquidis palmas vbi lauerat vndis,
Vnda fluens palmis Danaen eludere posit,
Vix spes ipse suas animo capit: aurea fingens
Omnia, gaudenti mensas posuere ministri
Extructas dapibus, nec tostae frugis egentes.
Tum verò, siue ille sua cerealia dextra
Munera contigerat, Cerealia dona rigebant.
Siue dapes auido consumere dente parabat,
Lamina fulua dapes admoto dente nitebant.
Miscuerat puris autorem muneris vndis,
Fusum per rictus aurum fluitare videres.
Attonitus nouitate mali, diuesq́; miserq́;
Effugere optat opes, & quae modò vouerat, odit.
Copia nulla famem releuat, sitis arida guttur
Vrit, & inuiso meritus torquetur ab auro.
Ad cœlumq; manus, & splendida brachia tollens
Da veniam, Lenaee pater, peccauimus, inquit,
Sed miserere, precor, speciosoq; eripe damno.
Mite Deûm numen Bacchus, peccasse fatentem
Restituit, factiq; fide data munera soluit.
Neue malè optato maneat circumlitus auro
Vade, ait, ad magnum vicinis Sardibus amnem,
Perq́; iugum ripae labentibus obuius vndis
Carpe viam, donec venias ad fluminis ortûs,
Spumigeroq; tuum fonti qua plurimus exit,
Subde caput, corpusq́; simul, simul elue crimen.
Rex iussae succedit aquae, vis aurea tinxit
Flumen, & humano de corpore cessit in amnem.
Nunc quoq; iam veteris percepto semine venae
Arua rigent, auro madidis pallentia glebis.

Eo igitur morbo liberatus Midas, cum se rus contulisset, syluasque semper ferè ab hominum frequentia longinquas incoleret, iudex & ipse & Tmolus mons inter Phœbum & Pana pastorum Deum de arte musica contendentes, delectus est. Eius certaminis Tmolus Phœbum victorem, at Midas Pana suo iudicio pronunciauit. Quare indignatus Phœbus aures asini Midae, vt qui de arte Musica iudicare non posset, adhibuit, cum rudis homo planè parum iudicio valeret, & tamen iudicare non detrectâsset. Haec Natalis. De quibus porrò ornatius *Ouidius:*

Ille

Ille perosus opes, syluas & rura colebat,
Panaq́, montanis habitantem semper in antris,
Pingue sed ingenium mansit, nocituraq́, vt antè
Rursus erant domino stolidæ præcordia mentis.
Nam freta prospiciens latè riget arduus alto
Tmolus in ascensu, clitoq́, extensus vtroq́,
Sardibus hinc, illinc paruis finitur Hypæpis.
Pan ibi dum teneris iactat sua carmina Nymphis,
Et leue ceratâ modulatur arundine carmen,
Ausus Apollineos præ se contemnere cantus,
Iudice sub Tmolo certamen venit ad impar.
Monte suo senior iudex consedit, & aures
Liberat arboribus. Quercu coma cærula tantum
Cingitur, & pendent circum caua tempora glandes.
Isq́, Deum pecoris spectans, in iudice, dixit,
Nulla mora est: calamis agrestibus insonat ille.
Barbaricoq́, Midan (aderat nam fortè canenti)
Carmine deliniit: post hunc sacer ora resoluit
Tmolus ad os Phœbi, vultum sua sylua secuta est.
Ille caput flauum lauro Parnasside vinctus
Verrit humum, Tyrio saturatâ murice palla,
Distinctamq́, lyram gemmis, & dentibus Indis
Sustinet à læua, tenuit manus altera plectrum.
Artificis status ipse fuit: tum stamina docto
Pollice sollicitat, quorum dulcedine captus
Pana iubet Tmolus citharæ submittere cannas.
Iudicium, sanctiq́, placet sententia montis
Omnibus: arguitur tamen, atq́, iniusta vocatur
Vnius sermone Midæ, nec Delius aures
Humanam stolidas patitur retinere figuram.
Sed trahit in spatium, villisq́, albentibus implet,
Instabilesq́, illas facit, & dat posse moueri.
Cætera sunt hominis: partem damnatur in vnam,
Induiturq́, aures lentè gradientis aselli.

Cæterum, iam itur ad historiam *de auribus asininis Midæ*, quam aspergit *Petronius* noster. Ita autem porrò *Natalis de auribus asininis: Ità verò* (inquit) *scitè illas occultabat Midas, vt nemo præter tonsorem rem cognosceret. Sed cum id tonsor tacere non posset, terram effodit, ac foueam ingressus pertenui voce ità submurmurauit:* AVRICVLAS ASINI MIDAS REX HABET. *Tum fortassis rursus terra repleta discessit, ibiq́, cannas deindè natas esse fabulati sunt, quæ ità sibilum edentes murmurabant* AVRICVLAS ASINI MIDAS REX HABET. Sed *Poëta* illud elegantius expedit in hisce:

Ille quidem celare cupit, turpiq́, pudore
Tempora purpureis tentat velare tiaris.
Sed solitus longos ferro resecare capillos

Viderat hoc famulus, qui cùm nec prodere visum
Dedecus auderet, cupiens efferre sub auras,
Nec posset reticere tamen, secedit, humumq;
Effodit, & domini quales aspexerit aures,
Voce refert paruâ, terraq; immurmurat haustæ,
Indiciumq; suæ vocis, tellure regestâ
Obruit, & scrobibus tacitus discedit opertis.
Creber arundinibus tremulis ibi surgere lucus
Cœpit, &, vt primum pleno maturuit anno,
Prodidit agricolam: leni nam motus ab Austro
Obruta verba refert, dominiq; coarguit aures.

Hæc luculentius *Ouidius*, quàm PETRONIVS, aut *Natalis*, quanquam obscura adhûc non parum, sicut in progressu patebit.

Interim sub hac fabula *Midæ*, de *asininis auribus* multa vitæ communis documenta latere in confesso est. *Primò* enim monemur, exemplo *Midæ*, magnam esse hospitalitatis mercedem. Is enim ob hospitio exceptum, & lautè à se habitum, *Silenum* patrem, à *Baccho* præmium illius liberalitatis suæ accepit, vt quàm liberalis is fuerat in hospitē, tam liberum haberet arbitrium quiduis à deo optandi impetrandique. *Pro secundo*; discimus quoque, mortales sæpenumerò à DEO OPT. MAX. inutilia, imò damnosa & noxia petere, cùm ea, quæ etiam, tanquam carissima, desiderio affectant, sibi perniciosa euenire liqueat. Cuius euentus testis isthæc fabula, quâ *Midas* petit à *Baccho*, vt omnia, quæ contingeret, in aurum verterentur: quæ optio cùm sibi à deo indulgeretur, tanquam *Phaëtonti* sua itidem à *Phœbo* petitio tantùm non perniciosa atque exitialis extitit.

Tertiò; coarguit simul hæc fabula supinam *Midæ* auaritiam, quæ nihil nisi damnosum & immoderabile suadet, imò partis coaceruatisque opibus toties vti nescit, tanquam magnam partem ipsis autoribus perniciosis. *Quartò*, insulsum etiam, temerarium, atque iudicii melioris expertem hominem notat, qui quidem de rebus sublimioribus, quas ipse non capit, stolidum stupidumque suum iudicium interponere audet. Quæ hîc temeritas *Midæ*, dum *Pana Apollini*, rei musicæ inuentori, carminibus aut fistulâ potius agresti præstare contendit, hortendam metamorphosin caussat, vt *Asini auriculas* acceperit, tantum non totus in *Asinum*, vt quidam malunt, transformatus, sicut *Actæon* in ceruum, *Arachne* in araneam. Hinc tritum illud in rusticum *Midam* natum, qui agrestem syluestremque fistulam diuinis carminum, vel ipsius *Apollinis*, modulationibus ausit præponere:

Vtrem præ cithara gaudet habere Midas.

Quo loco non possum mihi temperare, quin verba Nobiliss. sui temporis *Poëtæ*, *Georg. Sabini*, isthûc afferam, qui in explicatione præallegatæ fabulæ, ad *libr.* XI. *Metamorph.* ita masculè & totundè edisserit: *At quoniam* (inquit) *plerique Regum ac Principum sunt aut prorsus illiterati, aut indoctiores, quàm vt de Musica, hoc est, de literis & honestis artibus rectè iudicare possint. Nam in aulis, vt videmus, plerumq; semi-literati doctissimis præferuntur: ideò Poëtæ finxerunt Midam quoq; admirari agrestiorem Musicam, nec fauere Apollini. Tales enim Midæ rarò fauent studiis, quibus ipsi non sunt exculti: ac melius diiudicare possunt, vt clangat tuba, quàm vt numerus in oratione, vel in versu aptè cadat. Antæus Scytharum Rex fertur dictitâsse, se magis de-*

lectari hinnitu equorum, quàm cantu, & symphoniâ. Huius aures a Musis tam alienas & abhorrentes, quis non asininas dixerit? Ergo non dubium est, hanc fabulam esse confictam in Principes auaros & indoctos, quibus plurìs est aurum, quam sapientia, infantia quàm eloquentia, barbaries quàm eruditio. Neq; aliud sunt aures asininæ, quæ Midæ affinguntur, nisi aures ineruditæ, tametsi earundem allegoria posit etiam ad alia referri. Ad hoc *Sabini* facit, quod PETRONIVS habet pag. 19. vbi *Poëtæ* quoque diuitibus dicuntur exosi. *Ecce autem* (inquit) *ego dum cum ventis litigo, intrauit Pinacothecam senex canus, exercitati vultus, & qui videretur nescio quid magnum promittere, sed cultu non proinde speciosus, vt facile appareret, eum ex hac nota literatorum esse, quos odisse diuites solent. Is ergo* addit, *ad latus constitit meum, & Ego, inquit, Poëta sum, &, vt spero, non humillimi spiritus, si modo coronis aliquid credendum est, quas etiam ad imperitos deferre gratia solet.* *Quinto* denique, quod, quamuis *aures* illas *asininas Midas* summo studio, sicut infames, celârit, abscondentque, rumor tamen per tonsorem famulum euulgatus fuerit, perspicuè docemur, nihil tàm occultum, aut abditum esse, quod tempus non reuelet, ac patefaciat: imo *aures asininas*, id est, res obscœnas & turpes, quanto studio occultentur, facili brachio deprehendi detegique.

Quod si tandem, prout innuit Dn. GOLDASTVS noster, fabula hæc de [illegible] *Midæ asininis* eo modo accipi debet, quòd suffossa terra sub conclaui *Regis* ad [illegible] illius foraminis steterit minister proditor, qui calamo in foramen imm[illegible] prodiderit *Regi* in conclaui existenti omnia, quæ gererentur, dicerenturque: pro sexto consectarium politicum, hinc elegans emergit, *Reges*, si ut longas vulgo habere manus dicuntur, ità quoque longas habere aures, vt quæcunque facilè, licet vulgo arcana atque abdita, per delatores, adulatores, proditoresque, quibus *Principes* [illegible] cumdantur, percipere ac cognoscere possint. Sicut enim *Muscæ* æstiuo tempore culinas, ità adulatores proditoresque *Principum* aulas sectantur. Qu[illegible] sequentibus alludit, qui supr[illegible], *Georg. Sabinus: Iustinus* (inquit) *refert ad delatores, & exploratores, quorum sunt multi in aulis Regum; Sic enim scribit: Sunt, quibus placet hâc allegoriâ significatum Midam, vtpote tyrannum, corycaos & subauscultatores dimittere solitum, per quos quæcunque per omnem regionem vel fierent, vel dicerentur, cognosceret: nimirum illis vtens aurium vice. Proinde cùm vulgus admiraretur ab illo resciri etiam ea, quæ clam ac procul fierent, occasionem fabulæ dederunt, vt Midas diceretur auriculas asini habere, vel quod nullum animal, excepto Mure, acutius audiat, quam Asinus.* Huc quadrat, quod in triuiis fertur: *Similes amant labra lactucas.* Itemque: *Scientia non habet osorem, nisi turpiter ignorantem.* Cui proprium est, quod pariter prouerbiali dicterio vsurpatur: *Auriculas Asini quis non habet?*

Fertur autem *Poëta* primùm ità scripsisse: *Auriculas Asini Midas Rex habet.* Deinde metu *Cæsaris* scripturam mutasse hoc pacto: *Auriculas asini quis non habet?* Eandem etiã fabulam prædicto modo interpretari videtur *Natal. Comes*, dum ex aliis autoribus varias huius historiæ interpretationes explicationesque asscribit *libr. Mytholog.* I X. *cap.* XV. ibidem: *Ego sane* (inquit) *crediderim auarissimum & opulentissimum omnium suæ tempestatis fuisse Midam, qui vt multas pecunias cumularet, cibis etiam parcissimè frueretur, omniaq; propè necessaria victui venderet, & in aurum conuerteret. Cùm verò aliis in rebus esset planè rudis, neque à belluis eius iudicium differret, fabulati sunt, illum aures asini habuisse.*

Alii contra (addit) *quod acutissimè audiret, istud fictum fuisse arbitrantur, quod asinus illum sensum omnium propè animalium habeat acutissimum.*

alii

Alii fictum putarunt, quia multos haberet exploratores.

Alii dicunt fuisse impudentissimum & arrogantissimum omnium Principum suæ tempestatis, qui cùm parum curaret hominum de se maledicta, & tùm pessimè audiret à Phrygibus, ob malam administrationem, exquisitissimamq; auaritiam, cùm pecunia esset apud eum omnium controuersiarum index aut libido, dictus est asini aures habere: nam solum aurum sibi præ omnibus proposuerat.

Alii dicunt, (inter quos fuit Callisthenes in nauigatione, & Hecatæus de Hyperboreis) duos colles fuisse in Phrygia, qui aures asini vocarentur, super quibus munitissima oppida condita fuerunt, è quibus latrones complures viatores & peregrinos adoriebantur. His locis cùm arma Midas intulisset, ac oppidis per vim potitus fuisset, obtruncatis eorum locorum latronibus, dictus est fabulose aures Asini habere.

Alii voluerunt illum, quia Liberum patrem fefellisset, in Asinum fuisse mutatum, sed, cùm recuperasset pristinam formam, aures tamen non deposuisse.

Alii, quia Dionysii asinos ac iumenta iniuriis affecerit, ab irato deo illi asini aures fuisse iniunctas maluerunt.

Alii aures Asini datas Midæ à deo fuisse iccircò putarunt, quia omnes arrogantes damnantur ignorantiæ. Quæ enim se scire omnia, vel quæ nescit, arbitratur, is parum idoneus efficitur ad sciendum.

Hæc, secundùm diuersa diuersorum palata, & opiniones, super allegata fabula hucvsque *Natalis*: apud quem ibidem easdem fermè admonitiones, atque ἐπιμύθια, qualia suprà astruximus, colligere est.

Desid. Erasmus Adag. Chil. 1. *Cent.* 11 1. pluribus quoque agit super fabulæ huius expositione, dum velut in *Adagio* proponit: Μίδας ὄνου ὦτα: id est, *Midas auriculas asini.* Refertur, inquit, à *Diogeniano. Natum à fabula notissima Midæ Regis Phrygiæ, cui Phœbus, quòd stolidè Panem canentem sibi prætulisset, asininas affixit auriculas. Quas cùm diu mitrâ occuluisset, tandem à tonsore animaduersum est, ac prolatum in vulgus. Porrò adagium rectè dicetur vel in stolidos, & crassis auribus pinguiq; iudicio homines, vel in Tyrannos, quibus cum aures sint asininarum instar longæ, procul etiam audiunt, vel vt auscultatoribus dimissis, qui audita referant. Quos Plutarchus in libr. de curiositate,* ὠτακουστὰς *appellat, &* ποταγωγίδας. *Eoq; Lucianus in libello, cui titulus: Non esse facile credendum delatoribus, calumniæ depingens imaginem, Midæ aures illi tribuit, propter studium subauscultandi, captandique, quid alii rerum faciant.* Ἐν δεξιᾷ τις ἀνὴρ κάθηται τὰ ὦτα μέγιστα ἔχων, μικροῦ δεῖν τοῖς τοῦ Μίδου παραπλήσια: Id est, *Ad dexteram vir quispiam sedet, auriculis maximis, quales fermè Midæ fuerunt:* Aristophanes in Pluto:

Μίδας μὲν οὖν ἔσῃ, ἢν ὦτ' ὄνου λάβῃς.

Id est:

Midas quidem itaque, si aures Asini sumatis.

Quo loco interpres admonet prouerbii de auriculis asininis, eiusque commenti varias allegat caussas. Quosdam autores esse, Midam hunc ob contemptum aliquando vituperatumq; Bacchi numen, in Asinum fuisse conuersum. Alii narrant, cùm aliquando præteriret asinos huius dei, atque eos affecisset iniuriâ, iratum Bacchum, Midæ auriculas asininas addidisse. Sunt, qui dicant, huic aures naturâ prælongas fuisse, & asininarum instar prominentes, atque hinc fabulæ iocum ortum esse. Quanquã pluribus placet, hâc allegoriâ significatum, Midam, vtpote Tyrannum, Cory-

caos, ac subauscultatores dimittere solitum, per quos, quæcunq; per omnem regionem vel fierent, vel dicerentur, cognosceret. nimirum illis vtens aurium vice. Proinde cùm vulgus admiraretur, ab illo resciri etiam, ea, quæ clàm ac procul fierent, occasionē fabulæ dederunt, vt Midas diceretur auriculas asini habere. Vel quod nullum aliud animal acrius audiat, quàm asinus, excepto mure: vel, quòd aures habeat omnium longissimas. Hactenus Roterodamus.

Doctissima verò iuxtaque elegantissima est lectissimi *Poëtæ, Georg. Sabini*, super *Midæ* famuli voce in arundinem immissâ, sententia, qui hunc in modum apptimè commentatur: *Regum* (ait) *ac Principum vitia teguntur tiará, id est, dignitate, quâ ipsi sunt ornati: eo enim tegmine Reges ac Principes suam deformitatem occultant, néve manifesta fiant eorum vitia, obruuntur illa quidem scrobibus, sed ad tempus, donec è scrobibus enascantur cannæ, seu arundines vocales, hoc est, donec ipsis sepultis existant scriptores, qui posteris prodant turpia illorum facta. Vocales enim arundines nihil aliud significant, nisi scriptorum calamos, qui literarum monimenta conficiunt. Hi enim calami vocem edunt, hi loquuntur, hi efferunt arcana scrobibus obruta.* Et hæc satis de allegotica fabulæ inerpretatione.

Cæterùm, quantum ad *rationes Physicas* attinet, euidentissimum est, sonum, imò auditum fieri, cuius obiectum, τὸ ἀκουστὸν, siue audibile, est sonus, in corpotibus concauis, anfractuosisque, prout omnibus constat, aures esse, quæ præditæ sunt anfractibus valdè flexuosis, anfractuosisque, ita vt nullus sensuum tam variè tortum ac gyratum instrumentum habeat, quàm auditus. Aures autem tam variis rortuosisque anfractibus donatas esse, è *Physicis Anatomicisq;* discimus, ne sonus de improuiso cum impetu & copia irruens subtilissima auditus organa lædat, tum, ne soni, & voces ad aures delatæ dissipentur, antequam ad interiora delata diiudicari distinguique possent. Tria autem sunt in aure quauis ossicula, *malleus* scil. *incus*, & *stapes*, quæ certè si non vera sunt & genuina auditus organa, sanè à natura non frustra efficta, imò ad auditus conformitatem rectitudinemque ibi posita esse indubitatum esse conuenit. Illis adiunguntur porrò *Tympanum* scil. quæ est pellicula tenuis admodum & sicca in *Aure*, & *Neruus auditorius*, ex quinta neruorum coniugatione, secundùm *Anatomicos*, oriundus.

Duo igitur sunt, quæ ad *Auditum* requiruntur: *Obiectum* videl. τὸ ἀκουστὸν, siue audibile, qui sonus est· & *Caussa*; *Sonus* duplex est, secundùm *Aristotel. lib. II. de Anima, cap.* VIII. alius generalis, qui quidem excitatur à collisione corporum solidiorum, quatenus ea corpora solidiora sunt, alterumque alteri non cedit, aut quatenus alterum ab altero non dissipatur. Sic è percussione fit sonus, cùm quis baculo, tanquam corpore solido, aliud lignum, lapidem, aut animal, percutit, tanquam corpora solida. Etsi autem dictum sit, sonum maximè fieri collisione corpotum solidiorum, dubitatur haud frustra, quo pacto sonus excitari queat percussione *Aëris* atque *Aquæ*, quæ non sunt corpora solida, v. gr. quando aqua bacillo percutitur, aut sclopetum exploditur? Ad quod respondetur: *Aërem* & *Aquam*, licet per se non sint corpora solida, id est, dura, & densa, solidantur tamen indurantu rque velut in ipsa sui percussione (quam tamen violentam & vehementem esse oportet, tardior enim percussio nihil soni edit) & sic percutienti resistunt, atque obluctantur. *Aër* itaque & *Aqua* per analogiam ac similitudinem vocantur corpora solida, cùm explosio bombardæ in *Aëre* magnum sonum, imò horrendum fragorem caussetur, quòd *Aër*, ob fugam vacui, penetrationem globi violentam ægerrimè admittat, adeoque, dum in angustum truditur locum, præter naturam qu. densatur, dissipationique ac vacuo resistit. Eodem modo fermè *aqua* percussa

sonum

sonum edit, quatenus penetrationi corporis impacti resistit, se seque velut obdurat, densatque aduersus impetus alterius corporis. Hinc vulgò enses probari solent, vt si quà vehementem super prætersfluentem percussionem sustineant, neque dissiliant, optimæ notæ habeantur.

Specialis verò sonus is ab *Aristotele* nuncupatur, qui ab animali editur, & propriè vox vocatur, à vocando. Ea autem est vel articulata, vt in hominibus, vel inarticulata, vt in brutis. Aliter etiam *sonus* distinguitur in *rectum*, vel *simplicem*, & multiplicatum, siue reflexum, qui *Echo* appellatur.

Caussæ verò *Auditus* sunt potissimùm instrumentales: de finalibus enim nullus hîc sermo. Ex Instrumentalibus sunt *Malleus, Incus, Stapes*, quæ organa sunt duriora; & deinde *Tympanum*, atque *neruus auditorius*, quæ molliora. Quibus accedit *spiritus auditorius*, internum auditus organum, imò ipsa *Auris* integra, per se collectum considerata, quæ tota auditus organum est. *Medium* verò, per quod fit *Auditus*, est *Aër*, vel *Aqua*: quanquam tamen *Aër* hoc loco præ *Aqua* quia tenuior, liquidior, aptiorque principatum teneat. *Auditus* igitur à *Physicis* definitur sensus externus, auribus percipiens qualitatem ex commotione *Aëris* prouenientem, id est, sonum, mediante *Aëre* vel *Aquâ*. Vel sic: Auditus est potentia sensitiua, ordinata in neruo expanso ad aures, à *Cerebro*, apprehendens formam soni aduenientis sibi, ex commotione aëris, qui colliditur inter corpus percutiens, & percussum. In his definitionibus ostenditur obiectum auditus, qui *sonus* est, medium, quod est *Aër*, vel *Aqua*, & instrumētum, qualis est *Auris*: quæ quidem foris est patula, intus verò tortuosa & flexuosa, ne facilè sonus elabatur.

Sonus itidem est qualitas perceptibilis auditu, quæ ex collisione aëris, vel eiusdem scissione inter duo corpora nascitur. Tria igitur ad sonum, vt fiat, requiruntur, *corpus percutiens, corpus percussum*, & *aër*, qui interuenit, collisus aut scissus. Accidit etiam, vt *Aër*, & vice corporis percussi, & medii simul perfungatur: quemadmodum contingit, si quis virgâ, fune, aut flagris, sonum caussetur, vel aërem, quem percutit, vnde fragor ac sonitus.

Ex his iam obiter enarratis manifestum fit, quid, qualisve sit sonus, auditusve, vnde constet, & à quibus perficiatur: quæ omnia φυσικῶς & naturaliter fiunt, atque ad auditum propriè pertinent. Iam verò is sonus auditusque, qui à *Midæ* famulo, voce in arundinem immissa artificialiter contigit, naturæ ac physico sono maximè similem atque correspondentem fuisse, necessum fuit. Ars enim Naturæ simia atque imitatrix est. Eaque, vbi Naturam veriùs expressit, tum demum in genere atque artificio suo fuerit perfecta: quod vel in pictoribus conspicuum, qui, sicubi in arte sua ad Naturam proximè accedunt, tum demùm pro raris clarisque artificibus habentur.

Artificio igitur ad Naturam maximè comparato *Midæ* ministrum vsum fuisse liquet, siquidem primò terram suffoderit, vnde concauitas procul dubio tortuosa anfractuosaque nata est, qualem in *aure* esse, suprà prodidimus. Sic in locis anfractuosis, concauisque, in quibus sonus resultat reflectiturque, *Echo* fit, quæ, autore *Palladio, lib. 1. de re rust.* ad humanam vocem falsa imaginatione respondet. Sic *Pan, Arcadiæ* deus, fertur *Syringam* Nympham admodum dilexisse, vt tradit *Ouidius libr. 1. Metamorph.* quæ dein in arundinem transformata est, qua occasione *Pan* fistulas ex vento cauitatem arundinum ingrediente, sonumque caussante, adinuenit. Sic autem inter cætera, ibidem *Ouidius*:

Panaq́, cùm prensam sibi iam Syringa putaret,
Corpore pro Nymphæ, calamos tenuisse palustres,
Dumq́ ibi suspirat, motos in arundine ventos
Effecisse sonum tenuem, similemq́, querenti
Arte nouâ, vocuq́ deum dulcedine captum,
Hoc mihi consilium tecum dixisse manebit,
Atq́, ità disparibus calamis, compagine ceræ
Inter se iunctis, nomen tenuisse puellæ.

Sic illi, qui classica canunt, tibicines aulici, bellicique, ad sonum eò acriorem penetrantioremque ciendum, fistulas habent aut ex argento, aut ære Corinthiaco mirè anfractuosas, tenues, tortuosas, atque in gyrum serpentes. *Virgilius* quoque eiusdem concauitatis meminit *lib.* IV. *Georgicorum*, vbi sonum resultantem, atque *Echûs* imaginem, aluearìis *Apum* minus conuenientem, atque ex concauis locis oriundam, asse-

—— altæ neu crede paludi,
Aut vbi odor cœni grauis, aut vbi concaua pulsu
Saxa sonant, vocisq́ offensa resultat imago.

Prædictæ autem cauitati ex terra effossæ iniecti fuerunt calami, vel arundines, per quas minister proditor vocem immisit (quæ nihil aliud, quàm sonus articulatus) atque eo modo, sicut ARBITER tradit, Regi in conclaui existenti quæcunque, quæ gererentur dicerenturque, detulit ac prodidit. Sic enim ARBITER:

Sic commissa ferens auidus reserare minister
Fodit humum, Regisq́, latentes prodidit aures.
Excepit nam terra sonos, calamiq́ loquentes
Inuenêre Midam, qualem narrauerat index.

Paulò secus *Ouidius* hanc fabulam recenset, qui quidem maioris aut subtilioris alicuius artificii meminit in fistulis, vel arundinibus infra terram effossam collocandis, quam innuit PETRONIVS. Narrat siquidem, proditorem terræ effossæ quædam verba de repertis *Midæ* auribus asininis immurmurâsse, postea tellure regesta eadem obruisse, ac scrobibus opertis discessisse. Hinc lucum atque arundines subnatas esse addit, quas vbi maturas ventus, vel Auster ingressus fuisset, obruta verba retulisse, *Regisq́* auriculas detegisse, recenset sequentibus:

—— cupiens efferre sub auras,
Nec posset reticere tamen, secedit, humumq́
Effodit, & domini quales aspexerit aures,
Voce refert parua, terræq́ immurmurat haustæ,
Indiciumq́ suæ vocis, tellure regestâ
Obruit, & scrobibus tacitus discedit opertis.
Creber arundinibus tremulis ibi surgere lucus
Cœpit, & vt primum pleno maturuit anno,
Prodidit agricolam: leni nam motus ab Austro
Obruta verba refert, dominiq́ coarguit aures.

Hæc nunc, & similia, etsi rectissimè ad locum in *Physicis* de *Natura* atque *Arte*, imò de *Auditu* referenda sint: nihilo-minus tamen multa eius-modi artificialibus machinis, rotis-

rotis, cuniculis, & id genus aliis, sæpenumero concurrunt, quæ & qualia non illicò ex *Physicis* præceptis demonstrari queunt, sed potiùs è *Mathematicorum* institutionibus, iisque aut *Opticis, Geometricis, Gnomonicis, Architectonicis*, & similib. veriùs petenda veniunt.

Natura enim, autore *Aristotele libr. II. Physicor. cap. I. est principium, ac caussa motus ac quietis, eius rei, in qua inest primò & per se, & non per accidens.* Hoc est: Natura est principium motus ac quietis eius rei, in quâ inest primò ac per se, id est, eius rei, cuius est materia & forma, atque adeo, cuius essentiam constituit. Quod enim inest per se, id non inest per accidens. Quâ ratione *Natura* discernitur ab *Arte*. *Ars* enim potest etiam caussa esse motus, sed non tanquam principium internum, sed externum, quod rem ipsam, sicut *materia* ac *forma*, non constituit. *Ars* enim ipsa est accidens. Accidens autem non constituit. *Natura* verò, quæ nihil aliud est, quàm *materia* & *forma*, internum est rerum physicarum principium, caussa motus & quietis, per quam res id sunt, quod sunt.

Quò magis artificiosa istius-modi, atque affabre facta, è *Physicis* demonstrari nequeunt, sed ad *Mathematica*, aliasque artes, quæ artificiosa multa habent comminiscunturque inuenta, referenda sunt: nisi quis omnino profundiùs ea omnia rimari ac subtilius disputando inuenire animo præsumat. Sic stupenda industria *Albertus* ille, ob multiplicem atque eruditam virtutem insignis[illegible] merito *Magnus* cognominatus, statuam, hominis imaginem repræsentantem, construxisse scribitur, quæ cum libramentis, rotulis, atque aliis id genus artificialibus machinis ingeniosissimè, linguamque admiranda ratione mouentibus articulata verba, hominis in morem, enunciauit. Hanc statuam cùm *D. Thomas Aquinas* ab *Alberto* in cubiculum, vbi illa latebat, intromissus præsens audiisset verba adeo articulata proferentem, perterrefactus fuste machinam contriuit, ac postea interrogatus, cùm respondisset, se statuam confregisse, respondit *Albertus, opus triginta annorum destruxisti*; referente *Barthol. Keckermanno, libr. I. Systemat. Physic. cap. IV.* ex *Botero libr. VIII. Polit. cap. III.* Sic *Mercurii* è Cedro statua humana voce locuta fuit, autoribus *Hiarbâ Gymnosophistâ, & Georg. Pictorio Villingano, de Conuiuiis.* Sic *Fortunæ* simulacrum *Romæ* locutum, referentibus *Valer. Maximo, & Ludou. Viue*, super *cap. XIX. libr. V. Augustini de ciuit. Dei.* Sic *Apollinis Cumani* simulacrum fleuit per quatriduum. Sic *Iuno Sospita Lauinii* similiter fleuit, testibus eodem *D. Augustino libr. III. cap. XI.* & *Ludouico Viue* ibidem. Sic *Architas, Tarentinus Princeps, ligneam columbam* fecit volatilem. Sic artifex quidam *Noribergensis Aquilam* fabrefecit, quæ *Imperatori Maximiliano* obuiam volaret per longum spatium extrà vrbē *Noribergam*, scilicet ad quadrantem miliaris; vbi suprà caput *Imperatoris*, quasi pendula, ipsum in vrbem aduentantem comitata est. Sic alius quidam artifex *Muscam ferream* volatilem fecit, vt tradit idem *Keckermannus.*

Eadem ferè industria spectatur in *Automatis, organisq; horariis* illis, quæ certis funiculis, rotulis, machinisq; contexta horas diei, imò singulos quadrantes, denotant. E quibus sunt *Automata* parua & *portatilia*, qualia in constitutum tempus dormientes excitant; vnde *Germanis* Wecker/Weckvhren/dicuntur. Insigne alioquin opus horologicū confecit artifex ille *Argentoratensis, Isacus Habrechtus* senior, quod non solū horas & quadrantes singulos denotat, sed etiam per septem *Planetas*, vt vocant, cymbalis argenteis sonos diuersos iucundosq; edentibus, *Psalmos* atque Cantica, pro anni ratione ac tempore, in *Ecclesia Euangelica* cani solita, eleganter imitatur, harmoniceq; cōmodulatur:

pro cuius symphoniæ exodio *Gallus gallinaceus* ferreus alas qu. expandit, ac gallicinium eleganter edit. Sic dantur *Organa Musica*, quæ affabrè intus constructa, absque manu Organistæ, certas symphonias, & partes, ceu vocant, decurrunt. Sic in *Cryptis* quoque & subterraneis, (sicut aliàs in hortis *Regum* ac *Principum* pro deliciis sunt) dantur *Organa vocalia*, ex aqua intus certo artificio motus, sonum atque harmoniam excitante. Prout pariter *Auium* modulationes, plenéque concentus eadem industria in cryptis illius-modi aquâ mediante, repræsentantur, quales *Romæ*, *Florentiæ*, *Parisiis*, imò etiam in *Germania*, *Heydelbergæ*, *Monachii*, aliisque in locis videri, audiríque possunt. Ita *Heydelbergæ* quoque, in *Arce Electorum Palatinorum*, magnum atque ingens est conclaue, (vulgò vocant den grossen Saal) in quo si quis ad parietem loquitur, alter loco longè distantiore, aures ad parietem inclinando, illicò clarè ac distinctè singula verba percipit, tanquam à propè astante prolata.

Quantumuis igitur prædictæ machinæ, statuæ, automata, organa hydraulica, atque id genus alia, intus in corporibus naturalibus motum, sonum, vocemque caussentur, adeoque internum ob id motus principium dici queant: nihilo-secius tamen illud non erit materia vel forma essentialis eius rei, sed secundùm accidens: ideoque ad *Artem*, non verò ad *Naturam* referendum. *Ars* igitur maximè imitatur *Naturam*: adeoque res artificialis naturali affinis est in multis, vt quandoque etiam res naturalis vocetur, licet per analogiam, & similitudinem; prout eruditè disserit *Ioan. Velcurio comment. in Physicam Aristotel. libr.* 1. *cap.* IX. & X.

Disquirendum ergo hoc loco maximè restat: *Quomodo locutio efformari possit per terram effossam, & scrobes superiniectes, mediantibus calamis aduatis?* Dein, sicubi hæc explicatum sit; *Quâ ratione is lucus certa ac definita verba, vel eæ arundines*; scil. AVRICVLAS ASINI MIDAS REX HABET: *referre possint, absque insusurratione etiam artificis?*

OVIDIVS enim & PETRONIVS canunt, sponte suâ, artificio semel qu. ritè disposito, sermonem per cannas editum fuisse, atque conceptis verbis, vt asscripsimus, *Regis* auriculas prodidisse. Appositè huc quadrat illud, quod *Germani* nostrates vulgariter efferunt, si quando accidit, vt dedecora, vel sinistrè facta alia *Magnatum*, aut hominum dignitate ac potentia eminentium, ob metum potentiæ vel indignationis, alioquin licet vere, non audeamus proloqui. das darff man nicht sagen/man muß es nummeln/oder pfeiffen: origine huius dicterii sumpta è *Midæ* fabula, vbi famulus, vel *Midæ* tonsor, non ausus palàm dedecus *Regis* proloqui, fistulis cannisque ad prodendum istud vsus fuit. Ergo, more *paræmiæ Germanicæ* illius, hat ers nicht gesagt/sondern gepfiffen.

Caput

Caput IV.

VIsus quid? Eius requisita è *Physicis*. Oculus instrumentum visus: eius partes, & requisita. *Optica* quid? Eiusce requisita. *Petronii* locus ex *Opticis* illustratur. Oculi & sensus quomodo fallant, tàm è *Medicis*, quàm *Physicis*, *Opticisq;* demonstratur. Cur, & quomodo *Turres quadrata rotunda* appareant? Fallaciæ opticæ multiplices.

POst tractationem de *Auditu*, iam ad *Visum* iter est. Definitur autem *Visus* ab *Aristotele, libr. II. de Anima, cap. VII. sensus exterior, qui id, quod potentiâ est aspectabile, facit actu aspectabile.* Facere autem actu aspectabile, nihil aliud est, quàm dijudicare id, quod est visibile, id est, obiectum, luce, vel colore præditum, prout explicat *Keckermannus libr. system. Phys. III. cap. XX.* cuius ista est definitio: *Visus est sensus exterior excellens, quo percipiuntur obiecta visibilia. Aliter Velcurio libr. IV. comment. Phys. cap. VII. Visus est sensus exterior, percipiens oculis species colorum, & coloratorum, lucidorumq; corporum.* Vel sic: *Visus est potentia sensitiua ordinata in neruo oculi optico, ad apprehẽdendam formã eius, quod formatur in humorem crystallinum, ex similitudinibus corporum habentium colorem: quæ idola veniunt per corpora perspicua, & radiosa in effectu ad superficiem corporum tersorum, quales sunt oculi.* Studio autem plures definitiones asscribimus, partim, quod *visus* est sensus nobilissimus, partim etiam, quod tractatio de *Visu* est difficilima, idque non tàm, quantum ad obiectum & organum, quàm quantum ad modum visionis definiendũ attinet, super quo maximè eruditissimorum philosophorum subtiles, atque intricatæ quæstiones, litigationesque, subortæ sunt. Occasionem nobis suggerit *Petronius* in *fragmentis* porrò, *pag. 72.*

Fallunt nos oculi, vagiq; sensus
Oppressâ ratione mentiuntur:
Nam turris propè quæ quadrata surgit,
Attritis procul angulis rotatur.

Hæc liquidò ad *Physicam*, tum *Perspectiuam* propriè, siue *Opticam* pertinent. Antequàm autem de *Perspectiua* videamus, prius generalia quædam ad *visum* requisita ex *Physicis* præmittemus.

Ad *visum*, eiusque naturam cognoscendam, requiritur *Obiectum*, & *caussa*. *Obiectum* autem visus est, quod vi radiandi præditum est, adeoque, quod se ipsum in *oculo* repræsentare potest, sicut in speculo. Illud est vel primarium v.gr. *lux* & *lumen*; vel secundarium, aut primò natum, v.gr. *color*. Illud (scilicet *lux* & *lumen*) in se & per se habet vim radiandi, speciemq; ac imaginem sui mirabili celeritate repræsentandi. Hic verò (scil. *color*) in se & per se non habet vim radiandi, suique imaginem repræsentandi, absque beneficio *lucis* ac *luminis*.

Caussa autem *visus* est vel instrumentalis, vel principalis. Illa est duplex, vel exterior, vel interior. Exterior est v.gr. Oculus, cuius figura est sphætica, situs in sublimi, numerus binarius; de quibus omnibus prolixè disputant *Physici*. *Oculi* verò partes geminæ sunt, scilicet *Humor* & *Tunica*. *Humores* numero tres sunt, *Crystallinus* scilicet, qui idem primarius, *Aqueus* item & *Vitreus*. *Tunicæ* sunt quatuor, *Cornea* scilicet, *Vuea*, & *Aranea*, quæ interiores, & *Alba*, siue *adnata*, vel *coniunctiua*, quæ secundaria est. Et sic de caussa *visus* instrumentali externà breuiter.

Succedit *instrumentalis* interna. Hæc denique caussa *Visus* dicitur de instrumento magis interno, quod duplex est, *Neruus* scilicet *Opticus*, & *Spiritus* per neruum Opticum, tanquàm per canalem ad *oculum*, & rursus ab *oculo* ad *Cerebrum* influens. Ille geminus est, in vtroque *oculo* vnus, primum par inter septem neruorum paria constituens. Hic verò ex *Cerebro* ad exteriora membra defertur, inter omnes spiritus animales primus, subtilissimus, atque agilimus.

Principales verò caussæ *visionis* vel sunt *remotæ*, vel *propinquæ*, vel *proximæ*. *Remota* caussa est obiectum coloratum, vel lucidum, quod imaginem sui repræsentat primò in medio, id est aëre, vel aqua, dein in ipso oculo. *Propinqua* caussa est imaginis illius in oculo receptio. *Proxima* est visus diiudicatio, scilicet imaginis in oculo formatæ, quæ fit à sensu communi, & phantasia. Hæ enim caussæ omnes, tanquam efficientes, sunt.

Accedit *Caussa*, vt vocant, *passiua*, scilicet ipsum *medium*, per quod fit visio. Illud enim cum actu visionis ità copulatum est, vt sine eo actus visionis fieri nequeat. Dicitur autem medium illud, per quod videmus, corpus *διαφανὲς*, id est, perspicuum, quod lumine possit illustrari. Idq; rursus aut simplex est, v.gr. *Cælum, ignis elementaris, aër & aqua*: aut compositum est, v.gr. *vitrum, crystallum, succinum*: quorum tamen omnium frequentissimum visionis medium est *aër*: de quibus omnibus autores fusius consulendi sunt.

Hæc propriè è *Physicis* fontibus de *Visu*, eiusdemque requisitis, præmisisse sufficiant.

Iam ad *Opticam*, seu *Perspectiuam*, quæ quidem de *Visione*, eiusque affectionibus proprius agit, transitus est, quæ definitur scientia benè videndi. *Physica* autem de *Visu* tractat, quatenus is inest corpori naturali, & ex quinque sensibus externis corporis naturalis nobilissimus habetur. *Optica* verò tradit rationem & modum benè videndi. *Visionis modus* fit per speciem visibilem, extrinsecus in *Oculum* receptam. Visio enim non fit emissiuè, sed immissiuè; quia est receptio, vt sensus omnis, speciei visibilis in *Oculum*. Benè autem videre, secundum *Opticos*, est de veritate & fallacia visibilium accuratè exquisiteque iudicare. Subiectum itaque eius scientiæ nihil aliud est, quàm benè videndi modus. Iam res ad benè videndum proposita est visibile. Omne autem visibile radiat. Radiare verò est per radios diffundere sui imaginem. Radius enim est species rei visibilis in directum porrecta. Medium est corpus pellucidum, radiis peruium. Illi opponitur *corpus opacum*, quod radios non admittit. Visibile est res, quæ radiat per medium. Illud est duplex, vel per se, vel per accidens. Visibile per se est, quod scilicet in se caussam habet radiationis, vel, quod solo visu percipi potest: cuius-modi est *lux*, scilic. visibile per se, primo præcipueque radians, & per quam omnia cætera radiant. Hæc lux rursus duplex est: vel primaria, quæ secundum radiorum directionem proiicitur: talis est lux (vt aiunt) quæ per fenestram incidens cubiculum sui diffusione illuminat, in loco, cui incidit: vel secundaria quæ fit è diffusione lucis primariæ, v.gr. cuius-modi est lux, in angulis cubiculi, quo lux prima à luminoso nequit pertingere. Luminosum autem corpus dicitur, quod sui luminis diffusiuum est. Hûc pertinet *Color*, qui est visibile, lucis beneficio radians. Is duplex vel *externus*, qui omnes reliquos colores vincit, v. gr. *albedo & nigredo*: vel *mistus*, qui constat è coloribus extremis, qui item simplices dicuntur. Coloratum corpus est, quod sui colorem diffundit. Hæc de *Visibilibus per se*. *Visibile per accidens* est, quod radiat per *lucem* & *colorem*. Hæc de *luce & colore*, quæ radiant.

Succe-

Succedit *Vmbra* atque *Opacum*, luci opposita. *Vmbra* itaque est imminutio lucis opaco interiecto. Eius diuisio sumitur è *tempore*, *gradu*, *figura*, & deniquè *situ*. Quoad *tempus*, *vmbra* vel *diurna*, vel *nocturna* est. Quoad *gradum*, vmbra vel *clara*, vel *obscura* est: hæcque rursus vel partialis, vel totalis. Quoad *figuram*, vmbra vel est *Cylindriaca*, vel *Conica*, vel *Calathiformis*. Quoad *situm*, vmbra vel *recta*, vel *versa* dicitur.

Visa vmbra succedit *Radius*; id est species, seu simulacrum rei visibilis; qui quidem in multiplici differentia est. Alius enim est *opticus rectus*: alius *obliquus*: alius *perpendicularis*, alius *primus*, alius *generalis*, alius *proprius*, alius *realis*, alius *axis optici*, alius *ab axe optico* distinctus, alius *simplex*, alius *geminus*, alius *reflexus*, alius *refractus*, vt videre est apud *Opticos*. Quam scientiam in compendium redegit eleganter *doctiss. Philosophus h. temp. Io. Henr. Alstedius, vir de vniuersa penè literatura benè meritus*. Hæc de *Radio*.

Sequitur *Figura Optica*; per quam semper fit visio, cuius vertex est in *oculi* centro, basis in visibili. Ea autem dicitur *Pyramis Optica*, quæ à basi in mucronem fastigiatur. Eadem dicitur *Conus opticus*. *Pyramis* vero est vel *radialis*, vel *illuminationis*. Hanc excipit *Axis Opticus*: qui dicitur radius rectà transiens per centra partium *oculi* ad locum gyrationis nerui communis. Is duplex est, quia à visibili vtroque oculo viso duę figuræ opticæ ad vtrumque oculum extenduntur.

Est itaque vel *axis communis*, vel *diameter oculorum*. Superest *Angulus visionis*: itemque *visus diiudicatio* vel *vera*, vel *falsa*.

Ex his omnibus *caussa Visionis* apud *Opticos* est *medium Opticum* (*siue corpus pellucidum*) *radius Opticus*, vel visiuus, (species rei visibilis) & *figura* denique (scilicet *Pyramis Optica* per quam fit visio) *Optica*.

Præmissis igitur nunc, lege methodi, vniuersalibus, iam ad particularia, imò propositam quæstionem, accedere fuerit opportunum. Hunc autem in modum in *Epigrammatibus Petronianis* extat *pag. 72*.

> *Fallunt nos oculi, vagiq́, sensûs*
> *Oppressa ratione mentiuntur.* &c.

Oculos vero & *sensus* in multis nos fallere, primo è *Medicorum* placitis demonstrabimus, deinde de *Turri quadrata* ex *Opticis* videbimus.

Principio itaque *Oculi* fallunt homines multipliciter, vel per consensum *Cerebri*, *Ventriculi*, *Vteri*, aliarumque corporis partium male dispositarum, vnde *Oculi* per *συμπάθειαν*, vel, vt vocant consensum, simul afficiuntur, quando scilicet vapores tenues calidique ex inferioribus partibus per *Arterias* in *Cerebri* ventriculos irrepentes, qui in plexu choroide spiritus & humores exagitantes, varieque impellentes, turbulentos sensus motusq; reddunt, sicut, inter cæteros, autor est *Galliæ Hippocrates Fernelius libr. v. Pathol. de part. morb. & sympt. cap. 11*.

Hi autem vapores rursus caussantur ex humore aliquo vitioso non continenter & assiduo, sed ex interuallis, quoties is euidentium caussarum vi cietur. Stabulatur is vel in *Cerebro* ipso primario, vnde affectus per *πρωτοπάθειαν* dicitur euenire, vel in *Ventriculo*, *Vtero*, aliisque partibus secundario, vnde per consensum & *συμπάθειαν* morbus suboritur. Eius-modi est v. gr. *Vertigo*, quæ ità quidem *Cerebrum* sensusque exagitat, vt omnia circumrotari videantur, ægerque sæpè corruat, nisi apprehensis oppido adminiculis.

Idem

Idem euenit in *Epilepsia*, *Vertigini* admodum cognata, quæ est totius corporis crebra distensio, seu conuulsio non perpetua, quâ subitò corruit, sensibus omnibus atq; animi facultatibus interceptis, vt nec audiat, nec videat, nec præteritorum promptè meminerit. Eam plerumque *Vertigo* sensuumque velut circumgyratio præcedit. Deindè *oculi* potissimum nos fallunt, quando affectus est primatiò in ipsis *Oculis*. *Oculi* autem multipliciter laborant, vel ex mala conformatione, vel ab eorum mutatione in situ, siue motu deprauato vel ex affectibus internis, vel externis, inque ipsis oculis propriè natis. Ad malam conformationem, siue ea ab ortu, siue posteà à casu, vel morbo alio nata sit, referuntur *pupilæ vitia*, scilicet *pupillæ dilatatio*, quæ videndi spiritum in totum diffundi dissiparique patitur. Fit hæc ab humore in *vuea tunica* redundante; Sequitur ea *oculi scyrrhum*, *Phlegmonem*, *abscessum*, &c. Sic visionem impedit *pupillæ imminutio*, morbosa scilicet, quæ visionem præter modum & naturam acutissimè stringit, atq; imminuit; vt v. gr. in *phthisi*, *atrophia*, & quoties *humor vitreus* absumitur.

Huc pertinent *diuulsio* porrò ac *ruptio pupillæ*, quæ contingunt maximè à vi atque iniuria extrinseca.

In *situ* mutantur *Oculi*, vel motu inordinato peruertuntur: v. gr. in *Strabismo*, & *Paralysi*. *Strabismus* autem est *Oculi* conuulsio, quâ is in obliquum ità contorquetur, vt nequeat amborum vnus esse aspectus, autore *Fernelio*. *Paralysis* verò est omnimoda *Oculi* motus abolitio.

Ex affectibus, vel caussa interna præexistente, *Oculi*, eorumque visio, impeditur, deprauaturque, v. gr. in *Suffusione*. In cuius principio *fumi* & *vapores*, deindè etiam *atomi*, *muscæ*, & id genus corpuscula ante oculos obuolitare falsò videntur. Quidam rem eandem dupliciter sibi occurrentem videre se arbitrantur. Non-nulli circà candelas noctu irides quasdam falsò intueri sese putant, vnde etiam imaginatio is affectus appellatur. Vera autem & confirmata suffusio est humoris præter naturam, vel in pupilla, vel inter rhagoidem tunicam, & humorem crystallinum concretio, teste *Fernelio*. Humor autem è *Cerebro* per *neruum opticum* sensim prolabitur, initio admodum tenuis, vt deprehendi vix possit, vnde *fumi*, *muscæ*, & *atomi*: post crassescens, vsque dum pupillam omnem obtegit, visionemque tollit.

Idem contingit ferè in *Ophthalmia*, vel *oculorum phlegmone*, quæ oritur ex tenui biliosoque sanguine in oculos affluente è temporum angulorumq; venis in obscuras ac latentes oculorum venas. Idem contingit in *Acutorum morborum* crisibus, præsertim nocte, *Crisin* præcedente, vbi omnia peruertuntur, seu sensusque errant atque hallucinantur, tùm externi, tum interni. Idem vsu-venit in *phrenitide*, *paraphrenitide*, *Melancholia hypochondriaca*, *Febribus acutis*, & consimilibus, in quibus omnibus sensuum, inprimis etiam visionis, fit hallucinatio.

Oculi denique *visioneq́ue*, falluntur, cum affectus in ipsis tunicis *Oculorum* est impactus: v. gr. in *Caligine*, quæ senibus frequens, vbi visio tenebrosa accidit ex *tunica cornea*, quæ crassior aut densior redditur. Idem contingit in *νεφέλιον*, seu *Nubecula*, vbi tenuis humor eidem *corneæ* inhærescit, quo in casu laborans per nebulam, fumos, aut vaporem se res videre arbitratur. Idem ferè in *πτερύγιον*, siue *vngue*, vt dicitur, *Oculi*, accidere amat. Eam autem vocant esse neruosam, duram, albicantemque membranam ex angulo se se obtendentem, & pupillam plerumque obtegentem.

Optime igitur hîc è *Physico-Medicis*, demonstrari potest, quid nimir. sit *ratio oppressa* nimir.

nimir. mens, siue sensus interiores, sensus scil. communis, phantasia, ac ratiocinatio, vi morbi aut aliorum accidentium oppressa, ità vt rectè riteque inter ea, quæ à sensibus externis offeruntur, discernere non possit. Quemadmodum ità laborantes dicimus delirare, mente aberrare, ratione non valere, & consimiliter.

Aristoteles libr. III. *de Anima cap.* II. autor est, beneficio sensus communis, animal iudicare de actione reliquorum sensuum, ità vt animal tantum non videat; sed etiam se videre iudicet. & consimiliter de sensibus reliquis. Is *vgiis αἴσθησιν* vocat sensum communem, siue sensum reflexum; Sensus siquidem per hanc facultatem in seipsum conuertitur, dum sentit se sentire, atque adeò iudicat, vtrum benè an malè sentiat. Sic *phrenetici* ac *Maniaci* laborant ex deprauatione sensus communis, vndè diiudicare neutiquam queunt, an color albus, vel ater: an cibus (quem indifferenter deuorant) bonus vel malus. Hinc hûc quadrat illud:

——— vagiq; sensûs
Oppressâ ratione mentiuntur.

Et hæc, quoad *falsam visionem*, è dogmatibus *Medicorum* nostrorum.

Quoad *Opticorum* placita, necessariò sensus circà obiecta sua falluntur tàm in hominibus, quàm brutis; idque quintuplicitet maximè I. Si *iusta* non sit distantia inter sensile & sensorium. II. Si sensile iustam non habeat magnitudinem. III. Si sensile destituatur situ debito. IV. Si non tempore, *ac debitâ* morâ commoretur antè sensorium. V. Si supra modum & nimis afficiat sensorium.

Communia autem sensuum obiecta sunt quatuor, *motus, quies, numerus, figura*, ac *magnitudo*: quæ omnia ab omnibus sensibus percipiuntur, omnibusque ex æquo obiiciuntur: de quibus vide *Barth. Keckermann. libr.* III. *System. Phys. cap.* XVI.

Porrò *sensus vagi* ideò dicuntur à *Petronio*, quod omnis imago & species, quæcunque ab obiecto sensili formatur, obiectum sit sensus communis, sicut est omne sensile, quod sensibus exterioribus percipitur.

Cæteroquin, quod ad sequentes versiculos facit, illi rectius ex *Optica*, quàm *Physicâ* explicari debent, qui quidem tales:

Nam turris propè quæ quadrata surgit,
Attritis procul angulis rotatur.

Pertinent igitur hæc ad *Opticam specialem*, quæ modum benè videndi in specie explicat. Inprimis referenda sunt ad regulam de visione vera & falsa. Ad veram visionem requiruntur quinque, vt suprà: I. Vt iustam habeat ab oculis distantiam. II. Vt iustum habeat situm. III. Vt iusto tempore commoretur antè oculos. IV. Vt modo conueniente oculis obiiciatur. V. Vt mediocriter denique, non verò vehementer, oculos afficiat. Hæc sunt requisita visibilis. Vidè porrò requisita in *Radio*; in *sensorio*; in *medio*; in *vidente*; apud *Scriptores Opticos*.

Fallaciæ itaque *Opticæ* sunt numero infinitæ. Eætamen in *visibili* potissimum sunt: I. Nimia scilicet distantia. II. Subita illius à sensu remotio. III. Situs inconueniens. IV. *Paruitas* nimia. V. Inæqualis *partium* dispositio. VI. Motus velox & continuus. VII. Luminis cum vmbra commistio. Eædem quoque variant vel ratione *radii visiui*: vel *sensorii*: vel *medii*: vel ipsius *videntis*.

Inprimis autem *fallaciæ* hæ contingunt vel circà *essentiam* rei visibilis, vel circà *accidentia*. Circà *essentiam* fit *fallacia Optica*, quando videtur visibile esse hoc vel illud,

quod tamen vereâ non est. Circà *accidentia* autem contingit; quando fit error circà *quantitatem, figuram, situm, distantiam, deformitatem*, & similia.

In specie itaque hic *fallacia Optica* occurrit, ratione *figuræ*. Hinc *quadratæ turres* procul visæ, apparent *rotundæ*. *Rotæ* item & *Molæ* eminus quandoque videntur oblongæ: Nempe quia radii ex omnibus partibus in oculum consimiliter radiant. Et quia latera obliqua videntur breuiora. Anguli enim qui in quadratura *Turris* sunt, ob loci distantiam, non videntur singuli: sed ratione molis corporis, vel turris, obscurantur: hinc attriti *Petronio* dicuntur, qui ratione distantiæ absorbentur, vt obseruati nequeant.

Pariter, ratione *Loci*, visus fallit, vel accidit *fallacia Optica*. Disiuncta enim, ob loci distantiam, videntur coniuncta; obliqua valdè distantia, videntur recta; dextra videntur sinistra; humilia sublimia.

Sic ratione *Numeri* fit *fallacia Optica*. Aliquando enim simplex videtur geminum; si nimirum videat quis altero oculo directè, altero obliquè: vel ciriâ concursum axium: vel variato velociter situ: vel altero oculo compresso, vel ebrio, aut furioso.

Deniquè ratione *Motus* accidit *fallacia Optica*. I. Sic vmbra videtur moueri ad motum corporis. Sic debili luce videntur quieta moueri, mota quiescere. Arbores enim nemoris vicinæ quietæ, videntur primò coniunctæ, post, cum accesseris, itè motæ. II. Sic distantia intemperata caussat vt res motæ videantur nobiscum moueri proportionaliter: v.gr. viator *Lunam* antè se contuens diutiusculè, existimat illam secum moueri proportionaliter. III. Sic tardius aliquod corpus motum inter alia corpora velocissime mota videtur quoque velocissimè moueri: v. gr. *Lunæ* corpus inter nubes velocissimè motas videtur itidem celerrimè moueri. IV. Sic tardiusculè motum videtur quiescere: v. gr. *stellæ fixæ*, ob motus sui tarditatem, videntur velut stare, non motæ. V. Sic celeriter se se mouenti videntur alia quoque quieta vnà moueri: v. gr. celeriter nauiganti, atque obliquè intuenti, arbores in ripa remotiores videntur vna atque aliorsum moueri. VI. Sic deniquè si quis crebrius ac sæpius conuertatur, omnia secum moueri putabit: ratio: quod *spiritus Optici*, vehementius moti, atque agitati, motum suum diutius retineant, ac, corpore quantumuis quiescente, ipsi nihilo minus tamen non quiescant. Sunt enim illi spiritus corpore crassiori velociores.

Referunt *Optici*, si spiritus *Opticus* sit copiosus, fortis, purusque, hominem tàm longè quam propè videre posse. Si verò est purus quidem, sed paucus & debilis, hominem tantum propè videre posse. Si deniquè est copiosus quidem & fortis, sed non purus, homo tantum longè videre potest. Sic, qui habent oculos atquatos, & veternosos, videntur sibi intueri nihil nisi lutea. Si crassus & densus humor medium pupillæ occupet, omnia apparent perforata. Si humor idem est niger, muscis omnia plena videntur. Qui verò humidos habent oculos, alba & fulgida iis apparent punicea.

Colores quoque variè mentiuntur. *Lampades* enim, quæ ex oleo viridi, quod dicitur fieri ex vuâ immaturâ, quæ ad Solem aruerit, omnia viridia repræsentant. *Lucerna* item ex aqua ardente, & Sole; si lux alia quæuis absfuerit, facies velut mortuorum repræsentat. *Ignis* etiam certo fumo conspersus dicitur serpentum speciem referre. Sic apud *Pharaonem, Regem Ægypti, Magi Ægyptii* scribuntur beneficio *Optices* diuina *Moyses* atque *Aaronis* miracula æmulati fuisse, virgâ in serpentem conuersâ, aquâ in sanguinem.

nem mutatâ, itemque ranis ex aqua productis, quæ mihi quidem videntur ab *Opticis* esse alieniora, atque *Magiam* ac *Nigromantiam* potius sapere.

Appositè *Lucretius, libr. IV. rer. natural.* ad thema nostrum, vbi caussam, quod *turres* propè *quadratæ*, eminus *rotundæ* appareant, in distantiam, atque angulorum obscuritatem, ratione distantiæ, referre videtur:

Quadratasq; procul turres cum cernimus vrbis,
Propterea fit, vti videantur sæpè rotundæ,
Angulus obtusus quia longè cernitur omnis.

Quos itaque *Petronius angulos attritos*, hos *Lucretius obtusos* eodem fermè significato indigetat. Eodem respicit *Tertullianus libr. de Anima, cap. XVII.* eandem rationem allegans in sequentibus: *Item* (inquit) *vt turris habitus cludat, interualli conditio compellit in aperta. æqualitas enim circumfusi aëris pari luce vestiens angulos, obliterat lineas.* Idem nescio an paulò luculentius affirmat *Isidorus orig. libr. XV. cap. II. Turres* (ait) *quamuis quadratæ aut latæ construantur, procul tamen videntibus rotundæ existimantur, ideò quia omne cuiusque anguli simulacrum per longum aëris spatium euanescit, atque consumitur, & rotundum videtur.* Rectè igitur nobilis *Ianus Dusa in Spicilegio ad Petron.* vocabulum roratur, quo *Petron.* vtitur, accipit pro *rotundatur.*

Vt igitur *distantia* isthîc aut *figura* oculis non imponat, *fallaciamq; Opticam* caussetur, *Myrmecide* opus sit. Is autem, referente *Plutarcho*, ità acutè vidisse perhibetur, vt currum fabricarit, qui ala muscæ tegeretur.

Idem in *Sesamo* insculpsit *Homericos* aliquot versiculos. Is igitur, tantâ oculorum acie prædirus, etiam herbas, & res naturales, quomodo crescant, fors videre ac obseruare queat, sicut alias vulgò in nasutulos dicterio fertur: *Audit etiam gramina accrescere:* Er höret das Graß wachsen: cum accretio rerum naturalium nequaquam oculis, multò minus auribus notari possit. Qua de re eleganter non minus quàm grauiter Philosophorum ætatis suæ Apollo, *Rodolph. Goclenius, in disputat. philosophiæ Candidator. XIV. Marpurgi* habita *Anno M. DC. XV.*

Cerno cavum factum lapidem: non cerno cauari:
Rem creuisse vides, crescere nemo videt.

Caput V.

M*Ellis* vsus olim in cibis & condimentis frequens. *Mel Hyblaum* quale? Eius, sicut & *Mellis* in genere, præstantia. *Mellis* genera. *Mel* γλυκύπικρον ob *apicularum* aculeos. *Vrsus Mellis* auidus. *Adagia* super *Melle* oriunda. *Regiones* & *Populi*, apud quos copia & vsus *Mellis* frequens. *Mel* à *Poetis* pro *Ambrosia* sumitur, quo *Iupiter* pastus esse scribitur. *Fabulosa Apum* origo. *Mellis* differentiæ & nomina iuxtà *Anni tempora*. *Denominatiua à Melle varia*, quæ ad *Mellificium* faciunt. *Melos* & *Melodia* dicuntur quoque à *Melle Compositiones e Melle*. *Mel Hyblaum* vndè, & cur stomachus fastidiat secundum PETRONIVM? Et quæ nam *sit illa satietas*? *Nasus* odorata quoque fastidit, sicut *Stomachus* dulcia.

V Eteres *Melle* pastum inibant. Præterquàm enim quod *Melle* cibos, loco *Sacchari*, quod nondum innotuerat, condiebant, etiam ipso *Melle*, alimenti vice, vescebantur. Prius palam innuit PETRONIVS, dùm apud *Romanos* suâ tempestate *Glyres Melle & Papauere sparsos* fuisse meminit, quod, condimenti loco, venisse intelligimus, prout *libr. I. cap. II. & XIV. de Gliribus* dictum fuit. Posterius verò idem ARBITER *pag. 72.* super *Melle* disserit, quatenus id pro cibo in vsum hominum venit. Antiquitus mortales *glandibus* vescebantur, quod affirmat *Virgilius* in limine *libr. I. Georgicor.*

> ——— *vos ô clarissima mundi*
> *Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum,*
> *Liber & alma Ceres, vestro si numine tellus*
> *Chaoniam pingui glandem mutauit aristâ*
> *Poculaq; inuentis Acheloia miscuit vuis.*

Et alibi:

> *Concussâq; famem in syluis solabere quercu.*

Hodie etiam-nunc multi *Melle* pastum ineunt. Quamuis illud de sententia *Galeni* rectius senibus conueniat, quàm iuuenibus, aut iis, qui cholerico sunt temperamento, cum sic facilè in bilem vertatur. Ita autem autor noster *pag. 72. in Epigrammatibus:*

> *Hyblaum refugit satur liquorem.*

Per *Hyblaum* verò *liquorem* nihil aliud quàm *Mel*, inprimis optimæ notæ, quod ex *Hybla* prouenit, vbi innumera apum multitudo congregari dicitur, intelligendum est. *Hybla* enim mons *Siciliæ* optimo abundat *Melle*. Hinc *Martialis libr. Epigr. XI.*

> *Mella iubes Hyblæa tibi, vel Hymettia nasci.*

Varro Siculum Mel optimum esse, autor est, quod eo loci thymus bonus & frequens sit. Idem *libr. III. de re rust. cap. XVI. Mel* in genere Diîs atque hominibus acceptum esse refert, cum partim ad sacrificia, partim ad conuiuia & mensas adhibeatur. *Foris* (inquit) *pascuntur, intus fauos Melle farciunt, quod dulcissimum quidem est, & Diis & hominibus acceptum, quod fauus venit in altaria, & Mel ad principia conuiuii, & in secundam mensam administratur.* Idem in limine capitis allegati: *An quia* (inquit) *tu solitus es in adolescentia tua domi Mulsum non bibere, propter parsimoniam, nos mel negligemus?* E quibus *Mel* in cibis atque eduliis olim familiare extitisse, constat. *Democriti* quoque, *Philosophi Abderitani* temporibus, *Mel* in vsu & pretio fuisse, euidens est. Is enim interrogatus, quo pacto homo perfectam valetudinem omnium optimè possit tueri, diuque vitam prorogare;

Respon-

Respondit: *Si intùs Melle, extrà Oleo vtatur:* magnam vim innuens esse *Melli*, ad nutriendum corpus, prout *Oleum* extrà illitum apud veteres ad valetudinem conseruandam plurimùm conferebat. Id quod etiam-nunc p. æstant inunctiones ex *Oleis*, licet nostro seculo rariusculè vsurpentur. *Corsici* populi *Melle* assiduo vtuntur, quod in eorum buxis copiosè nascitur. Hinc μακρόβιοι, & πολυχρόνιοι dicuntur. *Pythagoræ* quoque discipuli mensam *Pane* & *Melle* tantùm instructam habebant, autore *Aristoxeno*. Imò ferunt ipsum *Democritum Philosophum*, cùm iam foret morti proximus, complusculum temporis vitam traduxisse solo *Mellis* (vel, vt alii volunt, *panis*) odoratu. Quid? quòd IEHOVA DEVS OPT. MAX. cùm terram promissam & benedictam *Israëlitis* dare constituisset, eam, quòd *Lacte* & *Melle* flueret, abundaretque, commendârit: prout legimus in libro *Exodi*.

Superiùs in limine huius *libr.* III. *cap.* I. *de Condimentis*, vel *frugibus medicatis*, *Mel*, eiusque genera recensuimus. Aliud enim est cœleste, quod supernè, roris instar, decidit, primâ *Aurorâ*, super arborum folia. Aliud ex floribus verno tempore colligitur, quod *Anethinum* dicitur. Aliud denique ab *Apibus* in alueariis elaboratur, de quo multa *Virgilius, Varro, Palladius, Columella*, atque rei rusticæ scriptores alii. *Plinius libr. Natur. histor.* XXI. *cap.* XIII. *Mella* quoque in quibusdam locis, ex pabulo venenata reddi asserit, v. gr. in *Ponto*, & *Perside*. Id autem *Naturam* ideò voluisse innuit, vt cautiorem inde hominē, minusque auidum redderet. Hinc, addit, *Apibus* etiam cuspides esse datas, ne quis temere fauos depopuletur. Quemadmodum *Vrsos* ferunt, sagaci odoratu *Mella* sequi in syluis, arboresque, in quibus *Apes* alueos posuerunt, ascendere, multoties tamē *Apum* cuspidibus ità excipi, compungique, vt fermè ad mortis necessitatem, aut insaniā redigantur. Quod ipsum eleganti *Apologo*, *Christian. Lotichius*, auus noster, p. m. *Poëta* non infelix, expressit *Carmin. libr.* I. Sic autem noster ille:

Arua Borussorum quâ Bregala parte pererrat,
Et rapido latos flumine sulcat agros:
Rusticus errabat syluis, si forte videret,
Sedula quò fluidum mel posuisset apis.
Quercus erat, longos intùs consumpta per annos,
Quæ viridi stabat cortice fulta solo.
Quò congesta leues portabant mella volucres,
Iamq; diu factus grandis aceruus erat.
Rusticus illa videns, prêndebat in arbore ramos,
Conscendens quercus robora dura caua.
O secure nimis, nimis ô ignare pericli,
Decidis, inq; thymo crura, manusq; moues!
Inde cauâ geminas permansit in arbore noctes,
Nullaq; iam ratio, spesq; salutis erat.
Non procul hinc vrsus sub opacâ rupe latebat,
Mellaq; solerti venit odore sequens.
Conscenditq; cauam quercum, cupidusq; vorandi
In ipsam lapsu decidit inde graui.
Ore nec auerso poterat iam tangere prædam:
Corripuit renes rusticus ergo feræ.

Illa furit, tactuq; viri, commotaq; voce
Extrahit e latebris, qui periturus erat.
Ergo feræ tenere cum rusticus ipse teneret,
Tutus, & extato calce relinquit abit.
Quam miser ille necem præsentem ferre putabat,
Illa sibi certa caussa salutis erat.

Rectè PETRONIVS noster pag 19. *Apes* (inquit) *ideò pungunt, quia vbicunq; dulce est, ibi & acidum inuenies.* Vbi igitur quis *Mel* lingere desiderat, oportet vt *Apum* quoque aculeos experiatur. *Recenim mortalium ita temperauerunt Superi, vt semper incommoditas comes sit commoditatum:* autore *Desider. Erasmo.* Hinc *Sapphus poetriæ* illud adagio vsurpatum hactenus: *Μήτε μοι μέλι, μήτε μέλισσαι*: *Neque mel, neque apes.* Vel: *Μὴ ἐμοὶ μέλι, μήτε μέλισσα*: *Neque mihi Mel, neque Apis.* Quadrat autem in eos, qui, dum *Apum* cuspidas nolunt experiri, neque etiam *Melle*, quod optant, frui debent. Hinc natum est illud *γλυκύπικρον*, id est, *Amara dulcis:* eo quòd potissimum sicut in communi aliàs hominum vita nulla voluptas absque tristitia diuturna est, ita in xime impunè nemo diu fauos gustare possit, qui non ab *Apibus* compungatur. Quo pertinet lusus *Georgii Sabini, in Epigrammatibus de Cupidine*, qui in aluearis mella linctu[r]us ab *Apibus* egregiè exceptus fuit:

Dum puer alueolo furatur mella Cupido,
Furanti digitum cuspide fixit apis.
Sic etiam nobis breuis & peritura voluptas,
Quam petimus, tristi mista dolore nocet.

Veteres de re maiorem in modum suaui dulcique dicebant: *Μέλιτος μυελός*: id est, *Mellis medulla.* Quem in modum *Ennius* apud *M. Tullium M. Cornel. Cethegum Suadæ medullam* vocat. Quod enim optimum est, hoc *Natura* intimum esse voluit, prout est medulla. Hinc oriundæ familiares locutiones: *Medullitus amare*; *in medullis esse*, &c. In contrario penè significato vsurpatur: *Melle litus gladius*; quod *adagione* fertur in perniciosam adulationem: ac si dicas *Lethale mulsum*; vel *mellitum venenum:* quod pariter adagio celebratum est. Solent enim illi, qui venena aut toxica propinare student, ea fauis atque melle artificiosè occultare. Sic matres-familiàs *muribus, gliribus*, itemq; *muscis, Arsenicum* parant cum *lacticinio* aut *melle*. Infantibus etiam contra *vermes* ac *lumbricos* vsitatum est porrigere absynthium, aut amara eius-modi, quæ lumbricos fugant, melle edulcorata; de quibus aliàs diximus. Vide de *paræmiis* è *melle* oriundis *Desider. Erasmum Chil. I. Cent. VIII. & Chil. II. Cent. VIII. XIX.*

Inter optima *Mellis* genera, præter *Siculum*, aut *Hyblæum*, suprà allegatum, refertur inprimis *Atticum*. Illius enim laus in toto orbe summa est, teste *Plinio*. Hinc *Ouidius:*

Adijce de flauis Attica mella fauis.

Eius autem regionis *Hymettus* mons est, ob *Mellis* prouentum celebris, vnde & *Apes*, atque *Mella Hymettæa* vocantur. *Statius lib. VI. Thebaid.*

——*strident & Hymettia mella.*

Calidnam etiam, *Cycladum* vnam, *Melle* celebrem facit idem *Ouidius:*

Dextra Lebynthos erat, fœcundaq; melle Calydna.

Horatius, *Calabriam Mellis* feracem esse, arguit:

Quanquam nec Calabriæ mella ferunt apes.

Valer.

Valer. Flaccus Torinos, Indiæ populos, *Melle* victitare, asserit, *libr.* VI. *Argonaut.*

Mellis honos Torinis ———

Ex arundinibus verò, sine *apum* auxilio, apud *Indos Mel* dulcissimum ernitur, autore *Strabone*. Nostri id *Saccharum* dixerunt, quia *Saccharum* ex arundinibus elicitur.

Dioscorides libr. II. *de mater. med. cap.* CIV. *Mel* hoc ipsum, quod in *India*, & *Arabia felici* in arundinibus reperiri testatur, concretum esse, consistentiâ sali simile, ac dentibus, salis modo, fragile, ait, quod alios *Saccharum* vocare affirmat. Apud *Hispanos* insuper *Mel* copiosè nasci indicio est, quòd *Mellaria, Hispaniæ* ciuitas, à prouentu *Mellis* ita nuncupata sit. *Plinius* è generibus *Mellis* primò *Punica* præfert, dein *Pontica*, tertiò *Cretica*, & post hæc *Corsica*; vt habet *libr.* XXI. *cap.* XIV. Qui plura de virtutibus *Mellis*, quas in re Medica exhibet, cupit, adeat *Dioscoridem libr.* II. *de mater. med. cap.* CI.

De *Melle*, atque eius eximia dulcedine cùm plurima dici possint, inter cætera, hoc ipsum merito nobis hoc loco recensendum fuerit, quòd apud veteres, *Poëtas* præsertim, *Mel* pro *Ambrosia Deorum* habitum sit. Etenim apud *Virgilium, Poëtarum* optim. maxim. *Iupiter* ipse *Melle* pastus fuisse memoratur. Iam autem *Dii* solum *Ambrosiâ* pascuntur & *Nectare*, qui Deorum propriè cibus ac potus esse finguntur. Quâ de re *Martialis*:

Iuppiter Ambrosiâ satur est, & Nectare viuit.

Cur autem *Iupiter Melle* pastus sit, hanc rationem reddunt. Fabulantur *Melissam* in *Apem* à *Ione* fuisse conuersam: vel *Apes Sole* genitas, quas *Nymphæ Phryxonides* educarunt, *Dictæo* in specu *Ionis* fuisse nutrices. Sic enim *Columella libr.* IX. *de re rustic. cap.* II. super fabulosa hac *Apum* origine: *Nec sanè rustico* (inquit) *dignum est sciscitari, fueritne mulier pulcherrima specie Melissa, quam Iupiter in Apem conuertit: an, vt Euhemerus Poëta dicit, crabronibus & Sole genitas apes, quas Nymphæ Phryxonides educauerint: mox Dictæo specu Iouis extitisse nutrices, easque pabula munere dei sortitas, quibus ipsæ paruum educauerant alumnum.* Sic autem prædictam fabulam attingit *Virgilius libr.* IV. *Georgicor. de natura Apum*:

Nunc age, naturas Apibus, quas Iuppiter ipse
Addidit, expediam: pro qua mercede canoros
Curetum sonitus, crepitantiaq; æra secutæ,
Dictæo cœli regem pauêre sub antro.

Cœli autem *Rex Iupiter* ibi dicitur per περίφρασιν. *Cicero de senectute* de *Melle* hæc in verba. *Villaq; tota* (inquit) *locuples est, abundat lacte, caseo, melle.* Idem III. *de finibus*: *Mel, etsi dulcissimum est, suo tamen proprio genere saporis, non comparatione cum aliis dulce esse sentitur.*

Plautus in Trucul. *In Melle* (ait) *sunt linguæ sitæ nostræ atque orationes, corda in felle sunt sita, atque acerbo aceto.* *Mel* itaque *vernum* dicitur *Anthinum*: *Mel Æstiuum* verò ὡραῖον: *Mel Syluestre Ericæum*, quod ab *Erica* frutice, quam etiam *Sisarum* nominant, folia habet *Tamarisci* similia. *Mel*, quod per se fluxit, vocatur *Acoeton*, quod sine detrimento sit. *Mel* purum atq. integrum nuncupatur *Acraton*, quod neq; acescere cœpit, neq; vllũ passum est vitium. Per diminutiuum *Mel* dicitur *Meliculum*, item que *Mellilus, Mellila, Mellilum*, μελίτιον: Hinc *Plautus in Casin.* *Meum corculum, melliculum, ferculum.* Alioquin à *Melle* multa descendunt denominatiua: verbi gratia; *Mellarius*, qui *Mellis* opus exercet. *Varro libr.* III.

lib. III. *de re rust. cap.* XVI. *Ad extrema (inquit) quâ Mellarii fauum eximere poßint, opercula imponunt alueis.* *Plinio libr.* XXI. *cap.* XIV. dicuntur *rasa mellaria.* Idem Græcis μελιττουργὸς, *Meliturgus*, dicitur, apud eundem *Varronem.*

Mellatio verò est *Mellis* vindemia, cùm *Mel* eximitur. Græcè μελιτωμός: vide *Plinium lib.* XII. *cap.* XVI. & *lib.* XI. *cap.* XV. Estque vel *Æstiua*, vel *Autumnalis*, circa occasum *Virgiliarum*, vel *Nouembrem.*

Mellacium Græcis ἕψημα, ἕψημα. *Mustum est* ad medium partem decoctum, quod sapa dicitur, autore *Nonio.*

Melleus, μελιτῶδης, qui ex *Melle* est, vel *Mellis* dulcedinē refert, v. gr. *Sapor melleus*, de quo *Plinius libr.* XV. *cap.* XIV.

Mellitus, μελιτωμένος, μελιτώδης, quod ex *melle* cōditur: v. gr. cuius-modi sunt *placentæ mellitæ*, de quibus *Plinius libr.* XXVI. *cap.* XIX. & *Horatius libr.* I. *Epist.* X. Per *metaphoram Varroni libr.* III. *cap.* XVI. dicitur *puer mellitus.* *Catullus* quoque *Iuuentii* sui *mellitos oculos* vocat.

Sed *Mellificus* dicitur, qui *Mel* facit, sicut *Apes*, quæ mellificāt: Græcis μελιτοποιός. Hinc *Mellificium* descendit.

Mellifluus autem est, ex quo fluit *Mel*, aut fluere videtur. Tropicè *Melliflua* dicitur *oratio*, ex qua *mel*, vel, quæ, *mellis* instar fluit. Huic affinis est

Melliloquus, μελιφθογγος, μελίφθογγος: cui oratio, instar *mellis*, profluit. Hinc *Melliloquium.*

Mellifer pariter dicitur, qui *mel* portat. Hinc *apes* dicuntur *melliferæ.*

Melligo est succus è lacrymis arborum florumque quem *Apiculæ* depascuntur, postea ad alueos regressæ enomunt, operaque componunt; vt habet *Plinius lib.* XI. *cap.* VI.

Melligenus hinc descendit, eiusdem cum *melle* generis: vt autor idem *Plin. libr.* XVI. *cap.* VII.

Melipecta quoque sunt *cibaria mellita*, quales placentæ mellitæ: μελίπηκτα.

Melitites autem est genus potionis dulcis, factæ ex melle & musto, hoc est, congio melis, & congiis quinque musti austeri, & cyatho salis, vnà feruefactis: vide *Plin. libr.* XIV. *cap.* IX. Est etiam genus *lapidis*, coloris cinerei, qui cum affrictus, vel cum liquore contusus eundem dulcem reddit, qui *Melitites* dicitur, *Græcis* μελιτίτης: de quo *Plinius lib.* XVI. *cap.* IX. & *Galenus lib.* IX. *de simplic. medic.*

Melites interim μελίτης, est gemma sic dicta à colore *mali cidonei*, quod μῆλον κυδώνιον dicitur apud *Plinium libr.* XXXVII. *cap* XI.

Mellitißmus inprimis est linctura ex *Melle.* Græcis dicitur *Eclegma*: Latinis *Linctus*: Arabibus *Looch.*

Mellitones, μελιττῶνες, sunt loci, in quibus *Apes* nutriuntur: teste *Varrone lib.* III. *cap.* XIX.

Melissones autem dicuntur *Apiaria*, loca scil. in quibus siti sunt *Apum* aluei. Eadem *Mellaria* dicuntur. Græci *apes Melissas* vocant: vt suprà de fabulosa *Apum* origine proditum.

Melis, μέλις, est animal, quod & *Taxus*, vel *Taxo* dicitur, *mellis* alioquin auidissimum, & aluearijs vsque eò infestū, degens in cauernis, *Vulpis* magnitudine, colore *felis*, mordax asperumque, ex cuius pelle pharetras, & canum collaria obtegunt: vt est apud *Plinium libr.* IIX. *cap.* XXXIIX.

Melos denique à *Melle* quoque descendit, verbum indeclinabile & neutrum, quod significat cantus suauitatem, dulcedinemque velut melleam, qualis ex apta vocis modulatione & flexu procedit. *Persius in proloquio Satyrarum:*

Coruos

Coruos Poëtas & poëtrias picas
Cantare credas Pegaseum melos.

Melodia hinc, dulcis, vel melleus cantus, μελῳδία.

Melódes sumitur quoque pro *Poëta*, cui carmina dulcia, vel lita melle profluunt: μελῳδής.

Melizomum huc quoque facit, μελίζωμον, condimentum *Apicio* nuncupatum, quod ex *mellis* despumati mistura confit.

Et hæc obiter de denominatiuis à *Melle* oriundis.

Ex *Melle* interim ipso, quantum ad *compositiones* attinet, præparantur in vsus hominum varia; inter quæ vel *Aqua mulsa* tritissima est, de cuius compositione videatur *Columella libr.* XII. *cap.* XII. Illi autem, qui *Mella* & *Apes* curant, *Varroni* dicuntur *Mellarii*; *Volaterrano Mellatores*; aliis *Mellisones*, atque *Apiarii* appellantur. *Varro* enim *lib.* III. *cap.* XVI. *Ad extrema* (inquit) *quo mellarii fauum eximere possint, opercula imponunt aliis.* Et *Volaterranus*: *Ad hæc* (ait) *propellenda diligens mellator remediis instabit.* Vulgò *Aqua mulsa* dicitur Honigwasser; aliis Meth vocatur. *Græcis* est *Hydromel*, ex *Aqua* & *Melle*, vel *Melicratum*.

Ex *Melle* pariter atque *Aceto* optimæ fiunt compositiones. Sicut est *Acetum Mulsum*, siue *Oxymel* dictum, cuius varias species, virtutesque elegantes suprà attigimus. *Columella libr.* XII. *cap.* XLV. *Melimelitis* conficiendi modum proponit cum pomis, vocatque mulseum illum liquorem, qui sine noxa queat interdum porrigi febricitantibus, vocatque *Melomeli*. *Dioscorides libr.* I. *cap.* CLXI. pauca de eodem annotauit, quod *Melomel*, seu *Mustum*, seu *Glycymel*, nuncupat.

Quod superest, vt sensum carminis PETRONIANI attentius spectemus, notandum est, *saturum* inibi dici duobus modis. Aut enim isthæc *satietas* profecta erat ex repletione ciborum aliorum, antea assumptorum, præ quâ etiam *Hyblæum*, id est, dulcissimum ac optimum *Mel*, stomachus fastidiebat. Notum enim est, *Famem* vulgò dici *optimum ciborum condimentum*. Hinc

Ieiunus rarò stomachus vulgaria temnit.

Contrà accidit in satietate. Satur enim quicunque existit, etiam delicatissimas epulas, etiam dulcissima obsonia, qualia veteribus è *Melle* parabantur, contemnit. Hinc ARBITER noster:

Hyblæum refugit satur liquorem.

Sic *sitis* quoque ardens & magna haud aspernatur aquam è profluente, aut ex aqua ex lacu galeâ militari exceptam, qualem *Xerxes Rex* gustasse, adeoque summè extulisse scribitur, eo quòd siti vigente palustres etiam & semi-putridæ aliquando aquæ medentur. Quâ occasione *Naturam* paucis contentam, ac simplicibus, rectè ediderunt *Philosophi naturales*. Quanquam nihilo-minus *Medici* aquam illam pro potu eligunt, qualis è fontibus limpidissimis scatutit. Sed *necessitati*, vt aiunt, *nulla lex præscripta*.

Deinde, satietas ista porrò accipi potest de ipso *Melle*. Cùm enim ipsum *Mel*, præsertim frequenter, ac copiosè ingurgitatum, ventrem turbet, stomachum peruertat, nauseamque ac vomitum cieat, præsertim si crudum sit, id est, neque crudum, neque colatum, facilè fieri potest, vt aliquis *Mellis* satur fiat, illudque, licet *Hyblæum*, atq; optimum, fastidiat. Prout enim illi, qui auidius *Ficus* præmaturas deglutiunt, easdem facile per inferiora deiiciunt, ventremque labefactant: itâ vicissim, qui *Mellis* sunt cupidi, facile aut ἀνω κάτω; reiiciunt, quod immodicè assumptum fuit. Et hinc satietas, vel abstinen-

tia, ſuboritur, quæ re verâ cum ſupino faſtidio coniuncta eſt. Sic legimus *Iſraëlitas*, ex paſtu *Mannæ* illius *cæleſtis*, quæ nihil aliud erat, niſi *Mellis*, aut *roris cæleſtis* genus nauſeam, ſatietatemque, imò faſtidium cepiſſe. Niſi quis *Canes* potius imitari maluerit, qui gramen licet ſubinde reuomant manſum, ſubinde tamen eundem paſtum repetunt. Quæ *Canum* natura maximè mihi conuenire videtur cum helluonibus & vini peſtibus iſtis, quales noctesque diesque ebrii poſtquàm ſe ſe ad ambas, quod dicitur, aures *Baccho* impleuerunt, mox brutâ ac caninâ ſupinatione, vinum ſubinde reuomunt, ſubinde ſacros illos latices, vinique liquorem rebibunt. Quid? quòd eo res deuenit, vt honos ex ignominia iſta quæratur. Plures ſiquidem inuenire eſt, qui vt poculorum certamina atque aciem in conuiuiis eo maiori cum triumpho ſtrenuè ſuſtinere atque euincere poſſint, remotis paulò poſt arbitris, digito fauces adiuuante immenſam ebrietatis turpitudinem ſubinde reuomunt, ſubinde ad conuiuas & pocula redeuntes. Hem vituperium veſtrum, *Teutones!*

Dantur prætereà etiam, qui ex ἰδιοσυγκρασίᾳ atque occulta quadam proprietate, *Mel* ferre, aut comedere, nequeunt. Sicut ſunt multi, qui *Caſeum* fugiunt: quanquem hi potius abſtinentes, quàm ſaturi, dicendi veniant.

Sed de hac *Mellis* ſatietate, atque faſtidio ſatis: Præſertim cùm etiam *Moſchi*, *Caſiæ*, atque rerum odoratiſſimarum aliarum faſtidium odiumque *Naſus* oppidò contrahat; Quidnî igitur etiam *Lingua*, *Gula*, atque *Stomachus* facilè *Nauſeam* à *Melle*, quantumuis dulciſſimo, acquirere ſatagant? cùm ea ipſa, quæ in vnoquoque genere qualitatũ ſunt merè exceſſiuarum, prout *Mel* quidem eſt, faciliùs nos afficiant, alterentque? De quibus porrò in *capite*, quod ſequitur proximè.

Caput VI.

RES apprimè odoratas *Naſus* plerumque faſtidit. Femellæ maximè à *Moſcho*, *Zibetta*, atque eiuſmodi odoratioribus, læduntur. Odorata feminis infra tutò adhibentur, ſed non ſupra. *Caſiæ* genera, ac qualitates. *Hebræi* DEO OPT. MAX. ſanctiſſimum *Oleum* parabant è *Caſia*, *Myrrha*, &c. *Phœnix* è *Caſia*, *Myrrha*, &c. nidificare ſcribitur, ſeque ipſum comburere, ſenectute grauem: E cuius cineribus nouus *Phœnix* reſurgit.

EODEM fermè pacto, quo *ſtomachus* & *gula Mel*, alioquin dulciſſimum, faſtidit, *Nares* itidem res non-nullas, exquiſiti præſertim odoris, haud infrequenter abominantur. Id quod potiſſimum in *Moſcho*, *Zibetta*, & rebus iſtiuſ-modi odoratiſſimis, vſu venit. Vix enim *Nares* tàm exquiſiti odoris efficaciam ferunt abſque faſtidio. Inprimis muliebre genus è *Moſchi*, & *Zibettæ* frequentiori odoratu tantum non pallidi muſtelinique coloris euadit, quinimò eæ inſuper, quæ vteri affectibus, ſtrangulatu, doloribus, nauſeâ, vomituque laborant, oppidò damnum ſibi accerſunt, ſi *Moſchum*, vel *Zibettam*, vel ſimile quid eximii odoris, naribus obiiciant. Exinde enim ſeſe in præſentaneas ſuffocationes, ſtrangulatusque præcipitãt, vt difficulter, licet exquiſitis adminiſtratis remediis, excitari, inque priſtinum ſtatum reſtitui queant. Vterus ſiquidem naturâ ſuâ res optimi odoris amat, ad easque fertur. Si itaque Naribus obiicias *Moſchum*, *Zibettamve*, illicò vterus ex inferiori corporis regione ſurſum aſſcendet, pectus omne, thoracem gulamque replebit, vt

mulier.

mulier haud secus, ac si collum laqueo obuolutum habeat, sine loquela iaceat, veluti semi-mortua. Is affectus tàm vehemens sæpenumerò existit, vt etiam citò strangulet, vnde strangulationis suffocationisque nomen accepit. E contrario itaque hîc procedendum, Naribusque fœtida, atque pessimè olentia sine mora applicanda, imò intus propinanda veniunt; cuius-modi sunt v.gr. *Castoreum, Assa fœtida*, suffitus è *plumis perdicum, glutine, calceamentis, capillis*, & id genus aliis malè olentibus, prunis iniectis. Viceversâ verò muliebria benè odoratis instâ, ad reuellandam matricem, illinenda, vellicandaque sunt, qualia sunt ipse *Moschus, Zibetta, Ambra*, & alia. Imò etiam vtile est, vt obstetrix digitum madefaciat in *Oleo lilior. albor.* quo cum *Zibetta* vel *Moschi* aliquot grana dissoluta sint, & muliebria confricet: Vnde velut miraculo quodam ad se redeunt. Mulieres nihilo-minus hîc ambitiosæ, quæ non verentur in grauissimis nonnunquam affectibus *Medicis* peritis obstrepere (vnde etiam *Medicastræ* vulgò dicuntur, quòd illotis, vt aiunt, manibus, imò verò temerario aliquando instituto in Medicinam grassari non reformident) sæpenumero grauiter delinquunt. Dum enim ex imperitia strangulatis, qua inferiora, res malè olentes, contrà qua superiora, benè olentia obiectant, in caussa sunt, vt Matrix magis in Thoracis cauitatem ascendat, præsentissimaque morte omnino strangulet, suffocetque. Noui superiori anno ancillam, non admodum iuuenem, affectibus illis hystericis obnoxiam, & valetudinariam, posteaquam, parum ægra, noctu per acerrimam *Hyemis* tempestatem in cubiculum lectumque frigidum delata foret, ob frigus vtero inimicum, suffocationem, vterique ad superiora ascensum illico & grauiter incurrisse. Mulierculæ igitur, Medico de nocte non vocato, confestim suffitum è calceamentis aliisque rebus fœtidis, partibus verendis inferius adhibuerunt, vnde vterus sursum violentè delatus, infelicem & miseram mulierculam intrà horæ spatium, penitus suffocauit.

E quibus constat, odorata tantùm non *Naribus* aliquando fastidium parere, imò verò sinistrè applicata, in affectibus præsertim muliebribus, præsentissimum damnum accersere. Quam ob rem odorata feminis cautè vsurpanda. Contrà pro *Moscho assa fœtida*, pro *Zibettâ Castoreum*, pro *spiritu*, vel *Oleo rosarum* (quod aliàs fragrantissimi odoris) *spiritus* vel *Oleum succini*, pro *Casia*, vel *Oleo cinnamomi*, *Oleum galbani* præscribere oportet.

Rectè ergo PETRONIVS noster *Casiam* inter fragrantia, atque eximiè odorata recensere videtur, cuius efficaciam etiam *Nasus*, aliàs optimi odoris amans ac scitus arbiter, refugiat. Sic enim in *Epigrammatibus pag.* 72. aspergit:

Et naris Casiam frequenter odit.

Quem locum illustrare potest illud *Virgilii Eclogâ* 11. vbi *Casia* inprimis suauibus ac redolentibus herbis annumeratur:

Tum Casiâ, atq; aliis intexens suauibus herbis.

Idem *Maro Casiam* eandem odoratis & fragrantibus roscidisque adscribit, inter alia, *libr.* 11. *Georgic.*

——humiles Casias apibus roremq; ministrat.

Et dein:

Et glaucas salices, Casiamq;, crocumq; rubentem.

Eandem *Casiam* inter odoratissima refert quoque *Ouidius libr.* XV. *Metamorph.* sicut infrà patebit.

Inprimis verò apud *Moysen*, sacratissimum illum *Prophetam, Imperatorem*, ac *Historiographum* in populo Dei, qui coràm & præsens immediatè omnia sua ex diuino ore accepit, *Exod. cap.* xxx. *vers.* iii. xxiv. *&* xxv. legimus, Iehovam solenne ac pretiosum *Oleum* conficere sibi iussisse ex *Myrrha* nobilissima, *Cinnamomo, Calamo aromatico, Casiâ*, atque *Oleo oliuarum*, secundùm artem pharmaceuticam; cuius vsus ità sanctissimus erat, vt etiam mandato Dei seuerè interdiceretur, ne quis hominum simile vnguentum aut componere, aut se eo illo tingere præsumeret.

Dioscorides libr. 1. *de mat. med. cap.* xii. *Cassiam*, vel *Casiam*, circa feracem Aromatum *Arabiam* gigni, eiusque genera complura esse, annotauit. Optima est fuluescens, probè colorata, corallii æmula, perquam angusta, longa, crassa, fistularum plena, gustu mordax, & cum aliquanto feruore astringens, aromatica, odorisque vinosi. Eam vocat *Dioscor. Daphnitim*.

Huic præfert *Nigram*, purpurascentem & crassam, quæ *Gizir* dicitur, tanquam rosarum odorem spitans, & ad vsum medicum maximè accommodata. Secundo loco est *Daphnitis*. Tertias obtinet, quæ *Mosyleticus blastus* (hoc est, *Mosyleticum germen*) vocatur. Reliquas species viles esse pronunciat *Dioscorides*, præsertim *Pseudo-Cassiam*, & quæ hircinum virus olet. *Cassia* in duplo medicamentis admista eadem, quæ *Cinnamomum*, præstat; & ad multa vtilis est: referente eodem *Dioscor.*

Verùm hoc loci *Garzias ab horto* impugnat *Dioscoridis* atque *Galeni* autoritatem, dum per *Cinnamomum, Cassiam*, atque *Canellam* vnum idemque intelligendum esse monet. Sic autem *Aromat. Indicor. histor. libr.* 1. *cap.* xv. *Sed quod* (inquit) *Cinnamomum inueniri negent, in eo falluntur, cùm Cassia, Cinnamomum, & nostra Canella vnum idemq́; sint medicamentum.* Et paulò ante ibidem: *Cæterùm rogatos volo omnes cùm Medicos tum Pharmacopæos, vt post hac Cassiæ loco Canellam deteriorem præscribere desinant, & selectissimâ vtantur, quandoquidem tanta nunc est eius copia. Tum etiam ne Cassiam duplici pondere pro Cinnamomo in compositionibus iniiciant, tametsi fieri Dioscoridis & Galeni auctoritate.*

Interim septem genera *Casiæ*, secundùm alios, recensentur è *Dioscoride*. Primum est *Anchii*, siue *Daphnitis*: quod aliis *Daphnoides*, & *Isocinamomum* dicitur. Secundum *Zigir*, alii *Balsamódes* vocatur. Tertium *Mosyliticum germen*, aliis è *Zeilan lacta*: Quartum *Aphemon*, aliis vnguentaria: Quintum *Darca*, aliis *Dardimi*, linguâ *Persicâ*, id est, *Chinæ* lignum: Sextum *Citto*, aliis *Cuurdo*, vt vocant *Zelanii*: septimum denique *Pseudo-Casia* appellatur; de quorum omnium synonymis videatur *Iac. Dalechampius* in *Plinium*.

Plinius verò ipse de *Casia* habet sequentia, *libr.* xii. *Natur. hist. cap.* xix. *Frutex* (inquit) *& Casia est, iuxtaq́; Cinami campos nascitur, sed in montibus crassiore sarmento, tenui cute veriùs quàm cortice, quem contrà atque in Cinamo leuari & exinaniri pretium est. Amplitudo fruticis trium cubitorum. Color triplex. Cùm primùm emicat, candidus pedali mensurâ: deinde rubescit addito semipede; vltrà nigricans.* Duo autem *Casiæ* genera, *lactam*, & *balsamodem* *Plinius* allegat ibidem; paulò post ad finem: *Probatur recens maximè, & quæ sit odoris mollissimi, gustuve quàm maximè feruens potiùs, quàm lento tepore leniter mordens, colore purpureo, quæq́; plurima minimum ponderis faciat, breui tunicarum fistulâ, & non fragili. Lactam vocant talem barbaro nomine. Alia est balsamodes, ab odore simili aq; pellata, sed amara, ideóq́; vtilior Medicis, sicut nigra vnguentis.*

Sunt.

Sunt, qui *Casiam* perhibent esse *Lauendulam* vel *spicam* nostratem, qualis *Theophrasto* dicitur *Casia alba*, eidemque *nigra*. Ea est libanotis nostra coronaria. *Dalechampius* aliam *Casiam Hyginii*, aliam *Indicam* esse asserit, quas species *Plinium* confundere, arguit, prout annotauit in *libr.XII.Plin.cap.XX.*

Herodotus autor est, è *Casia* atque *Cinnamomo* aues, *Phœnicem* inprimis, nidificare. Cui sententiæ subscribit maximè *Ouidius* noster, *libr.Metam.XV.* qui *Phœnicem*, auem vnicam, in *Assyriæ* finibus viuentem, iamque senectute grauatam, recenset nido ex odoratissimis lignis, *Casiâ* inprimis, *Nardo*, *Cinamo*, & *Myrrha*, exstructo, se se imponere desuper, vitamque finire. Ex eius cineribus alia dein *Phœnix* renascitur. Scribit autem hanc Auem quinque ætatis secula adimplere. Sic itaque *Poëta* multo clarius; vbi *Casiæ* quoque mentio suscitatur inter odorata aromata alia, quod ad illustrationem *Epigrammatis Petroniani* facit:

Vna est, quæ reparet, seq; ipsa reseminet ales,
Assyrii Phœnica vocant: nec fruge, nec herbis,
Sed thuris lacrymis, & succo viuit amomi.
Hac vbi quinq; suæ compleuit secula vitæ,
Ilicis in ramis, tremulæq; cacumine palmæ
Vnguibus & duro nidum sibi construit ore.
Quo simul ac Casias, & Nardi lenis aristas,
Quassaq; cum fuluâ substrauit Cinnama Myrrha,
Se super imponit, finitq; in odoribus æuum.
Inde ferunt totidem qui viuere debeat annos,
Corpore de patrio paruum Phœnica renasci.
Cum dedit huic ætas vires, oneriq; ferendo est,
Ponderibus nidi ramos leuat arboris altæ,
Fertq; pius cunasq; suas, patriumq; sepulcrum,
Perq; leues auras Hyperionis vrbe potitus
Ante fores sacras Hyperionis æde reponit.

Tibullus libr.I. Eleg. III. *Casiam* quoque *Elysiis* in campis nasci canit, quos ob id commendare videtur:

Fert Casiam non culta seges, totosq; per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.

Caput VII.

ANalogia *Macrocosmi*, & *Microcosmi*. Ea à *Paracelso* nimis latè atq; inconstanter extenditur: de qua *Hippocratici* ac *Galenici*, inprimis *Anatomes* periti, rectius. Vtriusq; comparatio mutua. PETRONIANVS in præsenti *Epigrammate* intelligendus de affectibus in corpore humano à flatibus caussatis, quales cum *Terramotibus Macrocosmi* similitudinem habent. Aliud *Terramotus*, aliud *Terrabiatus*. Interpretatio Physico-Medica *Epigrammatis Petroniani*: quanquam alii de coitus periphrasi idipsum interpretentur. Prodigium cum oppido *Plursio* in *Rhetia*, à monte stupendo modo oppressi, ad genus *Terræmotus* refertur. *Terramotus* quomodo desinant, ac finiantur?

PAG. 72. in Carminum, seu *Epigrammatum Petronianorum* fragmentis ita legimus:

Sic & membra solent auras includere venis,
Quæ penitus mersæ, cum rursus abire laborant,

Sit prætereà, qui *fulgores* terrificos, coruſcationeſque igneas, aut *fulgura* in *Homine*, ceu *Microcoſmo*, ſibi monſtrari deſideret; is *Hominem* iratum inſpiciat, *igneos* qu. & *ſcintillantes oculos* eiuſdem contempletur. Sic *Apoplexia*, quâ aliquis tactus repentè occidit, cum *fulmine*, *ſternutatio* verò cum *tonitru* comparari poteſt. Sic *deſtillationes* in fauces, Laryngem, thoracem, aliaſque partes procumbentes, *pluuias, imbreſq.* notant. *Lacryma oculorum* rori aſſimilantur: *Sputa* verò *rotunda*, & conglobata grandinis figuram exhibent.

Quid? quod in *Macrocoſmo* ſunt *Terræmotûs*, *venti Aquilonares*, & eius-modi turbines, id in *Microcoſmo* ſunt *dolores Colici* flatulenti, *tormina*, *rugitus*, & *crepitus ventris*, *ructus ventriculi*, *aurium tinnitus*, & eius-modi, quæ velut tempeſtates ſunt *Microcoſmi*. Sic exhalationes exſpirationeſque terreſtres repræſentantur per ſtomachi humani in *Cerebrum*-vſque fumidas eiaculationes, quæ humiditate frigiditateque *Cerebri* in bullas reſolutæ rurſus in abiectiores corporis partes decidunt; prout ex *Alembici* fundo vapores ex herbis in ſublime delati, frigiditate, quæ eſt in ſuperiori *Alembici* parte, coagulantur, atque indè per canalem in vitrum ſubiectum delabuntur, vndè fit deſtillatio.

Quid? quod *Mineræ* quoque & fodinæ, quales dantur in *Macrocoſmo*, eædem in *Microcoſmo* occurrunt. Quis enim *Renum* & *Veſicæ* calculos, *lapillos* item in *Veſicula fellea*, itemque in *Pulmonibus*, atque aliis corporis partibus enatos *Mineralium* ſpeciem præ ſe ferre inficias iret?

Quis denique *hominem* ipſum, quo nullum præſtantius, nullum perfectius, nullum etiam admirabilius à Deo Opt. Max. corpus conditum eſt, creatoris illius ſui, Dei Opt. Max. ad cuius imaginem factus eſt, referre ideam negabit? Cuius ſiue celſam erectamque faciem ſpectes, ſiue temperamentum omnium animalium temperatiſſimum intuearis, ſiue denique partium ſymmetriam ac proportionem contempleris, certè elegantius nihil, operoſius perfectiuſque nihil fingi potuit.

Ex iſthac obiter depicta *Macro-* & *Microcoſmi* analogia, ſuperiores illi ex Petronio in limine capitis huius allegati verſiculi, rectè nobis quidem videntur de *flatibus* intrà corpus humanum ſtabulantibus acc pi poſſe, vndè ructus, tormina, rugitus, crepituſque ventris, inprimis *Colica paſſio* & *Spaſmodes* cauſſari ſolent, quæ *Terræmotibus*, de quibus *Phyſici* diſquirunt, in maiori mundo contingentibus ritè comparantur. *Terræmotus* enim nihil aliud eſt, quàm flatus ſiue ſpiritus, cauernis ac meatibus terræ incluſus, qui quidem magna vi erumpere tentans, atque vndiq; agitatus exitum quærens, terram tanto impetu quaſſat commouetque. *Plinius libr. nat. hiſtor. II. cap. XXIX. Terræmotum* non aliter ſe habere, ait, quàm in nubibus *Tonitru*. Qui igitur cauſſas *Tonitrûs* in nubibus nouerit, facilè idem nouerit cauſſam *Terræmotus*. Ad *Terræmotum* itaque requiritur terra laxa, poroſa, cauernoſaque, in quam ſe ſe flatus ventique inſinuare queunt. Autores ex omnibus *Europæ* locis *Conſtantinopolim*, & *Baſileam Rauracorum*, vrbes celebres, meminerunt *Terræmotibus* maximè obnoxias eſſe: quod ſitæ ſint ambæ fundo admodum poroſo cauernoſoque. Contrà *Ægyptum* & plagas ad *Septentrionem* poſitas non ità facilè *Terræmotibus* commoueri aiunt. Illam enim regionem limus ex *Nili* inundatione copioſiſſimus reddit denſiorem, compactioremque: Hæ verò plagæ ſolidiorem feruntur habere terram è frigore, vndè flatus minus admittuntur. Sub *Imp. Iuſtino I. vrbs Antiochia*, quæ per 800. annos perſtiterat, poſteaque continuo per integrum annum *Terræmotu* concuſſa fuiſſet, tandem Anno Christi *M. D. XIIX.*

planè

planè absorpta est. Similiter superiori Æstate *Anno M. DC. XXVII.* horrendos *Terramotus Siciliæ Regnum* afflixisse nunciatum fuit, vt aliquot non obscuri nominis ciuitates, vnà cum ingenti hominum multitudine, funditus subuersæ, hiatibusque oppressæ ferantur.

Sed quis *Petroniana* ista de *Terræmotibus*, quales in *Microcosmo*, id est, *homine*, contingunt: non intelligenda esse arguat? quando canit:

> *Sic & membra solent auras includere venis,*
> *Quæ penitus mersæ cum rursus abire laborant,*
> *Verberibus rimantur iter* ———

Ecquis, inquam, isthæc de *Terræmotu Microcosmico* edicta esse inficiabitur? Per *Auras* enim flatus, spiritus, ventos, & id genus intelligimus, per *venas* loca cauernosa ac porosa (*Venas* enim porosas esse *Medici* affirmant) quæ flatus illos suscipere apta sunt, indigetamus, per *Membra* verò compagem corporis, vel certam aliquam corporis regionem, in qua *Terræmotus* iste accidit, cognoscimus.

Quod autem *flatus* isti, vel *auræ penitus mersæ*, id est, in profundo corporis sese insinuantes, dum euadere nituntur, *Verberibus*, vt habet ARBITER, iter rimentur, aut inueniant, id ipsum tantò clarius naturam ac circumstantias, adeoque requisita *Terræmotus* exhibet. Si enim *Spiritus* isti non in fundo, sed superficie terræ saltem continerentur, impetus, qui terræmotum excitare sufficiat, nullus oriretur, aut admodum debilis. Vt igitur vis necessaria & vehementior existat, eo in tremore, necesse est, vt flatus, vel spiritus è terræ penetralibus erumpentes maiori vi atque tempestate perrumpant, terramque concutiant, quod ARBITER noster vocat *verberibus iter rimari.* In omni siquidem *Terræmotu* agitatio, siue tremor, fit, ob flatus ad terræ latera sese diffundentes, ex imo erumpentes, qui omni vi atque impetu exire nituntur, vndè terra nauigii instar fluctuat moueturque.

Sæpè autem eius-modi *Terra-motum* sequitur *Terræ hiatus*: prout superius *vrbem Antiochenam* absorptã fuisse prodidimus, hocq; ipsum fit, quando *Terra* ex imo conquassata sursum deorsumq; modo eleuatur, modo deprimitur, vndè oppida absumuntur, sicut in marina tempestate ponto nunc sursum, nunc deorsum delato naues absumuntur.

Quin etiam *Terram* è *Mari* egestam per *Terræmotum*, nouasq; *Insulas* indè factas esse, imò etiam Continente per *Terræmotum* interrupta *Insulas* factas esse è *Continente* annotarunt *Physici*. Cuius-modi horrendum maximè, atque omni posteritati cum horrore referendum exemplum contigit in *Heluetiæ & Italiæ* finibus *Anno D. N. M. DC. XIIX.* vbi Mons quidam superalium scopulum (qui etiam-nunc stare illæsus perhibetur) deuolutus nobile illud oppidum *Plurs* dictum, in momento velut ingenti *terræmotu*, fragore, tremoreq; penitus oppressit, vix elapso vno atq; altero homine, eius oppidi indigena. Cui horrendo stupendoque prodigio vtrum superiora secula simile quiddam obseruatint, valdè dubito.

Sicut ergò post *Terræmotus* consuetum alioquin est, *pestem*, aut *morbos* malignos insequi, quod maligni halitus è *Terra* cauernis erumpentes, agros, aquam, terram, aëremq; inficiant: ità post hoc stupendum maximè prodigium, imò etiam *Cometam* paulò post eodem *Anno* vniuersæ tantum non *Europæ*, sed *Asiæ* quoque in *Cælo* ostensum, *Pestiferam* luem pluribus in locis, inprimis bella omnibus præsertim *Germaniæ* atq; *Imperii Romani*

Sit præterea, qui *fulgores* terrificos, coruscationesque igneas, aut *fulgura* in *Homine*, ceu *Microcosmo*, sibi monstrari desideret; is *Hominem* iratum inspiciat, *igneos* q. & *scintillantes oculos* eiusdem contempletur. Sic *Apoplexia*, quâ aliquis tactus repentè occidit, cum *fulmine*, *sternutatio* verò cum *tonitru* comparari potest. Sic *destillationes* in fauces, Laryngem, thoracem, aliasque partes procumbentes, *pluuias, imbresq;* notant. *Lacrymæ oculorum* rori assimilantur: *Sputa* verò *rotunda*, & conglobata grandinis figuram exhibent.

Quid? quod in *Macrocosmo* sunt *Terramotûs*, *venti Aquilonares*, & eius-modi turbines, id in *Microcosmo* sunt *dolores Colici* flatulenti, *tormina*, *rugitus*, & *crepitus ventris*, *ructus ventriculi*, *aurium tinnitus*, & eius-modi, quæ velut tempestates sunt *Microcosmi*. Sic exhalationes exspirationesque terrestres repræsentantur per stomachi humani in *Cerebrum* vsque fumidas eiaculationes, quæ humiditate frigiditateque *Cerebri* in bullas resolutæ rursus in subiecti corporis partes decidunt; prout ex *Alembici* fundo vapores ex herbis in sublime delati, frigiditate, quæ est in superiori *Alembici* parte, coagulantur, atque indè per canalem in vitrum subiectum delabuntur, vndè fit destillatio.

Quid? quod *Mineræ* quoque & fodinæ, quales dantur in *Macrocosmo*, eædem in *Microcosmo* obuiæ sint. Quis enim *Renum* & *Vesicæ* calculos, *lapillos* item in *Vesicula fellea*, itemque in *Pulmonibus*, atque aliis corporis partibus enatos *Mineralium* speciem præ se ferre inficiabitur?

Quis denique *hominem* ipsum, quo nullum præstantius, nullum perfectius, nullum etiam admirabilius à DEO Opt. Max. corpus conditum est, creatoris illius sui, DEI Opt. Max. ad cuius imaginem factus est, referre ideam negabit? Cuius siue celsam erectamque faciem spectes, siue temperamentum omnium animalium temperatissimum intuearis, siue denique partium symmetriam ac proportionem contempleris, certè elegantius nihil, operosius perfectiusque nihil fingi potuit.

Ex isthac obiter depicta *Macro-* & *Microcosmi* analogia, superiores illi ex PETRONIO in limine capitis huius allegati versiculi, rectè nobis quidem videntur de *flatibus* intra corpus humanum stabulantibus accipi posse, vndè ructus, tormina, rugitus, crepitusque ventris, inprimis *Colica passio* & *Spasmodes* caussari solent, quæ *Terramotibus*, de quibus *Physici* disquirunt, in maiori mundo contingentibus ritè comparantur. *Terræmotus* enim nihil aliud est, quàm flatus siue spiritus, cauernis ac meatibus terræ inclusus, qui quidem magna vi erumpere tentans, atque vndiq; agitatus exitum quærens, terram tanto impetu quassat commouetque. *Plinius libr. nat. histor. 11. cap.* XXIX. *Terræmotum* non aliter se habere, ait, quàm in nubibus *Tonitru*. Qui igitur caussas *Tonitrûs* in nubibus nouerit, facilè idem nouerit caussam *Terræmotus*. Ad *Terræmotum* itaque requiritur terra laxa, porosa, cauernosaque, in quam sese flatus ventique insinuare queunt. Autores ex omnibus *Europæ* locis *Constantinopolim*, & *Basileam Rauracorum*, vrbes celebres, meminerunt *Terræmotibus* maximè obnoxias esse: quod sitæ sint ambæ fundo admodum poroso cauernosoque. Contrà *Ægyptum* & plagas ad *Septentrionem* positas non ità facilè *Terræmotibus* commoueri aiunt. Illam enim regionem limus ex *Nili* inundatione copiosissimus reddit densiorem, compactioremque: Hæ verò plagæ solidiorem feruntur habere terram è frigore, vndè flatus minus admittuntur. Sub *Imp. Iustino I. vrbs Antiochia*, quæ per 800. annos perstiterat, posteaque continuo per integrum annum *Terræmotu* concussa fuisset, tandem Anno CHRISTI *M. D. XIIX.*

planè

planè absorpta est. Similiter superiori Æstate *Anno M. DC. XXVII.* horrendos *Terræmotus Siciliæ Regnum* afflixisse nunciatum fuit, vt aliquot non obscuri nominis ciuitates, vnà cum ingenti hominum multitudine, funditus subuersæ, hiatibusque oppressæ ferantur.

Sed quis *Petroniana* ista de *Terræmotibus*, quales in *Microcosmo*, id est, *homine*, contingunt: non intelligenda esse arguat? quando canit:

Sic & membra solent auras includere venis,
Quæ penitus mersæ cum rursus abire laborant,
Verberibus rimantur iter ———

Eequis, inquam, illhæc de *Terræmotu Microcosmico* edicta esse inficiabitur? Per *Auras* enim flatus, spiritus, ventos, & id genus intelligimus, per *venas* loca cauernosa ac porosa (*Venas* enim porosas esse *Medici* affirmant) quæ flatus illos suscipere apta sunt, indigetamus, per *Membra* verò compagem corporis, vel certam aliquam corporis regionem, in qua *Terræmotus* iste accidit, cognoscimus.

Quod autem *flatus* isti, vel *auræ penitus mersæ*, id est, in profundo corporis sese insinuantes, dum euadere nituntur, *Verberibus*, vt habet ARBITER, iter rimentur, aut inueniant, id ipsum tantò clarius naturam ac circumstantias, adeoque requisita *Terræmotus* exhibet. Si enim *Spiritus* isti non in fundo, sed superficie terræ saltem continerentur, impetus, qui terræmotum excitare sufficiat, nullus oriretur, aut admodum debilis. Vt igitur vis necessaria & vehementior existat eo in tremore, necesse est, vt flatus, vel spiritus è terræ penetralibus erumpentes maiori vi atque tempestate perrumpant, terramque concutiant, quod ARBITER noster vocat *verberibus iter rimari*. In omni siquidem *Terræmotu* agitatio, siue tremor, fit, ob flatus ad terræ latera sese diffundentes, ex imo erumpentes, qui omni vi atque impetu exire nituntur, vndè terra nauigii instar fluctuat moueturque.

Sæpè autem eius-modi *Terræ-motum* sequitur *Terræ hiatus*: prout superius *vrbem Antiochenam* absorptã fuisse prodidimus, hocq; ipsum fit, quando *Terra* ex imo conquassata sursum deorsumq; modo eleuatur, modo deprimitur, vndè oppida absumuntur, sicut in marina tempestate ponto nunc sursum, nunc deorsum delato naues absumuntur.

Quin etiam *Terram* è *Mari* egestam per *Terræmotum*, nouasq; *Insulas* indè factas esse, imò etiam Continente per *Terræmotum* interrupta *Insulas* factas esse è *Continente* annotarunt *Physici*. Cuius-modi horrendum maximè, atque omni posteritati cum horrore referendum exemplum contigit in *Heluetiæ & Italiæ* finibus *Anno D. N. M. DC. XIIX.* vbi Mons quidam superalinum scopulum (qui etiam nunc stare illæsus perhibetur) deuolutus nobile illud oppidum *Plurs* dictum, in momento velut ingenti *terræmotu*, fragore, tremoreq; penitus oppressit, vix elapso vno atq; altero homine, eius oppidi indigena. Cui horrendo stupendoque prodigio vtrum superiora secula simile quiddam obseruarint, valdè dubito.

Sicut ergò post *Terræmotus* consuetum alioquin est, *pestem*, aut *morbos* malignos insequi, quod maligni halitus è *Terræ* cauernis erumpentes, agros, aquam, terram, aëremq; inficiant: ità post hoc stupendum maximè prodigium, imò etiam *Cometam* paulò post eodem *Anno* vniuersæ tantum non *Europæ*, sed *Asiæ* quoque in *Cælo* ostensum, *Pestiferam* luem pluribus in locis, inprimis bella omnibus præsertim *Germaniæ* atq; *Imperii Romani*

Sit præterea, qui *fulgores* terrificos, coruscationesque igneas, aut *fulgura* in *Homine*, seu *Microcosmo*, sibi monstrari desideret; is *Hominem* iratum inspiciat, *igneos* qu. & *scintillantes oculos* eiusdem contempletur. Sic *Apoplexia*, quâ aliquis tactus repentè occidit, cum *fulmine*, *sternutatio* verò cum *tonitru* comparari potest. Sic *destillationes* in fauces, Laryngem, thoracem, aliasque partes procumbentes, *pluuias*, *imbresq;* notant. *Lacryma oculorum* rori assimilantur: *Sputa* verò *rotunda*, & conglobata grandinis figuram exhibent.

Quid? quod in *Macrocosmo* sunt *Terramotûs*, *venti Aquilonares*, & eius-modi turbines, id in *Microcosmo* sunt *dolores Colici* flatulenti, *tormina*, *rugitus*, & *crepitus ventris*, *ructus ventriculi*, *aurium tinnitus*, & eius-modi, quæ velut tempestates sunt *Microcosmi*. Sic exhalationes exspirationesque terrestres repræsentantur per stomachi humani in *Cerebrum*-usque fumidas euacuationes, quæ humiditate frigiditateque *Cerebri* in bullas resolutæ rursus in subiectas corporis partes decidunt; prout ex *Alembici* fundo vapores ex herbis in sublime delati, frigiditate, quæ est in superiori *Alembici* parte, coagulantur, atque indè per canalem in vitrum subiectum delabuntur, vndè fit destillatio.

Quid? quod *Mineræ* quoque & fodinæ, quales dantur in *Macrocosmo*, eædem in *Microcosmo* dantur sunt. Quis enim *Renum* & *Vesicæ* calculos, *lapillos* item in *Vesicula fellea*, itemque in *Pulmonibus*, atque alijs corporis partibus enatos *Mineralium* speciem præ se ferre inficiabitur?

Quis denique *hominem* ipsum, quo nullum præstantius, nullum perfectius, nullum etiam admirabilius à Deo Opt. Max. corpus conditum est, creatoris illius sui, Dei Opt. Max. ad cuius imaginem factus est, referre ideam negabit? Cuius siue celsam erectamque faciem spectes, siue temperamentum omnium animalium temperatissimum intuearis, siue denique partium symmetriam ac proportionem contempleris, certè elegantius nihil, operosius perfectiusque nihil fingi potuit.

Ex isthac obiter depicta *Macro-* & *Microcosmi* analogia, superiores illi ex Petronio in limine capitis huius allegati versiculi, rectè nobis quidem videntur de *flatibus* intra corpus humanum stabulantibus accipi posse, vndè ructus, tormina, rugitus, crepitusque ventris, inprimis *Colica passio* & *Spasmodes* caussari solent, quæ *Terræmotibus*, de quibus *Physici* disquirunt, in maiori mundo contingentibus ritè comparantur. *Terræmotus* enim nihil aliud est, quàm flatus siue spiritus, cauernis ac meatibus terræ inclusus, qui quidem magna vi erumpere tentans, atque vndiq; agitatus exitum quærens, terram tanto impetu quassat commouetque. *Plinius libr. nat. histor. 11. cap.* XXIX. *Terræmotum* non aliter se habere, ait, quàm in nubibus *Tonitru*. Qui igitur caussas *Tonitrûs* in nubibus nouerit, facilè idem nouerit caussam *Terræmotus*. Ad *Terræmotum* itaque requiritur terra laxa, porosa, cauernosaque, in quam sese flatus ventique insinuare queunt. Autores ex omnibus *Europæ* locis *Constantinopolim*, & *Basileam Rauracorum*, vrbes celebres, meminerunt *Terræmotibus* maximè obnoxias esse: quod sitæ sint ambæ fundo admodum poroso cauernosoque. Contrà *Ægyptum* & plagas ad *Septentrionem* positas non ità facilè *Terræmotibus* commoueri aiunt. Illam enim regionem limus ex *Nili* inundatione copiosissimus reddit densiorem, compactioremque: Hæ verò plagæ solidiorem feruntur habere terram è frigore, vndè flatus minus admittuntur. Sub *Imp. Iustino I. vrbs Antiochia*, quæ per 800. annos perstiterat, posteaque continuo per integrum annum *Terræmotu* concussa fuisset, tandem Anno Christi *M. D. XIIX.*

planè

planè absorpta est. Similiter superiori Æstate *Anno M. DC. XXVII.* horrendos *Terræmotus Siciliæ Regnum* afflixisse nunciatum fuit, vt aliquot non obscuri nominis ciuitates, vnà cum ingenti hominum multitudine, funditus subuersæ, hiatibusque oppressæ ferantur.

Sed quis *Petroniana* ista de *Terræmotibus*, quales in *Microcosmo*, id est, *homine*, contingunt: non intelligenda esse arguat? quando canit:

> *Sic & membra solent auras includere venis,*
> *Quæ penitus mersæ cum rursus abire laborant,*
> *Verberibus rimantur iter* ———

Ecquis, inquam, illhæc de *Terræmotu Microcosmico* edicta esse inficiabitur? Per *Auras* enim flatus, spiritus, ventos, & id genus intelligimus, per *venas* loca cauernosa ac porosa (*Venas* enim porosas esse *Medici* affirmant,) quæ flatus illos suscipere apta sunt, indigetamus, per *Membra* verò compagem corporis, vel certam aliquam corporis regionem, in qua *Terræmotus* iste accidit, cognoscimus.

Quod autem *flatus* isti, vel *auræ penitus mersæ*, id est, in profundo corporis sese insinuantes, dum euadere nituntur, *Verberibus*, vt habet ARBITER, iter rimentur, aut inueniant, id ipsum tantò clarius naturam ac circumstantias, adeoque requisita *Terræmotus* exhibet. Si enim *Spiritus* isti non in fundo, sed superficie terræ saltem continerentur, impetus, qui terræmotum excitare sufficiat, nullus oriretur, aut admodum debilis. Vt igitur vis necessaria & vehementior existat, eo in tremore, necesse est, vt flatus, vel spiritus è terræ penetralibus erumpentes maiori vi atque tempestate perrumpant, terramque concutiant, quod ARBITER noster vocat *verberibus iter rimari*. In omni siquidem *Terræmotu* agitatio, siue tremor, fit, ob flatus ad terræ latera sese diffundentes, ex imo erumpentes, qui omni vi atque impetu exire nituntur, vndè terra nauigii instar fluctuat moueturque.

Sæpè autem eius-modi *Terræ-motum* sequitur *Terræ hiatus*: prout superius *vrbem Antiochenam* absorptã fuisse prodidimus, hocq; ipsum fit, quando *Terra* ex imo conquassata sursum deorsumq; modo eleuatur, modo deprimitur, vndè oppida absumuntur, sicut in marina tempestate ponto nunc sursum, nunc deorsum delato naues absumuntur.

Quin etiam *Terram* è *Mari* egestam per *Terræmotum*, nouasq; *Insulas* indè factas esse, imò etiam Continente per *Terræmotum* interrupta *Insulas* factas esse è *Continente* annotarunt *Physici*. Cuius-modi horrendum maximè, atque omni posteritati cum horrore referendum exemplum contigit in *Helnetiæ & Italiæ* finibus *Anno D. N. M. DC. XIIX.* vbi Mons quidam superalium scopulum (qui etiam-nunc stare illæsus perhibetur) deuolutus nobile illud oppidum *Plurs* dictum, in momento velut ingenti *terræmotu*, fragore, tremoreq; penitus oppressit, vix elapso vno atq; altero homine, eius oppidi indigena. Cui horrendo stupendoque prodigio vtrum superiora secula simile quiddam obseruarint, valdè dubito.

Sicut ergò post *Terræmotus* consuetum alioquin est, *pestem*, aut *morbos* malignos insequi, quod maligni halitus è *Terræ* cauernis erumpentes, agros, aquam, terram, aëremq; inficiant: ita post hoc stupendum maximè prodigium, imò etiam *Cometam* paulò post eodem *Anno* vniuersæ tantum non *Europæ*, sed *Asiæ* quoque in *Cælo* ostensum, *Pestiferam* luem pluribus in locis, inprimis bella omnibus præsertim *Germaniæ* atq; *Imperii Romani*

Sit prætereà, qui *fulgores* terrificos, coruscationesque igneas, aut *fulgura* in *Homine*, ceu *Microcosmo*, sibi monstrari desideret; is *Hominem* iratum inspiciat, *igneos* qu. & *scintillantes oculos* eiusdem contempletur. Sic *Apoplexia*, quâ aliquis tactus repentè occidit, cum *fulmine*, *sternutatio* verò cum *tonitru* comparari potest. Sic *destillationes* in fauces, Laryngem, thoracem, aliasque partes procumbentes, *pluuias, imbresq;* notant. *Lacrymæ oculorum* rori assimilantur: *Sputa* verò *rotunda*, & conglobata grandinis figuram exhibent.

Quid? quod in *Macrocosmo* sunt *Terræmotûs*, *venti Aquilonares*, & eius-modi turbines, id in *Microcosmo* sunt *dolores Colici* flatulenti, *tormina*, *rugitus*, & *crepitus ventris*, *ructus ventriculi*, *aurium tinnitus*, & eius-modi, quæ velut tempestates sunt *Microcosmi*. Sic exhalationes exspirationesque terrestres repræsentantur per stomachi humani in *Cerebrum*-vsque fumidas eiaculationes, quæ humiditate frigiditateque *Cerebri* in bullas resolutæ rursus in subiecti corporis partes decidunt; prout ex *Alembici* fundo vapores ex herbis in sublime delati, frigiditate, quæ est in superiori *Alembici* parte, coagulantur, atque indè per canalem in vitrum subiectum delabuntur, vndè fit destillatio.

Quid? quod *Mineræ* quoque & fodinæ, quales dantur in *Macrocosmo*, eædem in *Microcosmo* obnoxiæ sint. Quis enim *Renum* & *Vesicæ* calculos, *lapillos* item in *Vesicula fellea*, itemque in *Pulmonibus*, atque aliis corporis partibus enatos *Mineralium* speciem præ se ferre inficiabitur?

Quis denique *hominem* ipsum, quo nullum præstantius, nullum perfectius, nullum etiam admirabilius à DEO Opt. Max. corpus conditum est, creatoris illius sui, DEI Opt. Max. ad cuius imaginem factus est, referre ideam negabit? Cuius siue celsam erectamque faciem spectes, siue temperamentum omnium animalium temperatissimum intuearis, siue denique partium symmetriam ac proportionem contempleris, certè elegantius nihil, operosius perfectiusque nihil fingi potuit.

Ex isthac obiter depicta *Macro-* & *Microcosmi* analogia, superiores illi ex PETRONIO in limine capitis huius allegati versiculi, rectè nobis quidem videntur de *flatibus* intrà corpus humanum stabulantibus accipi posse, vndè ructus, tormina, rugitus, crepitusque ventris, inprimis *Colica passio* & *Spasmodes* caussari solent, quæ *Terræmotibus*, de quibus *Physici* disquirunt, in maiori mundo contingentibus ritè comparantur. *Terræmotus* enim nihil aliud est, quàm flatus siue spiritus, cauernis ac meatibus terræ inclusus, qui quidem magna vi erumpere tentans, atque vndiq; agitatus exitum quærens, terram tanto impetu quassat commouetque. *Plinius libr. nat. histor.* 11. *cap.* xxix. *Terræmotum* non aliter se habere, ait, quàm in nubibus *Tonitru*. Qui igitur caussas *Tonitrûs* in nubibus nouerit, facilè idem nouerit caussam *Terræmotus*. Ad *Terræmotum* itaque requiritur terra laxa, porosa, cauernosaque, in quam se se flatus ventique insinuare queunt. Autores ex omnibus *Europæ* locis *Constantinopolim*, & *Basileam Rauracorum*, vrbes celebres, meminerunt *Terræmotibus* maximè obnoxias esse: quod sitæ sint ambæ fundo admodum poroso cauernosoque. Contrà *Ægyptum* & plagas ad *Septentrionem* positas non ità facilè *Terræmotibus* commoueri aiunt. Illam enim regionem limus ex *Nili* inundatione copiosissimus reddit densiorem, compactioremque: Hæ verò plagæ solidiorem feruntur habere terram è frigore, vndè flatus minus admittuntur. Sub *Imp. Iustino I. vrbs Antiochia*, quæ per 800. annos perstiterat, posteaque continuo per integrum annum *Terræmotu* concussa fuisset, tandem Anno CHRISTI *M. D. XIIX.*

planè

planè absorpta est. Similiter superiori Æstate Anno M. DC. XXVII. horrendos Terramotus Siciliæ Regnum afflixisse nunciatum fuit, vt aliquot non obscuri nominis ciuitates, vnà cum ingenti hominum multitudine, funditus subuersæ, hiatibusque oppressæ ferantur.

Sed quis Petroniana ista de Terræmotibus, quales in Microcosmo, id est, homine, contingunt: non intelligenda esse arguat? quando canit:

Sic & membra solent auras includere venis,
Quæ penitus mersæ cum rursus abire laborant,
Verberibus rimantur iter ———

Ecquis, inquam, isthæc de Terramotu Microcosmico edicta esse inficiabitur? Per Auras enim flatus, spiritus, ventos, & id genus intelligimus, per venas loca cauernosa ac porosa (Venas enim porosas esse Medici affirmant) quæ flatus illos suscipere apta sunt, indigetamus, per Membra verò compagem corporis, vel certam aliquam corporis regionem, in qua Terræmotus iste accidit, cognoscimus.

Quod autem flatus isti, vel auræ penitus mersæ, id est, in profundo corporis sese insinuantes, dum euadere nituntur, Verberibus, vt habet Arbiter, iter rimentur, aut inueniant, id ipsum tantò clarius naturam ac circumstantias, adeoque requisita Terræmotus exhibet. Si enim Spiritus isti non in fundo, sed superficie terræ saltem continerentur, impetus, qui terræmotum excitare sufficiat, nullus orietur, aut admodum debilis. Vt igitur vis necessaria & vehementior existat, eo in tremore, necesse est, vt flatus, vel spiritus è terræ penetralibus erumpentes maiori vi atque tempestate perrumpant, terramque concutiant, quod Arbiter noster vocat verberibus iter rimari. In omni siquidem Terræmotu agitatio, siue tremor, fit, ob flatus ad terræ latera sese diffundentes, ex imo erumpentes, qui omni vi atque impetu exire nituntur, vndè terra nauigii instar fluctuat mouetur que.

Sæpè autem eius-modi Terra-motum sequitur Terræ hiatus: prout superius vrbem Antiochenam absorptã fuisse prodidimus, hocq; ipsum fit, quando Terra ex imo conquassata sursum deorsumq; modo eleuatur, modo deprimitur, vndè oppida absumuntur, sicut in marina tempestate ponto nunc sursum, nunc deorsum delato naues absumuntur.

Quin etiam Terram è Mari egestam per Terræmotum, nouasq; Insulas indè factas esse, imò etiam Continente per Terræmotum interrupta Insulas factas esse è Continente annotarunt Physici. Cuius-modi horrendum maximè, atque omni posteritati cum horrore referendum exemplum contigit in Helnetiæ & Italiæ finibus Anno D. N. M. DC. XIIX. vbi Mons quidam super alium scopulum (qui etiam nunc stare illæsus perhibetur) deuolutus nobile illud oppidum Plurs dictum, in momento velut ingenti terræmotu, fragore, tremoreq; penitus oppressit, vix elapso vno atq; altero homine, eius oppidi indigena. Cui horrendo stupendoque prodigio vtrum superiora secula simile quiddam obseruarint, valdè dubito.

Sicut ergò post Terræmotus consuetum alioquin est, pestem, aut morbos malignos insequi, quod maligni halitus è Terra cauernis erumpentes, agros, aquam, terram, aëremq; inficiant: ità post hoc stupendum maximè prodigium, imò etiam Cometam paulò post eodem Anno vniuersæ tantum non Europæ, sed Asiæ quoque in Cœlo ostensum, Pestiferam luem pluribus in locis, inprimis bella omnibus præsertim Germaniæ atq; Imperii Romani

Inprimis verò apud *Moysen*, sacratissimum illum *Prophetam, Imperatorem*, ac *Historiographum* in populo DEI, qui coràm & præsens immediatè omnia sua ex diuino ore accepit, *Exod. cap.* XXX. *vers.* III. XXIV. & XXV. legimus, IEHOVAM solenne ac pretiosum *Oleum* conficere sibi iussisse ex *Myrrha* nobilissima, *Cinnamomo, Calamo aromatico, Casiâ*, atque *Oleo oliuarum*, secundùm artem pharmaceuticam; cuius vsus ità sanctissimus erat, vt etiam mandato DEI seuerè interdiceretur, ne quis hominum simile vnguentum aut componere, aut se eillo tingere præsumeret.

Dioscorides libr. I. de mat. med. cap. XII. *Cassiam*, vel *Casiam*, circa feracem Aromatum *Arabiam* gigni, eiusque genera complura esse, annotauit. Optima est fuluescens, probè colorata, corallii æmula, perquam angusta, longa, crassa, fistularum plena, gustu mordax, & cum aliquanto feruore astringens, aromatica, odorisque vinosi. Eam vocat *Dioscor. Daphnitin.*

Huic præfert *Nigram*, purpurascentem & crassam, quæ *Gizir* dicitur, tanquam rosarum odorem spirans, & ad vsum medicum maximè accommodata. Secundo loco est *Daphnitis*. Tertias obtinet, quæ *Mosyleticus blastus* (hoc est, *Mosyleticum germen*) vocatur. Reliquas species viles esse pronunciat *Dioscorides*, præsertim *Pseudo-Cassiam*, & quæ hircinum virus olet. *Casia* in duplo medicamentis admista eadem, quæ *Cinnamomum*, præstat; & ad multa vtilis est: referente eodem *Dioscor.*

Verùm hoc loci *Garzias ab horto* impugnat *Dioscoridis* atque *Galeni* autoritatem, dum per *Cinnamomum, Casiam*, atque *Canellam* vnum idemque intelligendum esse monet. Sic autem *Aromat. Indicor. histor. libr.* I. *cap.* XV. *Sed quod* (inquit) *Cinnamomum inueniri negent, in eo falluntur, cùm Cassia, Cinnamomum, & nostra Canella vnum idemq; sint medicamentum.* Et paulò ante ibidem: *Cæterùm rogatos volo omnes cùm Medicos tum Pharmacopœos, vt post hac Cassiæ loco Canellam deteriorem præscribere desinant, & selectissimâ vtantur, quandoquidem tanta nunc est eius copia. Tum etiam ne Cassiam duplici pondere pro Cinnamomo in compositionibus iniiciant, tametsi freti Dioscoridis & Galeni anctoritate.*

Interim septem genera *Casiæ*, secundùm alios, recensentur è *Dioscoride*. Primum est *Auchii*, siue *Daphnitis*: quod aliis *Daphnoides*, & *Isocinamomum* dicitur. Secundum *Zigit*, alii *Balsamódes* vocatur. Tertium *Mosyliticum germen*, aliis è *Zeilan lacta*: Quartum *Aphemon*, aliis vnguentaria: Quintum *Darca*, aliis *Dardimi*, linguâ *Persicâ*, id est, *Chinæ* lignum: Sextum *Citto*, aliis *Cuurdo*, vt vocant *Zelanii*: septimum denique *Pseudo-Casia* appellatur; de quorum omnium synonymis videatur *Iac. Dalechampius* in *Plinium.*

Plinius verò ipse de *Casia* habet sequentia, *libr.* XII. *Natur. hist. cap.* XIX. *Frutex* (inquit) *& Casia est, iuxtaq; Cinami campos nascitur, sed in montibus crassiore sarmento, tenui cute veriùs quàm cortice, quem contrà atque in Cinamo leuari & exinaniri pretium est. Amplitudo fruticis trium cubitorum. Color triplex. Cùm primùm emicat, candidus pedali mensurâ: deinde rubescit addito semipede; vltrà nigricans.* Duo autem *Casiæ* genera, *lactam*, & *balsamodem* *Plinius* allegat ibidem; paulò post ad finem: *Probatur recens maximè, & quæ sit odoris mollissimi, gustuve quàm maximè feruens potiùs, quàm lento tepore leniter mordens, colore purpureo, quæq; plurima minimum ponderis faciat, breui tunicarum fistulâ, & non fragili. Lactam vocant talem barbaro nomine. Alia est balsamodes, ab odore simili appellata, sed amara, ideoq; vtilior Medicis, sicut nigra vnguentis.*

Sunt.

Sunt, qui *Casiam* perhibent esse *Lauendulam* vel *spicam* nostratem, qualis *Theophrasto* dicitur *Casia alba*, eidemque *nigra*. Ea est libanotis nostra coronaria. *Dalechampius* aliam *Casiam Hyginii*, aliam *Indicam* esse asserit, quas species *Plinium* confundere, arguit, prout annotauit in *libr.* XII. *Plin. cap.* XX.

Herodotus autor est, è *Casia* atque *Cinnamomo* aues, *Phœnicem* inprimis, nidificare. Cui sententiæ subscribit maximè *Ouidius* noster, *libr. Metam.* XV. qui *Phœnicem*, autem vnicam, in *Assyriæ* finibus viuentem, iamque senectute grauatam, recenset nido ex odoratissimis lignis, *Casiâ* inprimis, *Nardo*, *Cinamo*, & *Myrrha*, exstructo, se se imponere desuper, vitamque finire. Ex eius cineribus alia dein *Phœnix* renascitur. Scribit autem hanc Auem quinque ætatis secula adimplere. Sic itaque *Poëta* multo clarius; vbi *Casiæ* quoque mentio suscitatur inter odorata aromata alia, quod ad illustrationem *Epigrammatis Petroniani* facit:

Vna est, quæ reparet, seq; ipsa reseminet ales,
Assyrii Phœnica vocant: nec fruge, nec herbis,
Sed thuris lacrymis, & succo viuit amomi.
Hæc vbi quinq; suæ compleuit secula vitæ,
Ilicis in ramis, tremulæq; cacumine palmæ
Vnguibus & duro nidum sibi construit ore.
Quò simul ac Casias, & Nardi lenis aristas,
Quassaq; cum fuluâ substrauit Cinnama Myrrha,
Se super imponit, finitq; in odoribus æuum.
Inde ferunt totidem qui viuere debeat annos,
Corpore de patrio paruum Phœnica renasci.
Cum dedit huic ætas vires, oneriq; ferendo est,
Ponderibus nidi ramos leuat arboris altæ,
Fertq; pius cunasq; suas, patriumq; sepulcrum,
Perq; leues auras Hyperionis vrbe potitus
Ante fores sacras Hyperionis æde reponit.

Tibullus libr. I. *Eleg.* III. *Casiam* quoque *Elysiis* in campis nasci canit, quos ob id commendare videtur:

Fert Casiam non culta seges, totosq; per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.

Caput VII.

ANalogia *Macrocosmi*, & *Microcosmi*. Ea à *Paracelso* nimis latè atq; inconstanter extenditur: de qua *Hippocratici* ac *Galenici*. inprimis *Anatomes* periti, rectius. Vtriusq; comparatio mutua. PETRONIANVS in præsenti *Epigrammate* intelligendus de affectibus in corpore humano à flatibus caussatis, quales cum *Terramotibus Macrocosmi* similitudinem habent. Aliud *Terramotus*, aliud *Terrahiatus*. Interpretatio Physico Medica *Epigrammatis Petroniani*: quanquam alii de coitus periphrasi idipsum interpretentur. Prodigium cum oppido *Plursio* in *Rhetia*, à monte stupendo modo oppressi, ad genus *Terræmotus* refertur. *Terramotus* quomodo desinant, ac finiantur?

PAG. 72. in Carminum, seu *Epigrammatum Petronianorum* fragmentis ita legimus:

Sic & membra solent auras includere venis,
Quæ penitus mersæ, cum rursus abire laborant,

 Verbe-

Verberibus rimantur iter: nec desinit antè
Frigidus strictu qui regnat in ossibus horror,
Quam tepidus laxo manauit corpore sudor.

Hæc ipsa ex *Medicina* nostra explicari cum posse, tum debere, videntur. Proximè autem è doctrina de flatibus petenda veniunt. Antequam igitur, quid intelligatur, omninò dispiciamus, quædam nobis paulò altius super analogia maioris vel minoris mundi, id est, vt vocant, μακροκόσμου καὶ τοῦ μικροκόσμου, repetenda sunt, de qua tum *Philosophi* veteres, inprimis *Anatomici, Chymiciq;* compluribus commentati sunt.

De cœlo itaque descendisse illud meritò fertur: γνῶθι σεαυτόν: quod, qui semet-ipsum penitus rectéque cognouerit, omnia cognouerit: siquidem homo in sese vniuersi viuum gerat simulacrum. *Zoroaster, Philosophus* antiquissimus, postquàm admirandam hominis fabricam diu rimatus contemplatusque foret, tandem hęc in verba prorupit:

ὦ ἄνθρωπε τολμηρᾶς τῆς φύσεως ἄγαλμα:
O homo audacis Naturæ miraculum!

Trismegistus hominem miraculum magnum, animal adorandum, venerandumq́; imò Deumq́ue mortalem indigetauit. Eundem *Pythagoras* rerum omnium mensuram: *Plato* verò θαῦμα θαυμάσιον appellauit. *Fauorinus* edidit, nihil in terris magnum esse, præter hominem. Cæteri *Philosophi* tàm veteres, quàm recentiores, hominem *paruum Mundum*, vel μικρόκοσμον esse prodiderunt. Quanquam inter illos *Chymici*, quorum è numero antesignani, *Paracelsus, Crollius, Seuerinus*, & alii, hanc analogiam *Hominis* cum *Mundo, Microcosmi* cum *Macrocosmo* paulò latius extendant, atque absurda etiam non-nulla circà hoc propositum intertexant.

Quod enim *Paracelsus* asserit, in *Homine* esse astrorum motûs, naturam terræ, aquæ, aëris, omnia vegetabilia, omnia mineralia, omnes constellationes, omnes ventos, imò in *Homine* caudam *Draconis, Arietem, Axem polarem, Lineam meridionalem, Orientem, Occidentem*, imò in eodē esse *bouem, cupressum, fagum, triticum, vitem, aurum, smaragdum*, itemque *pulegium, melissans, sabinam, therebinthinam, belleborum, rosas, violas*, & id genus alia, illud paulò longinquiùs accersitum esse videtur. Omne enim simile, ei, cui est simile, rursus dissimile est aliquâ sui parte: ità vt hac in cōparatione hominis cum mundo non vsquequaq; proportio geometrica, atque vndiquaq; correspondens æqualitas inueniri possit. Quis enim *belleborū, rosas, violas, sabinam, smaragdum, triticum, vitem*, adeo speciose atq, ad oculum, vt dicunt, inuenit? Quis constellationes omnes? quis mineralia? quis meteora, & ventos singulos inibi explorauit. Vt nihil de eo dicamus, *Paracelsum* iuxtà mentem doctiss. *Philosophi, Thomæ Erasti*, sicut alias, sic in hac ipsa enunciatione inconstantem esse. Idem enim, quod innuit de *Homine*, eum in se continere omnia, esse mundum vniuersum, idem etiam enunciauit de aliis rebus longè abiectioribus, abiectè nimis. Ità enim habet *de modo pharma cond. tract. 11. Quoties* (inquit) *homo in manu bolum sibi habet, toties in ea Cœlum & Terram tenet in eodem bolo. Quoniam in ipso latent omnes partes hominis, & in eo creata omnia sphæræ globorumq́; perfecta sua habent corpora. Sic in manu comedentis est Cœlum & Terra.* Quæ si ità sunt, prout garrit *Paracelsus*, atq; eadem insunt pani, vel bolo, quę *Macrocosmo*, vtiq; frustranea instituatur analogia inter *Mundum* & *Hominē*, cum etiam panis, vel bolus, præter hominem, eandem compositionem possit sustinere. Qualia videntur esse à *Paracelso* in medium prolata, id est, inconstanter ac friuolè. Accedit, quod *Paracelsus bilem, pituitam, melancholiam*, seu rectius *biliosum, Pituitosum*, & *melan-*

melancholicum humorem in *Microcosmo* inueniri negat, idque contrà omnium oculorum experientiam ac fidem, imo aduersus semetipsum, quatenus is homo erat, id est, corpus constans è quatuor illis humoribus *sanguine* scilic. *bile*, *pituita*, & *melancholia*, qui referunt origines suas, è quibus omnia corpora Physica combinata sunt, scil. *Ignem*, *Aëra*, *Terram*, & *Aquam*, vndè, quæso, opus fuerat, hæc visibilia, ac cuiuis apparentia tàm friuolè negare, vice versa vero ea quæ in homine neque reipsa, neque analogiâ dantur, sicut est v. gr. *Pulegium*, *melissa*, *helleborus*, *sapphyrus*, & id genus alia, audaci perfrictaque fronte contrà asserere?

Verius constantiusque super hac *Macrocosmi* & *Microcosmi* conuenientia disputant *Philosophi Hippocratici & Galenici*. E recentioribus *Anatomicis Andr. Laurentius*, *præfation. in opus suum Anatomicum*, hominem collimitium, ac horizontem corporeorum & incorporeorum, vniuersi exemplar atque ἰσθμὸν tandemque μικρόκοσμον à veteribus dictum esse, statuit. Caussam eius rei reddit isthanc. Quod *Homo* vniuerso isthuic, quod cernimus, partium mirabili connexu, & sympathia, ità sit similis, vt in eo magni illius mūdi forma, atque effigies, tanquam in speculo, aut parua tabella adumbrata inspiciatur. Pro cuius confirmatione addit, secundum veteres *Magos*, aut sacerdotes *Ægyptios*, *Mundum* in tres partes esse distinctum, supremam, intellectualem illam scilicet, & angelicam, cuius nutu & prouidentia inferiora teguntur: mediam dein, cælestem etiam, in qua *Sol*, tanquam dux & moderator reliquorum sydetum existit: & tertiam denique sublunarem, seu elementarem, qualis occupatur circà procreationem, auctionem, nutritionemque animalium & stripium. Harum trium partium simulacra apprimè repræsentantur in *Homine*. *Caput* enim primò, tanquam *Palladis*, hoc est, humanæ rationis, arx, rationis sedes, sapientiæ domicilium, memoriæ, iudicii, cogitationisque officina, supremam illam & angelicam corporis partem pulcerrimè refert. Medius venter, siue *Thorax*, cœlestem Mundi partem, in quo *Cor*, instar Solis, residet, repræsentat. Prout enim in cœlesti illa regione præest Sol, cuius motu, radiis & lumine illustrantur omnia, ità in medio *Thorace* situm est *Cor*: cuius tanta est cum *Sole* affinitas, vt *Solem* non dubitarint antiqui *Cor mundi*, & *Cor Solem hominis* appellitare. Infimus denique *venter*, siue Abdomen, sublunarem mundi partem disertè refert. Is enim partes nutritioni, coctioni, & procreationi dicatas continet.

Sit igitur, qui: *stellas errantes*, vel *Planetas*, in *Microcosmo* videre cupiat, is *Cerebrum* hominis inspiciat, quod medullâ suâ humidâ ac profluente, *Lunæ* globum refert. Sic *Venerem* partes genitales; *Mercurium* lingua, facundiæ instrumentum; *Solem Cor*; *Iouem Hepar*; *Martu* furorem *Vesicula fellis*; *Saturnum* frigidum maleficumque, *Lienis* caro, humoris melancholici officina, ob oculos ponunt.

Aristotelici porrò *Mundum* distinguunt sicut in simplicia & mista corpora: ità *Medici* humanum corpus in simplicia, & mista vicissim diuidunt. Simplicia autem *Macrocosmi* sunt *Cœlum*, *Elementa*: & mista: quorum alia perfectè, vt *Animalia*; alia imperfectè mista, vt meteora. Sic in *Homine* corpora simplicia habentur, *spiritus* & *humores*. *Spiritus* itaque, *cœlum*, *stellas*, *essentiasque æthereas*, & *cœlestes*, *humores* verò *elementa notant*. *Bilis* enim calida & sicca elementum *Ignis*, sanguis calidus-humidus *Aëra*, *pituita* frigida-humida *Aquam*, *Melancholicus succus* frigidus siccus, *Terram* apprimè designat.

Sit-

Sit prætereà, qui *fulgores* terrificos, coruſcationeſque igneas, aut *fulgura* in *Homine*, ceu *Microcoſmo*, ſibi monſtrari deſideret; is *Hominem* iratum inſpiciat, *igneos* qu. & *ſcintillantes oculos* eiuſdem contempletur. Sic *Apoplexia*, quâ aliquis tactus repentè occidit, cum *fulmine*, *ſternutatio* verò cum *tonitru* comparari poteſt. Sic *deſtillationes* in fauces, Laryngem, thoracem, aliaſque partes procumbentes, *pluuias*, *imbreſq.* notant. *Lacrymæ oculorum* rori aſſimilantur: *Sputa* verò *rotunda*, & conglobata grandinis figuram exhibent.

Quid? quod in *Macrocoſmo* ſunt *Terræmotûs*, *venti Aquilonares*, & eius-modi turbines, id in *Microcoſmo* ſunt *dolores Colici* flatulenti, *tormina*, *rugitus*, & *crepitus ventris*, *ructus ventriculi*, *aurium tinnitus*, & eius-modi, quæ velut tempeſtates ſunt *Microcoſmi*. Sic exhalationes exſpirationeſque terreſtres repræſentantur per ſtomachi humani in *Cerebrum* vſque fumidas eructationes, quæ humiditate frigiditateque *Cerebri* in bullas reſolutæ rurſus in ſubiectas corporis partes decidunt; prout ex *Alembici* fundo vapores ex herbis in ſublime delati, frigiditate, quæ eſt in ſuperiori *Alembici* parte, coagulantur, atque indè per canalem in vitrum ſubiectum delabuntur, vndè fit deſtillatio.

Quid? quod *Mineræ* quoque & fodinæ, quales dantur in *Macrocoſmo*, eædem in *Microcoſmo* obueniunt. Quis enim *Renum* & *Veſicæ* calculos, *lapillos* item in *Veſicula fellea*, itemque in *Pulmonibus*, atque alijs corporis partibus enatos *Mineralium* ſpeciem præ ſe ferre inficiabitur?

Quis denique *hominem* ipſum, quo nullum præſtantius, nullum perfectius, nullum etiam admirabilius à DEO Opt. Max. corpus conditum eſt, creatoris illius ſui, DEI Opt. Max. ad cuius imaginem factus eſt, referre ideam negabit? Cuius ſiue celſam erectamque faciem ſpectes, ſiue temperamentum omnium animalium temperatiſſimum intuearis, ſiue denique partium ſymmetriam ac proportionem contempleris, certè elegantius nihil, operoſius perfectiuſque nihil fingi potuit.

Ex iſthac obiter depicta *Macro-* & *Microcoſmi* analogia, ſuperiores illi ex PETRONIO in limine capitis huius allegati verſiculi, rectè nobis quidem videntur de *flatibus* intrà corpus humanum ſtabulantibus accipi poſſe, vndè ructus, tormina, rugitus, crepituſque ventris, inprimis *Colica paſſio* & *Spaſmodes* cauſſari ſolent, quæ *Terræmotibus*, de quibus *Phyſici* diſquirunt, in maiori mundo contingentibus ritè comparantur. *Terræmotus* enim nihil aliud eſt, quàm flatus ſiue ſpiritus, cauernis ac meatibus terræ incluſus, qui quidem magna vi erumpere tentans, atque vndiq; agitatus exitum quærens, terram tanto impetu quaſſat commouetque. *Plinius libr. nat. hiſtor.* II. *cap.* XXIX. *Terræmotum* non aliter ſe habere, ait, quàm in nubibus *Tonitru*. Qui igitur cauſſas *Tonitrûs* in nubibus nouerit, facilè idem nouerit cauſſam *Terræmotus*. Ad *Terræmotum* itaque requiritur terra laxa, poroſa, cauernoſaque, in quam ſeſe flatus ventique inſinuare queunt. Autores ex omnibus *Europæ* locis *Conſtantinopolim*, & *Baſilæam Rauracorum*, vrbes celebres, meminerunt *Terræmotibus* maximè obnoxias eſſe: quod ſitæ ſint ambæ fundo admodum poroſo cauernoſoque. Contrà *Ægyptum* & plagas ad *Septentrionem* poſitas non ità facilè *Terræmotibus* commoueri aiunt. Illam enim regionem limus ex *Nili* inundatione copioſiſſimus reddit denſiorem, compactioremque: Hæ verò plagæ ſolidiorem feruntur habere terram è frigore, vndè flatus minus admittuntur. Sub *Imp. Iuſtino I.* vrbs *Antiochia*, quæ per 800. annos perſtiterat, poſteaque continuo per integrum annum *Terræmotu* concuſſa fuiſſet, tandem Anno CHRISTI M. D. XIIX. planè

planè absorpta est. Similiter superiori Æstate *Anno M. DC. XXVII.* horrendos *Terræmotus Siciliæ Regnum* afflixisse nunciatum fuit, vt aliquot non obscuri nominis ciuitates, vnà cum ingenti hominum multitudine, funditus subuersæ, hiatibusque oppressæ ferantur.

Sed quis *Petroniana* ista de *Terræmotibus*, quales in *Microcosmo*, id est, *homine*, contingunt: non intelligenda esse arguat? quando canit:

> *Sic & membra solent auras includere venis,*
> *Quæ penitus mersæ cum rursus abire laborant,*
> *Verberibus rimantur iter* ———

Ecquis, inquam, isthæc de *Terræmotu Microcosmico* edicta esse inficiabitur? Per *Auras* enim flatus, spiritus, ventos, & id genus intelligimus, per *venas* loca cauernosa ac porosa (*Venas* enim porosas esse *Medici* affirmant) quæ flatus illos suscipere apta sunt, indigetamus, per *Membra* verò compagem corporis, vel certam aliquam corporis regionem, in qua *Terræmotus* iste accidit, cognoscimus.

Quod autem *flatus* isti, vel *auræ penitus mersæ*, id est, in profundo corporis sese insinuantes, dum euadere nituntur, *Verberibus*, vt habet ARBITER, iter rimentur, aut inueniant, id ipsum tantò clarius naturam ac circumstantias, adeoque requisita *Terræmotus* exhibet. Si enim *Spiritus* isti non in fundo, sed superficie terræ saltem continerentur, impetus, qui terræmotum excitare sufficiat, nullus orietur, aut admodum debilis. Vt igitur vis necessaria & vehementior existat eo in tremore, necesse est, vt flatus, vel spiritus è terræ penetralibus erumpentes maiori vi atque tempestate perrumpant, terramque conoutiant, quod ARBITER noster vocat *verberibus iter rimari.* In omni siquidem *Terræmotu* agitatio, siue tremor, fit, ob flatus ad terræ latera sese diffundentes, et imo erumpentes, qui omni vi atque impetu exire nituntur, vndè terra nauigii instar fluctuat moueturque.

Sæpè autem eius-modi *Terræ-motum* sequitur *Terræ hiatus*: prout superius *vrbem Antiochenam* absorptã fuisse prodidimus, hocq; ipsum fit, quando *Terra* ex imo conquassata sursum deorsumq; modo eleuatur, modo deprimitur, vndè oppida absumuntur, sicut in marina tempestate ponto nunc sursum, nunc deorsum delato naues absumuntur.

Quin etiam *Terram* è *Mari* egestam per *Terræmotum*, nouasq; *Insulas* indè factas esse, imò etiam Continente per *Terræmotum* interrupta *Insulas* factas esse è *Continente* annotarunt *Physici*. Cuius-modi horrendum maximè, atque omni posteritati cum horrore referendum exemplum contigit in *Helnetiæ* & *Italiæ* finibus *Anno D. N. M. DC. XIIX.* vbi Mons quidam super alium scopulum (qui etiam-nunc stare illæsus perhibetur) deuolutus nobile illud oppidum *Plurs* dictum, in momento velut ingenti *terræmotu*, fragore, tremoreq; penitus oppressit, vix elapso vno atq; altero homine, eius oppidi indigena. Cui horrendo stupendoque prodigio vtrum superiora secula simile quiddam obseruarint, valdè dubito.

Sicut ergò post *Terræmotus* consuetum alioquin est, *pestem*, aut *morbos* malignos insequi, quod maligni halitus è *Terræ* cauernis erumpentes, agros, aquam, terram, aëremq; inficiant: ità post hoc stupendum maximè prodigium, imò etiam *Cometam* paulò post eodem *Anno* vniuersæ tantum non *Europæ*, sed *Asiæ* quoque in *Cœlo* ostensum, *Pestiferam* luem pluribus in locis, inprimis bella omnibus præsertim *Germaniæ* atq; *Imperii Romani*

in angulis cruenta admodum atque irreconciliabilia nata esse, omnes eheu! eheu! quotquot ex decennali ista tempestate & clade superſumus, præ oculis cognoſcimus, & ſuſpiramus. Vt rariſſimè *Cometæ*, rariſſimè prodigia iſtius-modi, nulli antehâc penè ſeculo cognita, ſine grauiſſimis cladibus, cruentiſq; tot millium hominum cædibus, euenisse exiſtimandum veniat.

Ad *Terræmotum* itaque *Plursii* oppidi, quod in *Rhetiis* eſt, interitum referendum eſſe, quis ambigat? Cum enim *Physici*, vt ſuprà innuimus, atteſtentur, aliquando etiam terram è profundo *Pelagi* per *Terræmotum* egeſtam, & nouas *Inſulas* indè obortas eſſe, quid impedit iſthoc quoq; prodigium *Rheticum* ad *Terræmotum*, vel *Terræhiatum* referendum eſſe, cum ſimiliter fermè hîc *Mons*, etiam trans præruptum ſcopulum minantemque maximè (de quo, vt fama eſt, indigenæ anteà metuerunt multis ſibi ab annis) poſitus, ſuprà præfatum ſcopulum eleuatus, eq; e longinquo velut ſpatio deuolutus raptuſque oppidum vniuerſum penitus contudit atq; oppreſſit. Quo in loco ex fluuio, qui oppidum interfluebat, tanta mole obruto, ſtagnum, atq; lacum emerſiſſe aiunt.

Cæterum, prout *Terræmotus* non deſinunt, priuſquam *flatus* & *ſpiritus* in penetralibus terræ aut eruperint impetu, aut calore ſeu tepiditate quadam reſoluti fuerint, ac velut tranſpirarint, tranſſudarintq; eum etiam in modum *tormina ventris, rugitûs, Colica paſſio, ſpaſmodes*, atq; eius-modi affectûs è *flatibus* oriundi, vix, aut nequicquam deſinunt, niſi flatûs iſti per calfacientia, anodyna, reſoluentia & diſcutientia, diſſipata, diſcuſſa, atq; in ſudorem reſoluta fuerint. Hinc rectè addit in contextu *Epigrammatis* ſuperioribus ARBITER:

—— Nec deſinit antè
Frigidus ſtrictis qui regnat in oſſibus horror,
Quam tepidus laxo manauit corpore ſudor.

Quanquàm interim haud ignoremus, quoſdam hoc loco verba *Petroniana*, de *coitûs periphraſi* interpretari, quod hîc *Encolpius*, vel *Eumolpus* philoſophari incipiens de humani ſpermatis emiſſione illud edixerit. Sed

—— melior ſententia vincat!

Caput IIX.

CORVOS ſerius parere, præter *Arbitrum*, teſtis *Plinius*. Paſcunt pullos, quantumuis volantes. Vulgò *fellatores* dicuntur, quod ore coëant. Aues alioquin ſunt inauſpicatæ; cadaueribus inhiantes, rapaceſque. Eædem ſermonem humanum addiſcunt. Ob id *Coruo* exequiæ à *Pop. Rom.* factæ, temporibus *Plinii*. *Corui* item præſagi ſunt tempeſtatum; garrulitate ſibimet nocentes, pariterque ingluuie. Albi coloris rariſſimi ſunt. Opponuntur *Columbis*. De *Coruorum* ingenio multa *Adagia* apud eruditos nata. Cur *Corui* ſerius pariant inter *Aues*: *Pulli Coruorum* typum Eccleſiæ CHRISTI præ ſe ferunt. Itemque *Halcyones*.

PAG. 73. porrò apud PETRON. ſequitur:

Coruus maturis frugibus oua refert.

Quæritur ergò: *An Coruus tantum circà mediam Æſtatem oua pariat, cum reliquæ aues vere ineunte pulli*[illegible] *operam?* Ad quod reſpondet *Plinius libr. x. cap.* XII. *Corui* (inquit) *antè ſolſtitium generant, iidem ægreſcunt ſexagenis diebus, ſiti maximè, anteq*[illegible]

ſic

fici coquantur Autumno. Cornix ab eo tempore corripitur morbo. Hæc cum Petronio coincidunt. Fruges autem maturæ maximè demetuntur antè Mensem Augustum circà ferias D. Margarethæ, in Iulii medio, quibus rusticani messem definiunt. Addit a. Plinius, Coruos ex in ægrotare sexagenis diebus, siti maximè, antequam fici coquantur Autumno. Ex quibus circumstantia temporis, Æstatis nimirum in Autumnum declinantis ob oculos ponitur. Idem ibidem paulò antè de Cornice: Præterea sola hæc (ait) etiam volantes pullos aliquandiu pascit: inauspicatissimo fœtus tempore, hoc est, post solstitium. Etsi itaq; tempus extraordinarium atq; inauspicatum videatur pro pullis, quod in Autumnũ excurrat, nihilominus sagax Natura, quæ Coruis alias, autore Plinio, etiam intelligentiam dedit, in eo pullis rectè prouidit, vt illi, intempestiuo licet anni tempore producti alantur à genitoribus aliquandiu, quamuis volantes. Id quod, ab optima rerum parente Natura non frustrà in Coruis euenire arbitrandum est. Quid? quod in sacris Deo Opt. Max. cura pullorum cornicorum asscribitur, qui eos singulari prouidentia pascat; forte, quod illi intempestiuo anni tempore exclusi, victum difficulter sibi parare queant. In precibus enim antè mensam oramus Deum, vt qui pullos Coruinos clamantes pascat, simili & paterna prouidentia, ac misericordia infimos nos homines alat. Quæ certè non parum hunc locum illustrare videntur, sicuti infrà patebit.

Interim dubium oritur, circà Coruorum generationem ac partum. Martialis illos ore tenus coire canit, vndè fellatorem Coruum nominat:

Corue salutator, quâ re fellator haberis?
In caput intrauit mentula nulla tuum.

Plinius loco allegato Coruos vt plurimum quinos parere, ore verò eosdem coire, secundum vulgi opinionem, autor est: Corui (inquit) pariunt cum plurimum quinos. Ore eos parere aut coire vulgus arbitratur: ideoq; grauidas, si ederint coruinum ouum, per os partum reddere: atq; in totum difficulter parere, si recto inferatur. Cuius sententiæ autor fertur fuisse Anaxagoras: quanquam Aristoteles id rideat lib. de animalibus, atq; ipse Plinius dicat eam Coruorum exosculationem talem esse, qualis in Columbis sæpè cernitur.

Cæteroquin, Coruus à Plinio refertur inter Aues inauspicatas, cuius modi sunt Bubones. Solet enim Coruus inhiare cadaueribus & prædæ. Petronius suprà pag. 43. Videbitis oppidum, tanquam in pestilentia campos, in quibus nihil aliud est, nisi cadauera quæ lacerantur, aut corui qui lacerant. Hinc adagio ac dicterio vsurpatur: βάλλ' ἐς κόρακας: idest, Mitte in Coruos: quod torquetur in homines malignos, sceleratos, atque furcâ dignos: Germani vocant: Ein Raben Aaß: escam coruis aptam, vel dignam. Corui n. oculis præsertim suspensorum imminent. Quo sensu in sacris legimus Prouerb. xxx. vers. xvii. Oculus qui parentem ludificat, & matri obsequium malignè negat, dabitur Coruis ad profluentem depascendus. Similiter Esaias, Dei Opt. Max. vates, Romæ interitum prædicturus, minatur illi bubones & Coruos, tanquam eo loci habitaturos: prout legitur apud eundem Esaiam cap. xxxiv. vers. xi. Coruos prædis ac furtis inhiare, inter alios quoq; tradidit Horatius:

——— Coruum delusit hiantem.

quod à Des. Erasmo prouerbii loco assumptum fertur in eos, qui spe prædæ alicuius opimæ delusi sunt, prout videre est Chil. 1. Cent. vii. xv. Eiusdem commatis & hoc est: κόραξ ἔχανεν: Cornix hiat: quod idem de Lupo dicitur: Λύκος ἔχανεν: Lupus hiat: idest, prædam, vel cadauer, exspectat. Eodem significatu Græcorum illud venit, κρώζειν; Latinis, Cornicari, quod significat prædæ inhiare. Aliquando verò hoc ipsum pro sermone aut garritu inepto sumitur. Vndè Persius Satyr. v.

Nescio quid tecum graue cornicaris ineptè.

Et *Aristophanes in Pluto:*

> Σὺ μὲν οἶδ' ὅτι κρώζεις, ὡς ἐμοῦ τι κεκλοφότος
> Ζητεῖ μεταλαβεῖν:
> *Quid crocites, scio, nempè si quicquam rei*
> *Furto inuolârim, vt hinc tibi partem feras.*

Cæterum, *Corui* loquaces, & qui loquelam humanam imitentur, commendantur à *Plinio, lib. nat. hist.* VIII. *cap.* XLIII. eo quod *Romæ* fuerint *Corui*, sermonis humani æmuli, qui in forum & rostra volantes *Imp. Tiberium, Germanicū, & Drusum*, nominatim, simulq; *Pop. Rom.* salutarint. Meminit etiam alitem illam interfectam exquisitis exequiarum ceremoniis à *Pop. Rom.* affectam fuisse. Sic autem *Plinius: Reddatur* (inquit) *& Coruis sua gratia, indignatione quoq; Populi Romani testatæ, nō solum conscientiâ. Tiberio Principe ex fœtu suprà Castorum ædem genitus pullus, in oppositam sutrinam deuolauit, etiam religione commendatus officina domino. Is maturè sermoni assuefactus, omnibus matutinis euolans in rostra, in forum versus, Tiberium, dein Germanicum, & Drusum, Cæsares, nominatim mox transeuntem Populum Rom. salutabat, posteà ad tabernam remeans, plurium annorum assiduo officio mirus; Hunc siue æmulatione vicinitatis manceps proxima sutrinæ, siue iracundiâ subitâ, vt voluit videri, excrementis eius impositâ calcis maculâ, exanimauit, tantâ plebis cōsternatione, vt primò pulsus ex ea regione, mox & interemptus sit, funusq; innumeris alici celebratum exequiis, constratum lectum super Æthiopum duorum humeros, præcedente tibicine, & coronis omnium generum, ad rogum vsq;, qui constructus dextra via Appia ad secundum lapidem, in campo Rediculi appellato fuit. Adeò satis iusta caussa Pop. Rom. visa est exequiarum, ingenium auis, aut supplicii de ciue Romano, in ea vrbe, in qua multorum Principum nemo duxerat funus.*

Præter notabilem isthanc historiam, quæ *Cornorum* honorem, si quæ alia, apprimè refert, ibidem *Plinius* meminit alterius *Cornicis* colore admodum nigro, plura contexta verba exprimentis, adeoque alia atque alia crebrò addiscentis, quam *Plinii* temporibus *Eques Romanus* alebat. Ex quo prouerbiali sermone vsurpatum deinceps fuisse, palam est, quod his verbis effertur: *Corui luscinis honoratiores. Græci* hoc modo pronunciant: κόρακες ἀηδόνων αἰδοιμώτεροι. Quasi dicas; dicaculos & blaterones facundis & eloquentibus; indoctos doctis, improbos acrapaces probis atque integris viris præferri.

Porrò præfatus *Plinius lib. x. cap.* XIII. *Coruis* etiam intelligentiam tribuit. *Corui* (ait) *in auspiciis soli videntur intellectum habere significationum suarum. Nam cum Medie hospites occisi sunt, omnes è Peloponeso, & Attica regione voluerunt. Pessima* (addit) *eorum significatio, cum gluttiunt vocem, velut strangulati.*

Eosdem præsagire tempestates atque imbres, autor est *Virgilius lib.* 1. *Georg.*

> ——— *& è pastu decedens agmine magno*
> *Coruorum increpuit densis exercitus alis.*

Et postea:

> *Tum Cornix plena pluuiam vocat improba voce,*
> *Et sola in sicca secum spatiatur arena.*

Ibidem sequentibus *Coruorum* ingenium ac loquacitatem describit:

> *Tum liquidas Corui presso ter gutture voces*
> *Aut quater ingeminant, & sæpe cubilibus altis.*

Nescio

Nescio qua præter solitum dulcedine læti
Inter se foliis strepitant: iuuat imbribus actis
Progeniem paruam, dulcesq; reuisere nidos.
Haud equidem credo, quia sit diuinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia maior.

Et ibidem:

——*hinc ille auium concentus in agris,*
Et lætæ pecudes, & ouantes gutture Corui.

Coruum autem vel maximè loquacem ac garrulum esse vel illud prodit, quod, *Horatio* præeunte, prouerbialiter dicitur: *Si coruus posset tacitus pasci.* Occasionem illi dedit *Flaccus*:

Sed tacitus pasci posset si Coruus, haberet
Plus dapis, & rixæ multò minus, inuidiæq;.

Desider. Erasmus ex *Apologo Apuleij de deo Socratis* desumptum esse censet, de **Coruo** prædam adepto, quam vulpes illi extorsit, dum dolosè persuadet, vt canere ordiatur, vnde sibi præda remansit. *Quadrat autem* (inquit) *in eos, qui, si quid bonæ rei nacti sunt, continuò iactant, ostentantq;, atq; ad eum modum efficiunt, vt alij rum obsistant, quò minus eius-modi plura commoda nanciscantur, tum, quæ nacti sunt, interuertant.*

Quoad externum *Coruorum* colorem atque habitum, sequens quoque *prouerbii* loco, vsitatissimum est, quod attingit *Iuuenalis*:

——*Coruo quoq; rarior albo.*

Idem vsurpat *Ammian. Marcellinus* in *Epigrammatibus*, vbi **Coruum album** inter rara enumerat:

Θᾶττον ἐὰν λευκοὺς κόρακας πτηνάς τε χελώνας
Εὕροις:——
Aut albus Coruus priùs, aut Testudo volucris.

Id quod hoc modo de raris contingentibus accipi debet. Paulò aliter *Galenus libr. de facult. natur.* idem *Adagium* interpretatur, dum *Lycum* quendam reprehendens, eum nec *Erasistratum* sequi, nec ipsam veritatem, sed *coruo albo* similem esse ait: *Itaq; Lycus* (ait) *dum palàm est, eum neq; vera loqui, neq; eadem cum Erasistrato, similis videtur albo coruo, qui nec ipsis coruis admisceri possit ob colorem, nec columbis ob magnitudinem.* In his locis circa Brumam & niuosam hyemis tempestatem, notamus *Coruos albidos* è raris nigricantibus, pluribus verò albidis pennis interpunctos, qui, vbi niues vrgent, conspiciuntur: vulgò vocant Schneekrähen/Nebelkrähen.

Aliter quoque *Corui* opponuntur *Columbis*, tanquam fures, raptoresque, probis atque modestis hominibus, quales alioquin faciliùs accusantur, periclitanturque, ob animi pudorem atque ingenuitatem, si in minutissima quæque peccarint, quàm **Corui**, quales facilè dolo, astutiâ, vi, aliisque sceleribus nixi, euadunt. Vnde *Flaccus*:

Dat veniam Coruis, vexat censura Columbas.

Hûc facere videtur quoque *Plinius*, qui, inter alia, **Coruis** astutiam prudentiamque ascribit *libr.* VIII. *cap.* XXVII. **Coruus** (ait) *occiso Chamæleonte, qui etiam victori nocet, lauro infectum virus extinguit.* Idem *libr.* VII. *cap.* XLIIX. de spatiis vitæ longissimæ, **Coruis** annosam senectam ex *Hesiodo* attribuit. *Hesiodus, qui primus aliqua de hoc prodidit, fabulosa (vt reor) multa de hominum æuo referens, Cornici nouem nostras attribuit ætates, quadrupedum ceruis, id triplicatum coruis.*

Aristoteles autor est, *Coruos* tàm feueræ castitatis, præsertim coniugalis esse, vt alterutro moriente, alter uter ad mortē viduus maneat. *Albertus* cognomento *Magnus Coruum* auem benè notam, & virtutis admirandæ esse prodidit. Illum autem, vbi quis oua eius in nido posita coxerit, inque locum pristinum reposuerit, *lapillum* afferre, asserit, quo saltem admoto oua illico cruda, & liquida reddantur.

Et sic de *Coruorum* natura, atque ingenio; de quibus multa prouerbialiter vsurpantur, prout annotauit *Desider. Erasmus Chil.* I. *Cent.* IX. *Chil.* IV. *Cent.* III. VIII. *Chil.* III. *Cent.* V. LXXIII. &c.

Pro coronide, quantum nunc igitur ad *Coruorum* partûs intempestiuos serotinosq; attinet, non immeritò dicere queamus, *pullos coruorum Ecclesiam* Domini nostri & Seruatoris IESV CHRISTI his in terris militantem repræsentare. Et hoc quidem bifariam: tum, quòd *Corui* seriùs, atque aliæ aniculæ, ex ouis, nimirum circa *Autumnum*, excluduntur, cùm reliqua volatilia *Vere* pariant. Quemadmodum itaque pulli isti serotini, etiam volare docti, à parentibus aluntur, ne intempestiuo sub anni tempore emoriantur: ita DEVS OPT. MAX. promisit, se *Ecclesiæ* suæ senio proiectæ, & his intempestiuis temporibus natæ, etiam maiorem habiturum; *Ego* (inquit *Dominus* apud *Prophetam Esaiam*) *gestabo, ego feram vos etiam in senecta.* Quod si verò vnquam *Ecclesia Christiana* senex fuit, certè nihâc deplorratissimâ rerum exulceratione, vbi omnia ad fatalem quasi interitum properare, res verò conscientiam & pietatem attinentes, omnino difficillimè periclitari ante oculos intuemur, *Christiana Respublica*, & *Respublica Ecclesiastica* omnino decrepita, & quæ à fatali agone haud procul absit, censenda venit. Prout igitur *Auibus Halcyoniis* medio in mari à procellis ac tempestatibus marinis tutus conceditur locus, quo nidificent, fœtusque suos excludant, idque per septem saltem dies illis spatii datur, vt ferunt; in quibus elegantissimum *Ecclesiæ Christianæ* simulacrum cernere est: ita similiter DEVS Opt. Max. cœtui suo mediis quantumnis crudelis huius æui bellorum æstibus, vix vlli bi tutò constare sufficienti, haud dubiè aderit, atque *Halcyonia* præstabit. Sic autem ad hanc rem *Ouidius libr.* IX. *Metamorph. de Halcyoniis:*

> *Perq; dies placidos hyberno tempore septem*
> *Incubat Alcyone pendentibus æquore nidis.*
> *Tum via tuta maris, ventos custodit & arcet*
> *Æolus egressum, præstatq; nepotibus æqua.*

Deinde, sicut *pulli Coruorum* per septem dies à partu, à genitoribus omnino deseruntur, nullamque escam accipiunt, donec nigricare incipiunt, quod à septimo die accidit: qui tamen in nidis deserti, atque apertis faucibus escam exspectātes, nihilo-minus cœlitus saturantur, sustentanturque: ita etiam IEHOVA *Ecclesiam Christianam* hoc maximè calamitoso rerum turbine desertam, egenam & famelicam, non tantùm nutriet, aletque, sed post septem dies, id est, ærumnosas istas, diuque durantes persecutiones, *Coruino nigrore*, id est, æternâ illâ apud cœlites beatitudine, coronabit, eo modo, quo SPONSA CHRISTI, SPONSVM suum celebrat, quòd eius cæsaries tàm nigra sit, quàm *Corui nigri* sunt: prout est *Canticor.* V. *vers.* X. Hinc scriptum est *Psalmo* CXLVII. *vers.* VII. apud Regium vatem: *Dominus* (inquit) *bestiis etiam pabula sufficit: etiam Coruorum pullis inuocantibus:* prout in precibus ad mensam infantuli nostri orant. Quid? quòd ipse Dominus noster & SERVATOR iubet discipulos intueri *Coruos*? Eos enim neque serentes,

rentes, neque metentes, neque horrea, neque cellas vinarias habentes, *Patrem cœlestem* pascere confirmat: vt extat apud *D. Lucam cap.* XII. *vers.* XXIV. Sic, ne *Esaias Propheta* ex alimenti penuria deficeret, DEVS Opt. Max. *Coruos* misit, qui illi panes carnesque tàm manè quàm serò aduehant: vt habetur *Regum lib.* I. *cap.* XVII. *vers.* II. Sic itidem *Noachus Patriarcha* exploraturus *Diluuii* declinationem, *Coruum* ex *Arca* nuncium emisit; vt est *Genes. cap.* VIII. *vers.* VII.

Ex quibus omnibus breuiter pia & typica causa apparet, tum, quòd Natura nihil faciat frustrà, tum quòd serotina *pullorum Coruinorum* exclusio non fiat ex accidente, aut temerè, sed DEO supernè ita moderante, qui eos tam intempestiuo licet tempore productos, atque etiam per septem dies ieiunantes, nihilo-minus affatim nutrit, cibatque, sicut aliàs *Halcyonibus* elegantissimo *Ecclesiæ Christianæ* typo, etiam medio in æquore dies septem placidos pacatosque donat, quibus nidificare, pullisque operam dare possint.

Caput IX.

C*oitus Animalibus* omnibus communis: imò ad speciei propagationem necessarius. Eiusdem requisita. Quibus *Pisces* etiam atque *Aquatilia* valent. Ea enim coëunt, gignunt, & viuentium fœcundissima sunt. *Piscium* huic tam innumeræ species. Qui partim ex *ouis*, partim *viuis partubus*, excluduntur. *Coitus Piscium* varius ac multiplex. Diuersa *Piscium* genera vix coëunt. Historia *Balænæ Anno M.DC.XXIIX. in Mari Gallicano* captæ. *Pisces* igitur si coëunt, etiam amore tenentur. *Coitus* enim sine amore nullus & sterilis. *In Coitu rixæ* quid noret? *Venus* amorum mater. *Corollar.* Sicut in *Coitu* voluptas, ità post actum illum dolor & tædium. Vnde nouus PETRONII locus illustratus.

SVPERIORI capite quædam de *Volatilibus*, & quidem in specie de *Coruo*, eiusque admirandis prælusimus: iam, duce autore nostro, pauca insuper *de Piscium natura* & generatione subnectentur. Videtur autem PETRONIVS hoc loci paradoxon inuehere, dum innuit, *Pisces* absque *Coitu* & *Venere*, interire. Ita autem canit *pag.* 73.

Et piscis nullo iunctus amore perit.

Quæ sententia videtur è diametro doctrinæ Physicæ repugnare. Principio enim duo media ordinaria ad naturam conseruandam requiruntur: quorum alterum inseruit ad conseruationem Naturæ particularis, siue indiuiduorum, & dicitur *Nutritio*: alterum verò medium necessarium est ad conseruationem *Naturæ* vniuersalis, & est *Generatio*, cuius ope & beneficio vno indiuiduo pereunte semper succrescit succeditque aliud, vsque dum *Naturæ* parenti visum fuerit hanc rerum naturalium seriem continuare. *Generatio* itaque ad conseruationem *Naturæ* vniuersalis, quâ semper indiuiduo huic pereunti illud substituitur, maximè necessaria est. Ea autem nihil aliud est, quàm vis procreatrix, siue fœcunditas in prima creatione rebus naturalibus indita, vigore diuini illius effati: *Crescite & multiplicamini.* Propriè igitur competit animalibus, & corporibus viuentibus, eo quòd, *Aristotele* teste, naturalissimum & præstantissimum opus sit in viuentibus, quæ spectat non quidem ad conseruationem indiuidui, sed speciei, vt diximus.

Scholiast.

Scholastici distinguunt inter *generationem vniuocam* & *æquiuocam*. Illa est, quando simile generatur ex simili, ità vt substantia producatur gignenti par & similis; prout v.gr. animal generat animal, leo leonem, mus murem, serpens serpentem, planta plantam. Hæc verò æquiuoca dicitur, quando contra simile non generatur è simili; v.gr. cùm animalia, vt mures, muscæ, crabrones, non generantur ex animalibus similibus, sed ex putredine, aut materia aliqua eius-modi, velut mures in nauibus generantur è sordibus sentinarum, ranæ è palustri atque vliginoso solo, muscæ è materia putrida in rimis ædificiorum stabulante, crabrones è stercore equino, &c.

Sic *Anseres in Scotia* mirando modo nascuntur non ex *Anseribus* similibus, sed ex fructu arborum, in mare decidente; prout videre est apud *Mich. Maierum* in peculiari *libello de Anser. Scoticis*.

Docet autem *Aristoteles libr. 11. de generat. animal. cap. 11.* *Animalia* ista, quæcunque producuntur generatione æquiuocâ, sterilia omnino esse, adeoque simile sibi generare non posse. Hæc de generatione, tanquam in hypothesi. Iam verò ad generationem, vt animal generet animal, viuens producat viuens, tàm secundùm materiam quàm formam, requiritur fœcunditas prolifica. Scimus enim animalia non pauca sterilia esse, & virtute prolificandi destituta. Iam autem omnis fœcunditas prolifica in seminibus latet; vnde etiam *Philosophi* semen virtute & potentiâ animal, vel animatum esse, indigetant. Semen autem est excrementum vtile tertiæ concoctionis, quod materiam, instrumentumque præbet generationi, & sine quo generatio nulla fieri potest. Præter hanc materiam & virtutem passiuam, accedit vis plastica, à cœlo dubio procul oriunda, quæ hanc in materiam agit, eamque alterat, vt inde suo tempore viuum animal, secundùm speciem & qualitatem seminis proprium, edatur. Hanc formatricem dicimus. Hinc *Iobi* illud: *Tu Domine instar lactu coagulasti me in vtero matris meæ*. & tritum istud *Physicorum*: *Homo & Sol generant hominem*.

Cæterum, *semen*, quâ in se consideratum, & solum, licet alioquin optimæ notæ, atq; optimè fœcundum, nihilo-minus tamen generare minimè potens est, nisi id ipsum in vterum, vel matricem iniiciatur idoneam, atq; æquè fœcundam. Si enim v.gr. fœcundum semen in matricem sterilem iaciatur, veluti, si rusticus in locum arenosum petrosumque sementem faxit, generatio inde nulla fit. Itaque ad generationem duo hic necessaria, semen scil. quod eiaculandum, & matrix, quâ id excipiendum, inque debitum tempus custodiendum. Hoc quia homo, qui generat hominem, in seipso præstare nequit; nullum enim agens agit in seipsum, sed extrà se, atque in aliud, nimirum oppositum, ac patiens; ideoque necessaria erat sexus distinctio in marem & femellam; ille, vt semen ex se proiiceret, atque ageret in alio: hæc, vt eiaculatum semen exciperet, & ab alio acceptum in se custodiret, indeque debito tempore generationem expediret satagat. Quò autem opus hoc generationis, ad conseruationem speciei, seu naturæ vniuersalis, vtilissimum, eo frequentiùs obiretur, tractareturque, Natura prudens consultò singularem quendam appetitum, quo Mas Femellam, Femella Marem appetit, viuentibus indidit, imò ipsum generationis actû insigni voluptate locupletauit, quem *Coitum* vocamus; *Poëtæ Venerem* dixerunt, à *Venere* deastra, quæ gentilibus ob singularem corporis gratiam, inprimis lasciuiam, actibus illis obscœnis, tum generationibus in orbe præesse putabatur. Hanc *Venerem* vetus-Physicus *Poëta, Lucretius libr. I. rer. natural.* in lumine tantùm nô in *Terris* hominibus & beluis, sed & in *Aëre* volatilibus, imò

pariter

pariter in aquis *Natatilibus* imperare, disertè innuit sequentibus, dum eandem, ceu rerum naturalium omnium communem parentem, ità in limine religiosè inuocat.

Æneadum genetrix, hominum, diuûmq́; voluptas,
Alma Venus, cæli subterlabentia signa,
Quæ mare nauigerum, quæ terras frugiferentes
Concelebras; per te quoniam genus omne animantum
Concipitur, visitq́; exortum lumina Solis.

Coitus itaque est, cùm *Mas* & *Femina*, generationis igitur, congrediuntur, illo agentis, hac patientis partes obeunte. Qui quidem vt perfectus, atque ad conseruationem speciei accommodus sit, opus habet sequentibus requisitis: I. Vt fiat ex diuersis speciebus, *Mare* scil. ac *Femina:* vnde in rebus naturalibus sexuum distinctio. II. Vt fiat in similibus specie, & vniuocè: Animalium scil. cum animalibus in suo genere sibi similibus quà speciem: v.gr. hominis cum homine, equi cum equo. III. Vt fiat iusta ætate. Animalia enim, quæ minoris sunt ætatis, prout ratione incrementi, semen nondum habent (ea enim, quæ crescunt, alimenti vix quicquam eius-modi habent, quod ad generationem cedere queat) ità gignere, vel fœcunda esse non possunt. Fœcunditas enim è semine petenda. IV. Vt fiat in fœcundis. Sterilia enim procreant nihil, nisi molas, vt in mulieribus vsu venit.

Quæ omnia cùm in *Piscibus* ad oculum nota, & cuiuis obuia existant, ecquisnam *Pisces* voluptate Venereâ, aut coitu, ac generatione, ad conseruandam speciei propagationem necessaria destitui clamabit. In *Piscibus* enim datur sexus discrimen, cuius necessitatem ad procreandum suprà asseruimus. Deinde dantur generationis instrumenta, penis nimirum testes, & vulua, præsertim in piscibus maioribus, qualia frustrà non condita. Tertio datur ipsa materia prolifica, semen scil. proximum generationis organum; quod vel notum est è *spermate Ceti*, quod *Officinis* & *Medicis* nostris ad multos casus familiarissimum est. Quarto, ipse denique *Coitus* in *Piscibus* euidens est.

Quæ omnia liquidissimè euincunt, *Pisces*, vti fœcunditate, sic Venereâ voluptate, atque amore prorsus non carere.

Physici communiter nullum animal tam fœcundum esse statuunt, sicut *Pisces*. *Plinius libr. Natur. histor.* IX. *cap.* II. quòd tam innumera sint atque maxima in maribus animalia, caussam euidentem esse ait humoris luxuriam. Idem quòd tam varia in Mari monstra generentur, rerumque penè omnium simulacra, fieri illud arguit, ex perplexis, atque in semet aliter atque aliter nunc flatu, nunc fluctu conuolutis seminibus atque principiis. Dantur enim *Pisces* infinitorum penè generum, sicut *Tritones, Nereides, balenæ, pristes, physeteris, elephanti marini, delphines, vituli marini, mugiles, lupi, aselli, mulli, salpæ, salmones, exocæti, testudines, anguilla, murena, echeneides, dracones marini, lucernæ, sepiæ, polypi, nautiles, ozena, nauplia, locusta, cancri, echini, cochleæ, pectines, murices, conchæ, purpuræ, scolopendræ, vulpes, arietes, canicula, mures, stella marina*, & genera eius-modi sine numero. *Plinius libr.* IX. *cap.* XIV. *Piscium* species LXXIV. esse, ait, præter crustis intecta, quæ sunt triginta. Alii itaque corio & pilo integuntur, vt *vituli, hippotami:* alii corio tantum, vt *Delphini:* alii cortice, vt *testudines:* alii silicum duritie, vt *ostrea*, & *conchæ:* alii crustis, vt *locusta:* alii crustis & spinis, vt *echini:* alii squamis, vt *pisces:* alii aspera cute, vt *squatina*, quâ lignum & ebora poliuntur: alii molli, vt *murena:* alii nulla prorsus, vt *polypi*, autore eodem *Plinio cap.* XII. *libro citato.*

Pisces autem dupliciter pariunt, vel ex ouis generantes sibi similés, vel sine ouis viuos fœtus excludentes, prout sunt, qui pilis vestiuntur, *vt balena, pristes, vituli, delphines, phocæ.* De Coitu verò, *congressibus, ac generationibus Piscium, Plinius libr.* XLIX. *cap.* LI. integram dissertationem instituit, quam non pigebit, ob naturæ varietatem admirandam, etiam in congressibus aquatilium conspicuam, hîc intexere. Sic autem: *Piscium* (inquit) *quæ in mari crescunt, quædam summâ celeritate, vt Murænarum, quædam parum tardius. Plani pisces, & quibus cauda non est, aculeatiq;, vt testudines, in coitu superueniunt: Polypi crine vno feminæ naribus annexo: Sepiæ & Loligines linguis componentes inter se brachia, & in contrarium nantes, ore & pariunt. Sed polypi in terram verso capite coëunt. Reliqua mollium tergis, vt canes: Item locustæ, & squillæ, cancri, ore. Ranæ superueniunt, prioribus pedibus alas feminæ mare apprehendente, posterioribus clunes. Pariunt minimas carnes nigras, quas gyrines vocant, oculis tantum & caudâ insignes: mox pedes figurantur, caudâ findente se in posteriores. Mirumq;, semestri vitâ resoluuntur in limum nullo cernente, & rursus vernis aquis renascuntur, quæ fuêre natæ, proinde occultâ ratione, cum omnibus annis id eueniat. Et Vituli & Pectines sponte naturæ in arenosis proueniunt. Quæ duriorum testa sunt, vt Murices, Purpuræ, saliuario lentore. Sicut acescente humore Culices, atque spumâ maris incalescente, cùm admissus est imber. Quæ verò siliceo tegmine operiuntur, vt ostrea, putrescente limo, aut spumâ circà nauigia diutius stante defixoq; palos & lignum maximè. Nuper compertum in ostreariis, humorem iis fœtificum lactis modo effluere. Anguillæ atterunt se scopulis; eæ strigmenta viuiscunt. Nec alia est earum procreatio.* Vide reliqua ibidem de *Piscibus*, qui bis, terve quotannis pariunt, quique oua gignunt, eademque ipsimet excludunt. Intersérit autem, diuersa *Piscium* genera non coire, præter vnum atque alterum, sicut in quadrupedibus etiam mistio animalium diuersi generis rarissima est, præter *Equi* & *Asini* concursum, vnde *Mulus* generatur, qui nec *Equus* est nec *Asellus*. *Piscium enim* (ait) *diuersa genera non coëunt, præter Squatinam & Raiam: ex quibus nascitur priori parte Raiæ similis, & nomen ex vtroque compositum apud Græcos trabit.*

Idem *Plinius libr.* IX. *cap.* XIII. *Pisces*, v. gr. *Vitulum marinum*, & alios, viuos fœtus parere, adeoque etiam mammis alere, disertè prodidit. *Quæ pilo vestiuntur, animal pariunt, vt Pristis, Balena, Vitulus. Hic parit in terra pecudum more: secunda partus reddit initu. Canum modo cohæret, & parit nunquam geminis plures. Educat mammis fœtum.* Hæc *Plinius.*

Ex paucis his in medium allatis manifestum fit, imò luce meridianâ nitidius, *Pisces*, vt animalia viua, tantùm non fœcunditate politicâ valere, sed & coïre, sed & oua parere, imò etiam viuos fœtus eniti, eosque ex parte mammis lactare. Atque vt hoc, quod in recenti versatur hominum memoriâ, superpondii loco attexamus, superiori *Anno* M.DC.XIIX. in Mari Gallicano, ad *Caletum*, Castellum aliàs nominatissimum, ingens *Balena*, non sine huius tumultuosi temporis prodigio, turbarumque marinarum præsagio, globis è tormentis triremium obuiarum aheneis explosis sauciata, atque per *Hepatis* parenchyma traiecta spiritum in littore reddidit, non sine stupendo eiulatu, totiusque viciniæ concussione. In cuius anatomica peruestigatione inuenti fuêre *Testiculi* tantæ magnitudinis, vt tercentum, *membrum* verò *virile* ducêtum librarum pondo excederent. Quæ historia sicut osseo sceleto hinc-inde per nundinas ostentato, verificata, sic scripto quoque & testibus fide dignis fidem commeruit.

Hæc de *Piscium* in genere [illegible] & Venere, qui in *Serpentibus*, inprimis etiam *Viperis*, est admirandus.

Quanquam

Quanquam autem aliquis prætenderet, *Pisces*, etsi *coitu* vtantur, pariantque, eos tamen amore nullaque ideo voluptate teneri, PETRONII maximè præallegatum versiculum obiiciens, atque itâ legens:

Et piscis nullo iunctus amore parit.

nihilo-minus tamen eodem res recidit. Idem enim ferè est non parere, non gignere, ac voluptate, atque amore in coitu nullo affici. Prudens siquidem Natura consulto rebus viuentibus, inprimis Animalibus, amorem ac coëundi desiderium ingenerauit, vt hoc medio propagatio conseruatioque specierum continuaretur. Ei desiderio adiunxit posteà in ipso coëundi actu titillationem delectationemque, cuius illecebris ac dulcedine animal eo magis alliceretur, auidiusque in complexûs rueret, tum etiam eiusdem recordatione postliminio actum illum reiteraret, reassumeretque. Hinc *Venus Poëtis* dicta est *Amorum mater, genetrix, fœcunda, adulterina, furtiua, læta, dulcis, blanda, potens, lasciua, ridens, luxuriæ mater, ingeniosa, ignea, salax, lepida, ignipotens, mater Cupidinis*, quæ sexcentis id genus insignitur epithetis, eo quòd in coëundi actu nullum odium, nulla omnino ira, neque indignatio, sed solus amor, sola cupiditas, & delectatio locum habeant. Hinc etiam in feminas nimis rixosas adagione fertur: *In coitu rixari*: id est, tàm implacabiles, feras, atque crudeles esse, vt medio etiam in Amoris Venerisque actu, præ summa animi impotentiâ, iurgiis abstinere nequeant. *Lucretius libr. I. de natura rerum*, vbi *Venerem*, tanquam communem Naturæ parentem veneratur, sine amore ac voluptate Animalia coire non posse, autor est, ab initio operis:

——per te quoniam genus omne animantum
Concipitur, visitq; exortum lumina Solis.

Et deinde:

Deniq; per maria, ac montes, fluuiosq; rapaces,
Frondiferasq; domos auium, camposq; virentes,
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis, vt cupidè generatim secla propagent.
Quæ quoniam rerum naturam sola gubernas,
Nec sine te quicquam dias in luminis oras
Exoritur, neq; fit lætum, neq; amabile quicquam, &c.

Hûc apprimè facit *Ouidius Fastor. libr. IV.*

Quid genus omne creat volucrum, nisi blanda voluptas.

Et *Catullus* in *Epithalamio Manlii & Iuliæ*:

Nulla quit sine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe dicier——

Venerem intelligens.

Liquet itaque, omnibus Animalibus à Natura ingeneratas inditasque esse mitas ad coitum & generationem libidines, inque ipsa coniunctione titillatione voluptatemque mutuam concipi, quâ Animalia eo magis ignea, atque ad congressum qu. furibunda redduntur, stimulanturque. Hinc

——Venus ignea concitat vrsos.

Pro *corollario* huius dissertationis, quanquam verò in ipsa coniunctione Maris & Fe-

mellæ ardens interueniat voluptas amorque: longe aliter tamen res se se habet post peractum coitum, à quo omne animal *Philosophus* oppido contristari fertur, præter *Gallum gallinaceum*. Quo sensu illud ARBITRI *Epigramma* intelligi debet, quod extat *pag.* 74.

Fœda est in coitu & breuis voluptas,
Et tadet Veneris statim peractæ, &c.

In *Amore* itaque ediderunt *Philosophi*, esse dolorem, siue amarorem, cum voluptate aut dulcedine coniunctum. Quod ipse PETRONIVS noster videtur affirmare aliàs *pag.* 19. *Apes* (inquit) *ideò pungunt, quia vbicunque dulce est, ibi & acidum inuenies. Plato Amorem* siue *Cupidinem*, iccirco rectè γλυκύπικρον esse tradidit. Illud epitheton ipsi quoque *Veneri* attribuit *Catullus ad Manlium*:

——*non est Dea nescia nostri,*
Quæ dulcem curis miscet amaritiem.

Quod apprimè imitatus esse, rotundiusque expressisse videtur, inter recentiores *P. Lotichius Secundus* meus, ad *Matth. Stoium* suum in *Carmin.*

Dulcis amarities amor est. Tu, candide Stoi,
Dulcibus illecebris oscula mista caue.

Catullus iisdem penè verbis *Cupidinem*, *Veneris* filiolum, insignit, *de Nuptiis Pelei & Thetidis*:

Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces.

Opportunè autem, si vllibi aliàs, PETRONIVS loco allegato coitum legitimum ab illegitimo atque prohibito interdistinguendum velut esse monet, eleganter, tāquam in ἐμμυθίῳ adhortatus, ne ruamus in Venerem, præsertim illicitam, sicut solent beluæ, ratione carentes, cùm hominem facti post actum istius, oppido pœniteat, non aliam ob caussam, quam quod DEVS OPT. MAX. congressus nihilo-minus licitos castosque ac moderatos admittat, illicitos verò, sicut gentiles vt plurimùm illicitæ Veneri vacabant, puniat, teste vel illâ pœnitentiâ post actum Venereum illico ingruente. Sic autem eleganter ARBITER annectit præcedentibus:

Non ergò, vt pecudes libidinosæ,
Cæci protinus irruamus illùc.

Siquidem, vt in triuiis innotuit:

——*nocet empta dolore voluptas.*

Caput X.

TEstudines à testis, quibus teguntur, dictæ: è genere *Piscium* sunt. Earum descriptio, synonyma. *Testæ* ad luxum diuitum adhibentur ex iisdem. *Venus* cur *Testudini* insidens fingatur? *Domiporta* cur dicatur? Matres-familias cur vernaculo nobis sermone dicantur **Haußfraw**? *Testudinum* genera. Earundem captura. *Ouipara* sunt animalia: ouisque incubant. PETRONIVS de *Testudine* quomodo intelligendus? An *Lucina*, partûs præses, etiam *Ouiparis* præsit? *Gallinæ* nostræ oua non sine doloribus excludunt, quod partus agoni respondet. *Testudines* coëunt; Earum carnes multis abominandæ, multis verò in deliciis sunt. Eædem cum sanguine morbis medentur. *Pes dexter Testudinis* nauigia ligat. *Apologus*, & *Adagia* super *Testudinibus*.

Inter

INter *Piscium* diuersas atque innumeras species, referuntur etiam *Testudines*, quæ corticibus ac restis superintegũtur, vndè nomen traxerunt, Alii enim *Pisces* pilis integuntur ac corio; alii corio tantum; alij crustis, alii spinis; alii squamis; alii testis ac corticibus, vt *Testudines*, prout præcedenti capite distinctionem *Piscium* è *Plinio*, quoad integumenta externa, attulimus. Itaque de his *Testudinibus* nimirum paucis dispiciamus, præsertim cum ARBITER noster *in fragmentis Epigrammatum* admiranda earum hoc versiculo complexus esse videatur, *pag.* 73.

Sic Phœbaa chelys, vinclo resoluta parentis
Lucina, tepidis naribus oua fouet.

Testudo est animal tardigradum, à testâ, quâ integitur, nomen habent, *Græcis* χελώνη. Inter varias, quibus accipitur, significationes, etiam pro musico instrumento sumitur, viuæ *Testudinis* figuræ non admodum dissimili. Id Græcis ab animalis nomine χέλυς. Latinis *chelys*, dicitur. *Hyginus Mercurio* eiusce instrumenti musici inuentionem tribuit. Is enim, cum aliquando in *Testudinem* incidisset, cuius caro longâ vetustate erat exesa, solis relictis neruis, qui digitis percussi non inamœnum sonum edebant, ex illius similitudine Deus *Lyram* siue *Chelyn* excogitauit, vndè etiam *Testudinis* illi nomen mansisse putatur. *Virgilius libr.* IV. *Georg. Musicæ* huius *Testudinis* meminit:

Ipse cauâ solans ægrum Testudine amorem.

Et *Horatius libr.* 1. *Carmin.*

O decus Phœbi & dapibus supremi
Grata Testudo Iouis, ô laborum
Dulce lenimen!

Testudo verò χελώνη, autore *Senecâ*, fœdissimum & pigerrimum est animal, cuius tamen testę & cortices, siue putamina, ad prodigalitatem luxuriamq; adhibentur, adeoque magno non nisi pretio coëmuntur, cuius luxus primus autor perhibetur *Carbilius Pollio.* Antiquitas *Venerem* finxit pinxitque *Testudini* insidentem; indicio, feminas extrà domus limina limitesque euagari, multo minus peregrinari non debere, quæ studio castitatis commendatæ alioquin esse cupiant. Hinc *Testudines Domiportæ* vocantur, quod domo non egredientes ædes suas secũ semper portent. *Plutarchus*, inter cęteros, *in præcept. coniugal.* autor est, *Phidiam Heleorum Venerem* ità finxisse, vt *Testudinem* calcaret, tacitè significans, vxoribus domi manendumque esse atque silendum. Idem asserit, *Ægyptiis* in more fuisse, vt nuptæ sandaliis non vterentur, ne videlicet domo vnquam proditent. Quò non abludere videtur illud *Germanorum* nostrorum epitheton, quo honorificè ac familiariter matronæ & matres nostrates insigniuntur, Haußfraw illas appellitantes; quod vxor, vel materfamiliâs, debeat domui & laribus addicta esse, vt quæ forum, imò itinera & peregrinationes, viris iuuenibusq; relinquere opus habeat! Quo nomine nostris feminæ plerunq; suspectæ habentur, quæ itinera multa ac peregrinationes suas iactare possunt, eo quod in itineribus pudicitia soleat periclitari. *Plautus in Amphitr. Testudinei gradus* mentionem aspergit, qu. qui tardus satis lentusque sit. *Siue* (inquit) *grallatorius, siue testudineus fuerit,* (gradus) *certum est mihi hunc scelestum perdere.*

Troglodytæ populi, referente *Plinio Testudines* tanquam diuinas ac sactas adorant, ad quos natant. Apud eosdem *cornigeras Testudines* esse perhiber, annexis cornibus latis, sed mobilibus, quorum in natando remigio se adiuuant.

Ffff 3 Sunt

Sunt autem genera *Teſtudinum* præcipuè quatuor, nimirum dantur *terreſtres*, *lutariæ* vel paludoſæ, *amnicolæ*, quę in dulci aqua degunt, & *marinæ*: de quarum omnium in medicina virtutibus vide *Plinium libr.* XXXII. *cap.* IV. toto diſcurſu. Ex *marinis* itaque ſunt, quas vulgò Schiltkrotten/ Schiltpatten nuncupamus, à teſtis, quibus inſtar clypei integuntur, atque contrà iniurias externas tutæ ſunt. PETRON. noſter *Phœbeam Chelyn* appellat, quòd Soli, vel Phœbo ſacra ſit. Eas autem tantæ magnitudinis *Indicum mare* ſuppeditare aſſerit *Plinius*, vt ſingularum ſuperficie habitabiles caſæ integantur, imò inter Inſulas *Maris Rubri* pręcipuè ipſarum teſtas, vel conchas, nauigabiles eſſe prodit, *libr. nat. hiſt.* IX. *cap.* X.

De *Teſtudinum Piſcatura*, quo pacto capi poſſint, ibidem ſequentia affert *Plinius*, non immeritò huc tranſſcribenda: *Capiuntur* (inquit) *multis quidem modis, ſed maximè euectæ in ſumma pelagi ante meridiano tempore blandito eminente toto dorſo per tranquilla fluitantes, quas voluptas liberè ſpirandi in tantum fallit oblitas ſui, vt Solis vapore ſiccato cortice non queant mergi, inuitaque fluitent, opportuna venantium prædæ. Ferunt & paſtum egreſſas noctu, auideque ſaturatas laſſari: atque vt remearint matutino, ſumma in aqua obdormiſcere; id prodi ſtertentium ſonitu, tumque leuiter capi. Adnatare enim ſingulis ternos, à duobus in dorſum verti, à tertio laqueum iniici ſupinæ, atq; ità ad terram a pluribus trahi. In Phœnicio mari haud vlla difficultate capiuntur, vltroq; veniunt ſtato tempore anni in amnem Eleutherum effuſa multitudine.* Hæc de *Teſtudinum* captura.

Cæterum, *Teſtudines marinas*, de quibus hîc in[illegible] ſermo, *ouiparas* eſſe, inque catalogum *Piſcium* referendas, qui mediantibus ouis fœtum excludunt, extrà controuerſiam eſt. Ità enim *Plinius*, inter alios, de *Teſtudinibus ouiparis* loco allegato: *Dentes* (ait) *non ſunt Teſtudini, ſed roſtri margines acuti, ſupernâ parte inferiorem claudente, pyxidum modo. In mari conchylijs viuunt, tantâ oris duritiâ, vt lapides comminuant. In terram egreſſæ, in herbis pariunt oua, auium ouis ſimilia, ad centena numero.*

Quod autem eædem *Teſtudines* naribus oua foueant, ſicut vult PETRONIVS, vel ouis incubent, forſan non vnico teſtimonio confirmari poſſit. Si enim è *Piſcibus* dantur, qui, pecudum more, fœtus viuos edant, editoſque vberibus & lacte nutriant, ſicut *Vitulus marinus*, quid mirum ſit, ſi *Teſtacea*, ipſæque *Teſtudines*, *oua* ſua foueant, iiſque excludendis incubent? Idem affirmat præfatus *Plinius lib.* IX. *hiſt. nat. cap.* X. (*In terram* (inquit) *egreſſæ, in herbis pariunt oua, auium ouis ſimilia, ad centena numero. Eaque defoſſa extrà aquas, & cooperta terra, ac pauita pectore & complanata, incubant noctibus. Educant fœtus annuo ſpatio. Quidam oculis ſpectando quoq; oua foueri ab iis putant. Feminam coitum fugere, donec mas feſtucam aliquam imponat auerſæ*, &c.

Ariſtoteles libr. V. *hiſt. animal. cap.* XXXIII. *Teſtudinis terreſtris oua* comparat *ouis* auicularum, marinas verò gallinarum. *Plutarchus Marina oua* quadragintà diebus excoqui & rumpi ait. Dum igitur *oua Teſtudines* pariunt, neceſſariò præſupponitur *coitus*, ſine quo atque maris coniunctione, concipere nequirent, aut ad minimum ea oua ſterilia forent. Sicut apparet in iis *ouis gallinarum*, quæ ſine gallinacei congreſſu femellæ enituntur, adeoque ſterilia ſunt.

Interim, contradicentia velut occurrunt in præallegato PETRON. verſiculo de *Teſtudine*, vel *Phœbæa chely*. Canit enim ARBITER, *Teſtudinem* reſolui vinculo parentis *Lucinæ*, & tamen *oua naribus* fouere. Si igitur *Lucina* viuis ſolum nixibus ac partubus præeſt, vndè à *luce* nominatur, quod lucem fœtibus afferat, malè quadrabit, *Teſtudinem*

&

& viuos partus eniti, & ouiparam esse. Nisi quis *Lucinam*, eiusque à veteribus eo excogitatum præsidium, restringendum esse censeat ad ouorum nixus partusque insuper. Videmus enim *gallinas domesticas*, dum oua matura, iam enixuræ sunt, hinc indè occursitare, locaq; dispicere, vbi oua ponant, non sine clamore, nō obscuro indicio, eas quoque & per consequens reliqua ouipara animalia, non inani dolore atque difficultate affici, affligique. Quibus ob id *Lucina* mater non immerito adesse possit, etiam in *ouorum* nixibus eius-modi, cum sine dolore *oua* vix pariant.

Coire *Testudines* inuicem, eiusque rei modum asserit *Plinius lib.* IX. *cap.* LI. *Plani* (inquit) *Piscium, quibus cauda non est, aculeatique, vt Testudines, in coitu superueniunt.* *Oua* vero earum in sicco maturescere, idem autor *est libr.* IX. *cap.* LVII.

Luxuria prætereà viam inuenit, qua tegmina, vel putamina *Testudinum* secantur in laminas, pro vestiendis lectis ac repositoriis. Hodie diuites *Cænacula*, & *Conclauium pauimenta Testudinum* conchis inducunt, adeoque magno pretio luxuriam illam coëmunt. Antiquitus *Peloponesiorum* numisma χελώνη, id est, *Testudo*, dicebatur; quod figuram *Testudinis* insculptam ferret. Hinc *Eupolides in Fabula*, cui titulus *Captiui*, dixit, ὀβολὸν καλλιχέλωνον: id est, *obulum pulcræ Testudinis.*

Testudinum quoque esus non paucis hominibus in deliciis est: quamuis *Plinius Testudinum* in genere *oua* sorberi dicat in stomachi doloribus *libr.* XXXII. *cap.* IV. vbi plurima ad rem Medicam facientia toto capite inuenire est. Earundem sanguinem commendat valere contrà *Cephalalgiam, strumas, ignem sacrum, capitis vlcera manantia, verrucas, panos,* & similes affectus alios. Admiratione tamen non caret, quod addit idem ad finem capitis prædicti, *Naues* tardius progredi, aut ligari, si in iis *Testudinis* pes dexter vehatur, quamuis idem vix credat, sed referat. Sic enim habet: *Et licet incredibile dictu sit, aliqui tradunt tardius ire nauigia, Testudinis pedem dextrum vehentia.*

Hodie in *Galliis* atque *Italia* esus *Testudinum* plerisq; in deliciis est. Olim *Plinius* quoque annotauit fuisse in *Carmania* populos, qui *Testudinum* carnibus victitabant, vt etiā à familiari *Testudinum* esu χελωνοφάγοι dicerentur. Apud eos autem inueniebantur *Testudines* tantæ magnitudinis, vt earum testis casæ integerentur. *P. Bellonius* contrà autor est, *Græcos* adeo *Testudines* omnis generis abominari, vt eas palis per sepes affigant. Sic autem *obseruat. memorabil. libr.* 1. *cap.* LXV. *Ceterum* (ait) *quoniam Græci nullis testudinibus siue marinis, siue terrestribus, siue fluuiatilibus vescuntur, adeo frequentes sunt per Græciæ agros, præsertim autem Thracia, vt secundum vias frequenter magnæ & pingues inueniantur. Et nisi hortulanis plurimum inuisæ essent, quod eorum olera germinare incipientia prærodant; præsertim autem melones, peponesq;, xylon & sesamū appetant; nemo eas necaret. At illi in suis hortis inuentas necant, atq; palis per sepes affigūt.* *Carol. Clusius* quoq; scripto annotauit *Vngaros* & *Croatas Testudines* cuiuscunq; sint generis refugere atq; auersari, vt eas simili modo palis affigant, atque oppido lethales esse arbitrentur; quos quidem ipse *Clusius* αὐτοψίᾳ & esu non lethales, sed in eduliis deliciariis esse illico ostendit. Verba *Clusii* sunt isthæc: *Croatæ non modò Testudinibus, cuiuscunq; tandem sint generis, non vescuntur, sed eas etiam abominantur, quod reipsa comperi. Nam Anno M.D.LXXIX. cum Maio mense Illustrem Heroëm Dominum Balthasarem de Batthyan, Regni Vngariæ Archidapiferū hereditarium in Pannoniam interamnē, quæ nunc ex parte Vandalia, siue* Windischland *nuncupatur, comitarer, integro die substitimus in ipsius arce quadam Turnizza, cui contiguus est pagus eiusdē nominis Muræ amni vicinus, suprà ipsius & Draui fluminis confluētes. Istic dū fortè circà rusticorū prædia obambulo, multas testudines palis affixas, & è se*

pibus

pibus hortos ambientibus pendentes animaduerto. In arcem regressus, eius rei causam percontor: maximè ab incolis exosas intelligo: ego ridere illorum stultitiam: interrogatus an iis vesci cuperem, annuo: sed cum nemo ipsas adparare sustineret, cocus quispiam Gallus Byzantio redux, qui in itinere nobis sese adiunxerat, ferculum ex illis conficit; vescor; ibi omnes summa cum admiratione me intueri, imo pleriq; non dubitare, quin ea nocte extinguerer; at postridie, cum me non modo viuum, sed etiam alacrem conspicerent, multo magis mirari, & pleriq; asserere, etiam si Viennensem vrbem pramii loco nancisci queant non tamen degustaturos. Hæc Carol. Clusius.

Pro coronide: elegans apud *Des. Erasmum de Testudine* legitur *Apologus: Iupiter cum animantium omne genus ad nuptias rogasset, venissentq; reliqua, prater vnam Testudinem (nam hec peracto conuiuio tunc demum aduenit) Iupiter admirans percontatus est, quidnam illi fuisset in mora? Atq; illa respondit,* οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος: *Domus amica, domus optima: Iratus ille, iussit, vt quocunq; iret, domum suam secum circumferret. Cicero libr. II. de diuinat.* vocat *Tardigradam, domiportam, sanguine cassam.* Hinc, inter multas alias paræmias, adagione fertur: *Testudine nihil tardius:* Vel: *prius Testudo leporem cursu prauerterit:* quod de re impossibili pronunciatur. Huic affine est: *Testudinem Pegaso comparas:* quod de rebus dicitur neuriquam inter se conuenientibus. De eadem fertur: *Quàm curat Testudo muscas?* quod ironicè dicitur in eos, qui supra certę alicuius fortunę casum sunt. *Testudo* enim, quia testa, à qua nomen habet, munita est, muscarũ agmen, quod ipsi nequicquam nocere potest, nihil minus curat, quàm *Elephantus* facit culicem. Eleganter ad hunc & Philosophicè *Des. Erasmus: Animus* (inquit) *virtute ac philosophia munitus, nihilo plus timet fortuna incursum, quàm Testudo muscas.* De *Testudinibus* quoque sequens paræmia non postrema est: *Ipsi Testudines edite, qui cepistis:* vel sic: *Qui prendistis, iidem edite Testudines. In eos,* autore *Erasmo, hoc iacitur, qui posteaquam inconsulto quippiam adorti sunt, aliorum implorant auxilium, quos suo negotio admisceant. Paræmiam* (addit) *ex huius modi quodam Apologo natam existimant. Piscatores aliquot iacto reti, Testudines eduxerunt. Eas cum essent inter se partiti, neque sufficerent omnibus comedendis, Mercurium fortè accedentem inuitarunt ad conuiuium. At is intelligens, se nequaquàm humanitatis gratia vocari, sed vt eos fastidito cibo subleuaret, recusauit, iussitque, vt ipsi Testudines ederent, quas cepissent.* Super quibus consulatur *Des. Erasmus Chil.* I. *Cent.* I. *&* VIII. *& Chil.* II. *Cent.* IIX. C. *& Chil.* III. *Cent.* III. XXVIII.

Caput

Caput XI.

INsecta vndè dicantur? Duorum sunt generum. In illis Naturæ vis magis conspicua, quàm in perfectissimis animalium. *Apes* Insectorum præcipuæ. Earum fabulosa origo, mores, respublica; & regimen. An *Apes* coëant, apud autores aut negatiuè asseritur, aut valdè ambigitur. Eæ incubant, more *gallinarum*. *Reges* plures producunt, quorum optimi, qui rufi coloris. In exclusione *Apum* primò *vermiculus* prodit. *Apum* miranda industria atque solertia. Sanguine carentes habent quiddam analogum sanguini. *Coitus Apicularum* asseritur sequentibus argumentis. I. Quòd sanguini, &, per consequens, semini analogum quid habeant. II Quòd *Muscæ, vespæ, crabrones*, ac *scarabæi* manifestè coëant, quæ æquè sunt *Insecta* atque *Apes*. III Quòd sexûs discrimen in *Apibus* notetur. IV Quòd *Apum* coitus homini nunquam notatus aut visus fuerit, illud non sufficit pro partem negatiuam tuenda. Demonstratur itaque præ verecundiâ, quâ *Apes* singulariter præditæ sunt, eas in propatulo non coire. Auersantur enim omnis generis sordities atque impuritates. V. Excluduntur *Apicula* ex *ouis*, sicut reliqua *Insecta*. VI. Genera in omnibus Animalibus communis, imò etiam *Apibus*.

POST *Pisces* atque ea *Aquatilia*, quæ testis teguntur, vndè *Testudines* dictę sunt, tandem ad ipsa quoque *Insecta*, videlicet *Apes*, cum ARBITRO nostro transimus. Appellantur autem iure omnia *Insecta*, ab insectionibus, vel incisuris, quæ nunc ceruicum loco, nunc pectorum atque alui præcincta se, ac membra tenui modo fistulâ cohærentia. Aliquibus verò non tota incisura, eas ambiente rugas, sed in aluo, aut superne tantum, imbricatis flexilibus vertebris, nusquam mihi spectatiore naturæ rerum artificio, vt autor est rerum naturalium diligentissimus copiosissimusque scriptor, *Plinius libr. nat. hist.* XI. *cap.* I. Diuiduntur autem omnia *Insecta*, in pennata, vt *Apes, vespas, crabrones*: vel in incedentia vtroque modo, id est, & sine pennis, & cum pennis, prout sunt *Formicæ*: vel in ea denique quæ tum pedibus, tum pennis carent.

Elegans est illud *Physicorum axioma*: *Naturam, siue Numen, omnibus rebus inesse, nec vllam esse rem tàm exiguam, & vilem in Natura, in qua non sit aliquid singulariter admirabile & pulcrum*. Iccircò etiam in abiectissimis & vilissimis quibuscunque rebus admirandam Naturæ maiestatem conspici, aiunt, vt in *Musca* æquè dentur materia & forma, ac dantur in *Homine*, vel ipso *Cœlo*. Imò, addunt, Naturam etiam, ceu rem diuinam, in imperfectis ac vilibus rebus sæpenumerò magis elucere, quàm in aliqua re perfecta ac nobili. Qua de re, inter alios, eleganter philosophatur *Plinius libr.* XI. *cap.* II. *In magnis* (Inquit) *siquidem corporibus, aut certè maioribus facilis officina sequaci materia fuit. In his tam paruis, atque tàm nullis, quæ ratio, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio, vbi tot sensus collocauit in Culice?* Et paulò post: *Sed turrigeros Elephantorum miramur humeros, Taurorumque colla, & truces in sublime iactus, Tigrium rapinas, Leonum iubas, cum rerum natura nusquam magis, quàm in minimis tota sit.* Et *cap.* III. ibidem addit: *Nam mihi contuenti se persuasit rerum natura, nihil incredibile existimare de ea.*

De fabulosa *Apum* origine, & quod antiquitas finxerit *Mel Ambrosiam* esse, quo *Iupiter*, Dictæo in specu adhùc infans pastus fuerit, suprà egimus hoc *lib.* III. *cap.* IV. *de Melle*, quæ omnia huc transferre, operæ pretium non fuerit. Itaque ad alia consultò transeundum.

Inter omnia autem minutissima, quæ Natura mater produxit, animalcula, præcipuæ admirationis laudisque sunt *Apiculæ, quæ foris pascuntur, intus fauos melle farciunt, quod*

dulcissimum quidem est, & Diis & hominibus acceptum, quod satim venit in altaria, & Mel ad principia conuiuii, & in secundam mensam administratur; vt habet *Varro d. re rust. lib.* III. *cap.* XVI. In iisdem videre, atque intueri est, tanquam in pulcerrimo exemplo, colonias, hominumque ciuitates, & Rempublicam, imò etiam militandi gubernandique rationem, vt difficulter ipsos apud homines ordine, ac more'que concinniores vlibi inuenire fas sit. De quibus ità disertè *Plinius lib.* XI. *cap.* V. *Sed (ait) inter omnia ea (insecta) principatus Apibus, & iure pracipua admiratio, solis ex eo genere hominum caussâ genitis. Mella contrahunt, succumque dulcissimum atque subtilissimum, ac saluberrimum. Fauos confingunt & Ceras: Illa ad vsus vitæ laborem tolerant, opera conficiunt, rempublicam habent, consilia priuatim ac duces gregatim: &, quod maximè mirum sit, mores habent.* De quibus omnibus videatur maximus *Poëtarum Latinorum Virgilius, libr.* IV. *Georg.* qui integro eo opere admiranda *Apum* decantat. Ità autem in limine, tanquam propositione, orditur:

Admiranda tibi leuium spectacula rerum
Magnanimosq; duces, totiusq; ordine gentis
Mores & studia, & populos, ac prælia dicam.

Vt autem paucis *Apum Rempublicam* attingamus, ea, quæ *Plinius libr. cit. cap.* X. de operis *Apum* ratione habet, isthîc interiungemus, quæ admiratione non carent. *Ratio* (inquit) *operis hæc: Interdiu statio ad portas more castrorum, noctu quies in matutinum, donec vna excitet gemino aut triplici bombo, vt buccino aliquo. Tunc vniuersæ prouolant, si dies mitis futurus est. Prædiuinant enim ventos, imbresque, & tunc se continent tectis. Itaque temperie cæli (& hoc inter præscita habent) cum agmen ad opera processit, aliæ flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore, guttasq; lanugine totius corporis. Quibus est earum adolescentia, ad opera exeunt, & suprà dicta conuehunt, seniores intus operantur. Quæ flores comportant, prioribus pedibus femina onerant, propter id natura scabra pedes priores rostro: totaq; onustæ remeant sarcina pandatæ. Excipiunt eas ternæ, aut quaternæ, atq; exonerant. Sunt enim intus quoque officia diuisa. Aliæ struunt, aliæ poliunt, aliæ suggerunt, aliæ cibum comparant ex eo, quod allatum est*; &c. Et ad finem capitis: *Cessantium inertiam notant, castigant mox, & puniunt morte. Mira munditia! Amoliuntur omnia è medio, nulleq; inter opera spurcitiæ iacent. Quin & excrementa operantium intus, ne longius recedant, vnum congesta in locum turbidis diebus & operis otio egerunt. Cum aduesperascit, in alueo strepunt minus ac minus, donec vna circumuolet eodem, quo excitauit, bombo, ceu quietem capere imperans: & hoc castrorum more. Tunc repentè omnes conticescunt.*

Quæ omnia fallor? an grauissimus *Poëtarum* multò luculentius numeris expressit *libr.* IV. *Georg.*

Solæ communes natos, consortia tecta
Vrbis habent, magnisq; agitant sub legibus æuum:
Et patriam solæ, & certos nouere penates:
Venturæq; hyemis memores, æstate laborem
Experiuntur, & in medium quæsita reponunt.
Namq; aliæ victu inuigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris: pars intrà septa domorum
Narcissi lacrymam, & lentum de cortice gluten
Prima fauis ponunt fundamina: deindè tenaces
Suspendunt ceras aliæ: spem gentis adultos

Educunt fœtus: aliæ purissima mella
Stipant, & liquido distendunt nectare cellas.
Sunt, quibus ad portas cecidit custodia sorti,
Inq; vicem speculantur aquas, & nubila cœli:
Aut onera excipiunt venientum, aut agmine facto
Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent, &c.

& quæ alia plurima toto illo libro de *Apum* admirandis occurrunt. Quæ pauca, licet extra propositam quæstionem, non potuimus non hûc afferre, vt appareat, magnam atq; admirandam *Apibus* solertiam, verissimumque illud *Physicorum* effatum esse: *Naturam scil. in minimis atq; abiectissimis animalculis totam, adeoq; clariorem inesse, quàm in maximis & præstantissimis.*

Cæteroquin, ad quæstionem præscriptam quod attinet, quâ quæritur: *An Apes non coëant, cum tamen in illis sexus discrimen appareat?*

Principiò PETRON. noster disertè respondet, *Apes* non coire, sed ex ceris velut emergere; qui locus illustratione maximè dignus est. Canit autem ille:

Sic sine concubitu textis Apis excita ceris
Feruet, & audaci milite castra replet.

Cui sententiæ omninò clarius suffragatur *Poëtarum* Opt. Max. *Virgilius, lib.* IV. *Georg.* qui nec Venerem, neque partum, neq; coitum *Apibus* concedit, sed easdem natos suos ex foliis atque herbis suauibus ore legere, afferit:

Illum adeo placuisse Apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem soluunt, aut fœtus nixibus edunt.
Verum ipsæ natos foliis, & suauibus herbis
Ore legunt: ipsæ Regem paruosq; Quirites
Sufficiunt, aulasq; & cerea regna refingunt.

Eisdem nihilo-minus particulam diuinæ mentis ascribit idem *Virgilius* ibidem:

His quidem signis, atq; hæc exempla secuti
Esse apibus partem diuinæ mentis, & haustus
Æthereos dixere: Deum namq; ire per omnes
Terrasq; tractúsq; maris, cœlumq; profundum.

Eiusdem opinionis cum *Virgilio* est *Aristoteles lib.* III. *de generat. animal. cap.* x. siue magis *Virgilius* & *Plinius* (de quo posteà) sua hauserint ex *Aristotele.* Tradit autem Aristot. *Apes* à seipsis non gigni per coitum, quia nusquam visus sit *Apum* coitus, & fœtus exiguus cernatur in cellulis. Cætera verò *Insecta* asserit diu coire, & breui parere, magnitudine ad speciem vermis. Dein concludit finem generationis numero ternario quòd *Reges* & sibi, & *Apibus* sint autores generis, *Apes* vicissim *fucis*, sed omnino sine concubitu. Idem asserit *d. hist. animal. lib.* v. *cap.* XXII. *Fœtu* (inquit) *posito incubant auium more. Exclusus indè vermiculus, dum paruus est, iacet in fauo obliquus, post deindè sua ipse facultate se erigit, cibumq; capit, & fauo ità adhæret, vt retineri videatur. Fœtus Apum & fucorum candidus est; ex quo vermiculi fiunt, qui in Apes fucosq; transeunt. Primordium Regum colore cernitur fuluo, corpulentiâ mellis crassioris, magnitudine illico proximâ sua futura soboli. Nec primum ex eo vermiculus gignitur, sed statim Apis, vt aiunt.*

Qua autem parte fœtus constitutus sit, mel ibi è regione conficitur. Si hadonet, si fœtus oppressus intercipiatur, truncatæ sine pennis & cruribus prodeunt: sed si liberè ad finem generationis venerunt, rupta, qua cinguntur, membrana, euolant. Stercus, quamdiu sit vermis, emittit: Postmodum non nisi perfecte, vt modo dixi, prodierint: si quis capita iis demat, prinsquam pennas habeant, pro pabulo nimirum Apibus sunt: &, si fucum ademptis pennis in alueum reiicias, ipsæ reliquarum pennas erodunt.

P. Ramus prælectione in *libr.* I V. *Georg. Virgil.* super hoc loco de *Apibus* ait, *Columellam lib.* I X. *d. re rust. cap.* I I. hanc quæstionem, vt subtiliorem, de industria prætermisisse, tanquam ad agricolas non pertineat, vtrum Examina, sicut in reliquis videmus animalibus, concubitu sobolem procreent, an hæredem generis sui è floribus legant, quod affirmat *Virgilius*; & vtrum euomant liquorem *Mellis*, an alia parte reddant. *Hæc enim* (inquit) *& his similia, magis scrutantium rerum naturæ latebras, quam rusticorum est inquirere.*

Addit autem *Plinius, libr.* X I. *cap.* X V I. in eo diligentiam *Aristotelis* imitari voluisse, qui quidem de dubio *Apum* coitu multa affert. Refert enim *loco citato*, dubiam hanc quæstionem de *Apum* coitu, & subtilem esse: quod *Apes* coiisse nunquam visæ sint. Verba *Plinii* sunt: *Fœtus* (inquit) *quonam modo progenerent, magna inter eruditos & subtilis quæstio fuit. Apum enim coitus visus est nunquam.*

Recenset autem super hac quæstione aliquot opiniones. Alios, inquit, statuere, *Apes* confici è floribus. Et addit, alios affirmare, vnius *Apiculæ*, vel solius *Maris*, beneficio fœtus produci. De quibus tamen *Plinius* nihil determinat, sed dubius esse videtur, qui ità disputat: *Plures* (ait) *existimauere, oportere confici floribus compositis aptè atq; vtiliter. Aliqui coitu vnius: Rex in quoq; appellatur examine. Hunc solum esse marem, præcipua magnitudine, ne fatiscat. Ideò fœtum sine eo non edi: apesque reliquas, tanquam marem feminas comitari, non tanquam ducem: quam probabilem aliis sententiam fucorum prouentus coarguit. Quæ enim ratio, vt idem coitus alios perfectos, imperfectos generet alios? Proprior v. prior existimatio fieret, ni rursus alia difficultas occurreret. Quippe nascuntur aliquando in externis fauis Apes grandiores: quæ ceteras fugant. Oestrus vocatur hoc malum: quonam modo nascens si ipsæ fingunt.*

Porro *Apes*, instar gallinarum, incubare, *Plinius* prodit. Et certè *Apes* sunt, quæ quidem id operis subeunt. Hinc eas *Germani* nostri, Brutbiene indigetant, ab incubando scilicet, quod dicitur Brüten. Addit etiam, maximè *Apiculas*, dum incubant, obmussitare, excitandi caloris gratia, qui ad pullorum exclusionem necessarius. *Quod certum est* (inquit) *gallinarum modo incubant: libr.* X I. *cap.* X V I. Et ibidem postea: *Tempore procedente instillant cibos, atq; incubant, maximè murmurantes caloris* (vt putant) *faciendi gratiâ, necessarii excludendis pullis, donec ruptis membranis, quæ singulos cingunt, ouorum modo, vniuersum agmen emergat. Spectatum hoc* (quod notandum) *Romæ consularis cuiusdam Suburbano, alueis cornu laternæ translucido factis. Fœtus intrà* X L V. *diem peragitur.*

Eædem *abortus* quoque faciunt, & *Reges* plures consulto inchoant, ne desit numerus. Necant autem concordi assensu ex adultis factis, deteriores ne agmina ab iis scindantur. Eligunt maximè eum, qui rufi est coloris, qui melior eo, qui nigri est variique. Illi autem *Reguli* forma semper sunt egregia, duplo, quàm ceteræ, maiores, pennis breuioribus, cruribus rectis, ingressu celsiori, in fronte insuper macula quadam instar diadematis, candicante insignes. Quo pacto nitore à vulgo differunt, vt fusius enarrat ibidem *Plinius*.

Aiunt

Aiunt autem *Vermiculum* primò enasci, cùm fit exclusio *Apicularum*, candidum, *Regulum* verò statim pennigerum, non vermiculum, euadere. Sic autem porrò *Plinius*: *Id quod exclusum est, primum vermiculus videtur candidus, iacens transuersus, adhærensq́, ita, vt pascere videatur. Rex statim mellei coloris, vt electo flore ex omni copia factus, neq́, vermiculus, sed statim penniger. Cætera turba cùm formam capere cœpit, nymphæ vocantur: vt fuci, Sirenes, aut Cephenes. Si quis* (addit) *alterutris capita demat, priusquam pennas habeant, pro gratissimo sunt pabulo matribus. Tempore procedente instillant cibos*, &c.

Quantum ad *Insectorum* corpora, eorundemque qualitates attinet, ea volare ex parte, in ipso spiritu vitam habere, itemque sensum victus, generationis, operis, atque curam de futuro; imò etiam pollere sensibus, auditu, gustu, olfactuque, solertiâ item, animo, arte, & similibus valere constat. Quamuis sanguine destituuntur, cuius tamen vices simile quiddam & analogiam supplet. De quibus ità *Plinius lib. xi. cap. iv.* postquam ab initio, an spirent, viuantque, ac an sanguinem habeant, disputauit, ità enunciat: *Volare quidem aliqua, & animatu carere, in ipso spiritu viuentia, habere sensum victus, generationis, operis, atq́, etiam de futuro curam: & quamuis non sint membra, quæ velut carina sensus innehant; esse tamen his auditum, olfactum, gustatum, eximia prætereà naturæ dona, solertiam, animum, artem. quis facilè crediderit? Sanguinem non esse his fateor, sicut ne terrestribus quidem cunctis, verùm simile quiddam. Vt sepiæ in mari sanguinis vicem atramentum obtinet, purpurarum generi infector ille succus; sic & Insectis, quisquis est vitalis humor, hic erit & sanguis, donec æstimatio suâ cuiq́, sit.*

Idem de corporibus *Insectorum* ibidem *cap. iv.* fusè atque eleganter disserit sequentibus: *Insecta, vt intelligi possit, non videntur neruos habere, nec ossa, nec spinas, nec cartilaginem, nec pinguia, nec carnes, ne crustam quidem fragilem, vt quædam marina, nec quæ iure dicatur cutis: sed mediæ cuiusdam inter omnia hæc naturæ corpus, arenti simile, neruo mollius, in reliquis partibus siccius, veriùs quàm durius. Et hoc solum his est, nec prætereà aliud. Nihil intus, nisi admodum paucis intestinum implicatum.*

Quanquam igitur *Apes* sanguine, & per consequens *semine*, fœcunditatis, prolificationisque instrumento, & medio proximo, destituantur, nihilo-minus tamen analogum quiddam à natura habent, quod, *Plinio* teste, sanguinis vicem implet. Si itaque sanguini aliquid in illis simile, cur semini analogiam quoque iis non adesse arguemus, cùm semen nihil aliud sit nisi optima pars atque essentia sanguinis, è toto decisa. Certè *Muscas* ob oculos nostros coire, sibique à tergo mutuo implicari, canum more, quotidie facilè videre est. Idem *Plinius* enunciat de *vespis*, *crabronibus*, ac *scarabæis*, quæ pariter *Insecta* sunt, quorum coitus in propatulo esse ait; quamuis is de coitu *Apum* dubius esse videatur. Illorum quoque in fœtu eandem esse naturam, quæ *Apum*, subnectit. Sed ipse audiatur *libr. xi. cap. xx.* ad finem: *Virgilius iuuencorum corpore exanimato; sicut equorum, vespas atque crabrones; sicut asinorum scarabæos, mutante naturâ ex aliis quædam in alia. Sed horum omnium coitus cernuntur. Et tamen in fœtu eadem propè natura, quæ Apibus.* Quod autem de *vespis*, *crabronibus*, & *scarabæis* allatum est, id ipsum de *formicis* manifestum est, illas euidenter coire, atque ouiparas esse.

Si igitur *Insecta* reliqua coëunt, quidni & *Apes* congredi statuantur, quanquam id ab hominibus, asserentibus *Aristotele* & *Plinio*, non obseruatum sit. Illud verò, quod à visu hac in re desumitur, argumentum, tantùm non sufficere videtur ad negādum *Apum* coitum.

An ideircò aliquis homines etiam, sicut *Apes*, coire inficiabitur, quod coitus non fiat in propatulo, & plerumque non nisi puerperiis atque effectis deprehendatur? Quis enim facilè videt homines, nisi prorsus brutos, & [illegible], palàm congredi? Cùm is maximè actus, tanquam obscœnus, verecundiæ pudorisque igitur, peragatur remotis, vt aiunt, arbitris, absque consortio tertii. Pariter, imò confidentiùs, de *Apibus* enunciare possumus. Quis enim inter alias *Apum* admirandas virtutes dubitabit, illas fors verecundiâ ac pudore, naturâ ita monente, velut affici, vt in conspectu aut propalàm non congrediantur? Notum siquidem est, *Apes* impuros ac libidinosos homines omnino auersari, adeoque punctim persequi. Pariter *Apes* etiam fugiunt cadauera, atque ea, quæ quouis modo in putrida, à te fœtida sunt. Adde, quod *Aristoteles libr.* IX. *histor. animal. cap.* XL. confirmat, mundissimum omnium hoc animal esse: *Quamobrem (ait) sæpenumerò, cùm alui necessitas est, auolant, & in secessu reddunt excrementum, quoniam malè oleat. Oderunt non solum fœdos odores, sed etiam vnguentorum delicias. Ex quo fit, vt homines his delibutos percutiant.* Idem *M. Varro libr.* III. *de re rust. cap.* XVI. allegat: *Itaq; (r. fit) nulla barum assidet, in loco inquinato, aut eo qui malè oleat; neq; etiam in eo, qui bona olet vnguenta. Itaq; bis vnctus qui accessit, pungunt.* Idem asserit *Columella de re rust. libr.* IX. *cap.* V. *Sed ea parte, quæ tetris latrinæ sterquiliniiq; & balnei libera est odoribus.* Et paulò post: *Grauis & tetri odoris non solum virentia, sed & qualibet res prohibeantur. sicuti cancri nidor, cùm est ignibus adustus, aut odor palustris cœni. Nec minus vitentur cauæ rupes, aut valles argutæ, quas Græci [illegible] vocant.* Idem quoque sentit *Palladius libr.* I. *Sed ab his Apum castris longè sint omnia odoris horrendi: balnea, stabula, coquinæ, sufforia.* Id ipsum pluribus in locis insuper contestatur *Plinius*: *Apes* nec vnguentorum odorem, multo minus fœtida alia ferre posse, imò verò *cancrorum* odore eas, si quis iuxta coquat, exanimari tradit, vt videre est *libr.* XI. *cap.* X. & XVI. Sic autem, inter cætera, *cap.* X. *libr. citato*: *Mira munditia! Amoliuntur omnia è medio, nullæq; inter opera spurcitiæ iacent. Quin & excrementa operantium intus, ne longius recedant, vnum congesta in locum turbidis diebus & operum otio egerunt.* Idem denique calculo suo sicut omnia, grauiter comprobat *Virgilius libr.* IV. *Georgic. de Apum aluariis*:

——— neve rubentes
Vre foco Cancros: altæ neu crede paludi
Aut vbi odor cœni grauis, aut vbi concaua pulsu
Saxa sonant, vocisq; offensa resultat imago.

Certè prout aliis insignioribus inprimis erga *Regem* suum affectibus, cultu scil. amore, atque obseruantia ad exemplum tenentur, vt ipse *Virgilius* nec *Ægyptios*, ne *Lydios*, nec *Medos* populos, suos Reges accuratius coluisse affirmet, verisimile fuerit *Apes* quoque verecundiâ affici, ideoque concubitus suos castè atque secreto celebrare. Habent enim sexus discrimen, *Regulos* scil. & marès, maximè euidentes. Habent similiter *Incubatores*. Brutbiene vocant, quæ prolificationi sunt, quasi puerperas, prægnantes, grauidas, aut nutrices dicas.

Cætera *Insecta*, autore *Aristotele libr.* III. *de generat. animal. cap.* X. diu coëunt, & breui pariunt, magnitudine ad speciem vermis. Imò *Apes* ex *ouis* velut excluduntur, sicut *Insecta* reliqua. Quodsi igitur *Apes* in omnibus similes sunt, quoad ortum, *Insectis* reliquis, & quà *oua*, è quibus emergunt, & quà vermiculū, qui ex ouis excluditur: quidni etiam, quà *coitum*, reliquis *Insectis*, quæ *Aristoteli* & *Plinio* coire perhibentur, similes sint, cùm solum id argumentum, quod ex visus negatione desumitur, insufficiens sit ad refutandum?

futurum *Apium* congressum, cùm homines etiam coire nullus videat, tanquam tertius, faciliè. An ergo, quia nemo *Apes* coire obseruauit, neutiquam coëunt? Futile hoc fuerit, & indignum tanti *Philosophus* argumentum! Multa enim, imò innumera penè à nobis non videntur in rerum natura, & tamen fiunt. Quis v.g. vidit gramina, arbores, plantasque, imò animalia crescere, & tamen ea crescunt? Creuisse itaque vt stirpes potius, quàm crescere dicimus, ita *Apes* coiisse citiùs quàm coire enunciamus. Quodsi enim *Apis* incubat, si murmure & bombo, caloris accensendi igitur, pullos fouet, cur eidem adempta sit coitûs energia?

Partus autem illi aut è vero sunt semine, aut quodam semini analogo: Illique aut viui eduntur, aut instar ouiparorum, ouis pariuntur. Qualia notamus quoque in alueolis apum vespatumque, eas, velut oua, fœtusque putaminibus inclusos fouere. *Muscæ* quoque in carnibus, maximè *Æstate*, coitùs speciem, siue semina sua relinquunt, vnde fit generatio. Si igitur *muscæ, vespæq;*, quæ ferè eiusdem sunt speciei cum *Apibus*, nisi quòd syluestres rapaces, adeoque fuci atque inutiles habentur, coëunt, coituque speciem suam propagant, quid obstat, quin idem de *Apibus* dici possit? Alioquin in similibus similis valet ratio. *Plinius libr. IX. cap. LVII.* de *Piscibus terrenis, in Paphlagonia* pisces terrenos effodi, ait, cibis gratissimos, ex altis scrobibus in illis locis, vbi nullæ aquæ restagnent, quos mirari ait *Theophrastum*, quia sine coitu gignantur. Admittit tamen humo vim aliquam inesse, sicut puteis, vnde generentur, cùm in puteis quibusdam *Pisces* producantur. Itaque omnis generatio aut vera est & vniuoca, aut secundaria, & æquiuoca, sicut suprà *cap. IX. de Piscibus* præmisimus. Illa fit ex similibus, ex vero semine. Hæc ex dissimilibus, non è semine, sed ex quodam semini analogo. Extra hasce nulla alia apud *Physicos* locum habet generatio. Cùm itaque generatio etiam concernat *Apes*, tanquam corpora naturalia, & viuentia, necessum est; vt aut vniuoca, aut æquiuoca generatione mutuo propagentur: cùm aliter generatio in *Physicis* fieri nequeat. Iam ad generationem veram semen requiritur, ad æquiuocam, semini quid analogum. Semen verò, mediante coitu vtriusque sexûs, prolificationi apium redditur. Et cùm maximè *Apes Apibus* nascantur similes, non ex limo, stercoribus, aut putredine, sicut *crabrones*, sed in ipsis ritè alueolis, quis ambigat *Apes* generatione, etiam vniuocâ, atque primariâ produci, & per consequens coitu illas vti, licet non vsque quaque manifesto, ac cuiuis notabili?

E quibus omnibus ordine grauissimorum autorum in medium allatis testimoniis eo magis in sententia confirmamur, *Apes* naturâ suâ vsque eo verecundas castasque esse, vt, cùm secundùm *Aristotelem* ac *Plinium*, excrementa secreto deponant, congressus etiam atque coitus, quod plenum pudoris opus, secreto obire ac perficere eo magis præsumi possint debeantque.

EPI-

EPILOGVS.

A*Tque isthæc sunt* Amplissime ac Clarissime *vir* D. GOLDASTE, *quæ super propositis abs te in medium* Problematibus Medico-Physicis, è PETRONIO *nostro decerptis, quantum quidem temporis angustia atq; occupationes aliæ mihi permiserunt, respondere volupe fuit. Prolixior in multis tibi videbor, sat scio. At tu quoq; non ignoras, me quidem si* Grammaticis *&* Criticis, *quibus in apicibus plerumq; literarum saltem versantibus scribendi genus arctum ac pressum est, scribere voluissem, stylum in pauca redigere potuissem.* Medicis *igitur, & more* Medicis *nostris vsitato, id est, stylo paulum vberiori, me scribere id aggressum nosti. At neq; iis duntaxat operam dedi insuper: alioquin non nisi* Medicinalia *non nisi* Receptas, *vt vocant, aut* Dispensatorium *aliquod super* Papauere, Sesamo, Satyrio, Bulbis, Vrtica, Abrotano, Pipere, *atq; id genus aliis his in excursibus hinc-inde obuiis, confecissem. Vna itaq; fidelia (quod difficillimum alioquin) tàm* Criticis, *inprimis* Philologis, *quàm* Medicis, *inseruire volui. Illi quidem vt non me non [illegible] suarum esse partium facilè arguent, ità quoque non diffitebuntur, me in aliquibus locorum difficilium atq; hactenus dubiorum, imò etiam intactorum, sensum atq; intellectum [illegible] annotasse. Hi, quòd* ARBITER *à nobis sub leges* Medicinæ *vocatus sit, non ideò studium culpabunt nostrum; cùm eo modulo deinceps* Lucianus, Apuleius, *atq; autores id genus alii expediri possint, tum mereantur. Cæterùm, potuissem etiam multa limatius tradere, si aut vnicam hancce curam, vnicumq; hunc lapidem voluere, aut lustrum aliquod, vel decennium (quod alii factitant) isthuic* SATYRICO *impendere operæ pretium visum fuisset. Interim cùm hanc quoq; opellam* PETRONIO *à multis accuratis ingeniis hactenus castigato emēdatoq; dederim, non dubitabo porrò* perpetuis *eundem* notis *ad vnguem adornatum exhibere, in quibus, quæ prolixiusculè hîc in excursibus tractata sunt, compendiosius frugaliusq; exhibiturus sum, vt, absoluta tanquam* PETRONIANA *hac in editione, modo* Lector notis *succinctioribus, modò* exercitationibus, *si lubeat, prolixioribus, animum relaxare possit. Quæ instituti quidem mei ratio sicubi tibi, tuiq; similibus, id est, eruditione atq; aceto lotis limatisq; pectoribus, non displicebit, tum demum me operam non inanem collocasse putabo, postmodum etiam, cum* DEO, *hanc industriam adhibiturus, vt aliquando per vberius ocium secundis curis sæpè commendatus* ARBITER *omninò emaculatus, atq; illustratus abunde, haberi possit. Benè vale, & me, vt soles, ama.* Francofurti M. DC. XXIIX. Mense Martio.

FINIS.